Bibliothèque numérique
medic@

Glisson, Francis. **Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus primis facultatibus I. perceptiva, II. appetitiva, et III. motiva... authore Francisco Glissonio**

Londini : apud H. Brome, 1672.

BIUM

(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : http://www.bium.univ-paris5.fr/histmed/medica/cote?06249A


6249 A

TRACTATUS
De
Natura Substantiæ
ENERGETICA,
Seu de
VITA NATURÆ,
Ejúsque
Tribus primis Facultatibus,

I. PERCEPTIVA,
II. APPETITIVA, & } naturalibus, &c.
III. MOTIVA,

Authore FRANCISCO GLISSONIO, Medicinæ Doctore, & Regio in florentissima *Cantabrigiæ* Academia Professore, celeberrimíque Coll. Med. *Lond.* Socio, necnon illustrissimæ Societatis Regalis Collegâ.

LONDINI,
Typis *E. Flesher*. Prostat venalis apud *H. Brome* sub signo Bombardæ in Cœmeterio *Paulino*, & *N. Hooke* ad insignia Regia in vico Little Britain. M DC LXXII.



Honoratiſſimo Domino,

Dno ANTHONIO

Comiti de

SHAFTSBURY,

Baroni A S H L E Y *de* Winborne Sti Ægidii, *& Baroni* C O O P E R O *de* Pawlet, *Cancellario & Subtheſaurario Scaccarii, uni è Dominis Commiſſionariis Fiſci Regii, Dno Præfecto Militiæ Comitatûs Dorceſtriæ, & Sacræ Majeſtati Regiæ à Conſiliis ſecretioribus, Mecœnati ſuo colendiſſimo.*

USus obtinuit, (Ornatiſſime Domine) ut, qui Opus aliquod in lucem edituri ſunt, de ſeligendo è benefactoribus ſuis magnæ authoritatis Patrono, cui idem inſcribant, ſint ſoliciti. Fateor neminem eſſe cui pluribus nomini-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 3 sur 591

©BIUM

bus ſum devinctus, neque me quenquam ſcire cui, potiore jure, omnes laborum meorum fructus, imò & meipſum, (ſi opus ſit) quàm Honori Veſtro dedicem. Id mihi ſingulari favore Veſtro inter alia feliciter cecidit, multos annos Veſtram Veſtræque Familiæ ſanitatem mihi, ut Medico ordinario, nempe curæ meæ, concreditam fuiſſe: atque exinde non tantùm munificentiæ ac liberalitatis Veſtræ effectus percepi; verùm etiam, ex fama Veſtri de me judicii, apud alios exiſtimationem & fidem promeruiſſe viſus ſum. Quin &, ſi fortè in anguſtias aut difficultates (quibus vita humana facilè obnoxia eſt) incidiſſem, genium Veſtrum ad me, ſive reali operâ ſive conſilio, ſublevandum, paratiſſimum expertus ſum.

Quapropter hoc meum qualecunque Opuſculum Honori Veſtro humillimè conſecro: non quòd prolixas & intricatas haſce Speculationes lectione Veſtrâ dignas putem: (neque enim fas aut æquum eſſe reor,

reor,ut Vir tanti acuminis,tantæque in rebus gerendis dexteritatis, imò quem Deus & natura ad magna Regni negotia coaptârunt, ad ſtudia hæc contemplativa avocetur:) ſed quòd in votis ſit,ut poſteris, iis ſaltem in quorum manus hic Liber venerit, innoteſcat, me, utcunque dignas referre gratias nequeam, non tamen eouſque ingratum aut beneficiorum immemorem eſſe,ut nollem à quo profecerim agnoſcere, aut ut vellem,quòd non ſim ſolvendo,obligationem, datâ hâc recognoſcendi occaſione,odioſo ſilentio reſcindere. Jam verò quòd (ut dixi) hic Liber vix ſatis idoneus ſit quem Dominatio Veſtra legat, expedit aliquam ſaltem ſubjectæ materiæ ejuſdem rationem hîc verbo reddam.

Tractat de Natura, nomine tenus notiſſima, re paucis intellecta: hoc eſt, tractat *de Vita naturæ energetica*, quâ omnes, cujuſvis ordinis, creaturæ ſubſtantiales dotatæ ſunt. Quæque ea ipſa eſt natura de qua

©BIUM

qua tam magnifica ſplendidáque cùm ab antiquis tum à modernis Philoſophis prædicata ſunt. Verùm ii pauci qui hanc naturæ vitam hactenus agnoverunt, neque ſubſtantialem ejus in rebus materialibus originem declarârunt, neque eandem à vita vegetabili aut animali ſatìs diſcriminârunt: nedum ſecretioribus ejus veſtigiis inſiſtentes, quibus mediis & viis eadem à naturali ad vegetabilem & animalem provecta eſt, inveſtigârunt: minimè omnium, quo modo anima materialis, vegetabilis & ſenſitiva, è vita materiæ, gradibus eſſentialibus exaltata, emergunt, demonſtrârunt.

Agit, præterea, de primis vitæ materialis Facultatibus, perceptiva, appetitiva & motiva, earúmque operationibus, actione, paſſione, ceſſatione, motu & quiete. Denique, de probatione hujus vitæ naturalis, tam à priore, quàm à poſteriore, ſatagit. Et à priore quidem probatio, pro meo modulo, hîc abſolvitur: à poſteriore verò tantùm inchoatur.

©BIUM


tur. Enimvero, conſummatio hujus poſterioris partis majoris molis eſt quàm ut vita mea, ſenio propè confecta, ei ſit ſubeundo. Ad totam quippe rerum univerſitatem ſuo modo ſpectat, ut vix unius hominis operâ perfici poſſe videatur.

Quòd verò ea quæ ſuperſunt maximam partem experimentis ſint invenienda, ſperandum eſt, Regalem Societatem, alióſque ſedulos veritatis indagatores, id luminis propediem eſſe orbi literario allaturos, ut ea quoque ad optatum exitum perducantur. Interea loci (nè ulteriùs ſim moleſtus) Tractatum hunc, obſecro, in Clariſſimi nominis Veſtri clientelam dicatum, boni conſulas, & Auctorem ſolito favore proſequaris, qui eſt Honoris Veſtri

Humillimus ac
devotiſſimus
Servus,
F. G.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 7 sur 591

©BIUM



©BIUM

Ad Lectorem.

Quibus auſpiciis in hanc de *Vita Naturæ* ſententiam primò deveni, ut ſcias me velle, ſi quâ poſſim, favorabilem tuam (candide Lector) cenſuram demereri, ipſo limine tibi aperuero. Hinc enim quanti judicium tuum facio, quámque non ingratiis te totius conſilii mei participo, clarè intellexeris.

1. Multa olim mecum reputans de modo intellectionis humanæ, facilè adverto nihil à nobis ſimul concretè & diſtinctè concipi. Inſtar puellorum ſumus, (ut rectè inſtituamur:) quærimus elementa, ex quibus ſyllabas; ex ſyllabis, dictiones; ex his, ſententias concinnamus. Qui concretam alicujus effectûs cauſam noverit, confuſam ejuſdem notitiam à priore habet: nondum tamen præcisè quid in ſpecie operatur, aut quo modo effectum proximè attingit, ſatis aſſequitur: & cùm varii effectus ab eadem concreta cauſa proveniant, formalem rationem ob quam modò hunc, modò illum in ſpecie producit, planè ignorat. Si ergò velimus diſtinctè rem aliquam dignoſcere, oportet inadæquatos ejuſdem conceptus inveniamus, & accuratè ab invicem diſtinguamus. Analyſis igitur accurata ejuſdem ineunda eſt, ut, ſi fieri poſſit, varias ejus rationes, ſive realiter, ſive ſolâ ratione, ſive medio modo, ſcilicet ex parte rei, diſtinctas, adamuſſim internoſcamus.

Nihil ſimul concretè & diſtinctè concipi.

2. Verùm nemo hactenus, quod ſciam, (utcunque Metaphyſici inadæquatorum conceptuum mentionem paſſim faciunt) de iis ex profeſſo tractavit. Video hanc Spartam derelictam eſſe. Eam alacris aggredior, & eouſque proſequor, dum ad ferendum de iis judicium,

Fundamenta duo inadæquatorum conceptuum; præſentia, & abſentia.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 9 sur 591

©BIUM

judicium, an rectè an secùs è rebus petantur, satìs instructus sim. Nam profectò non pro arbitrio nostro fingendi sunt; sed (nisi errare velimus) è rebus ipsis eliciendi. Fundamenta eorum duo prima sunt, vel *præsentia*, vel *absentia* eorundem in rebus de quibus respectivè affirmantur vel negantur. Intellectus enim noster non est adeò objectorum comprehensivus, ut plura simul distinctè concipiat. Quapropter quæ in rebus conjuncta reperit, separat, seu abstrahit, & seorsim contemplatur. Tripliciter autem hæc præsentia vel absentia considerari potest; vel *directè*, vel *obliquè*, vel *reflexé*. Unde tria genera conceptuum de eodem objecto fluunt: ut ens, *directè* conceptum, est positivum sui quod est; *obliquè*, est vel unum, vel verum, vel bonum; *reflexè*, est vel genus generalissimum, vel conceptus simplicissimus, vel conceptus quàm minimum entitatis exprimens, &c. Primum genus dat entitatem fundamentalem; secundum, naturam & proprietates ejusdem; tertium, notiones secundas. Verùm, ut quod res est fatear, hæc duo fundamenta magìs ad judicium de rebus inventis, quàm ad ipsam inventionem, spectant.

Duo alia fundamenta; similitudo, & dissimilitudo.

3. Subjungam itaque duo alia fundamenta, quæ ad inventionem directè tendunt; nempe similitudinem rerum, & dissimilitudinem. Illa communitates rerum, hæc differentias, fundit. Non hîc loquimur de similitudine metaphorica, sed de formali; ea nimirum in qua conceptus formales & unitas formalis fundantur. Est autem hæc similitudo duplex; vel analoga, vel univoca. Illa dat conceptus formales analogos; hæc univocos. Similitudines autem omnes fiunt conceptus formales, si omnem dissimilitudinem (unâ exceptâ exsistentiâ in singulis) non considerando præcidas. Sic enim acquirunt unitatem formalem, quæ est unitas seu identi-

tas

©BIUM

tas æquipollentiæ in ſingulis. Similiter fiunt conceptus univerſales, ſeu genera vel ſpecies, ſi porrò ipſam exſiſtentiam in ſingulis amputes. Sic enim nanciſcuntur unitatem univerſalem, & capaces redduntur communis definitionis ſeu deſcriptionis, & theſaurus intellectûs ſunt, in quo ſolo realiter exſiſtunt, & ubi in promptu aſſervantur, ut quoties opus ſit producantur, & ſuis inferioribus aut aliis rebus pro re nata applicentur: ſed eo ipſo frequenter in conceptus formales, præſertim ſi de individuis prædicentur, relabuntur. Etenim in hoc caſu reſumunt exſiſtentiam præciſam. Nam prædicatum contrahitur ad ſubjectum, & ei ſe conforme præbet. Non exſpectandum eſt, ut omnia quæ de hiſce fundamentis commentus ſum hîc recitem. Satis ſit, duas adhuc diſtinctiones, alteram ad *ſimilitudinum*, alteram ad *diſſimilitudinem* ſpectantem, retuliſſe.

Similitudo duplex; quidditativa, & quodditativa.

4. Similitudo dividitur in *quidditativam*, & *quodditativam*. Dictionis inſolentia (diſerte Lector) nè te commoveat. Res nova novum quærit nomen. Duæ ſunt interrogationes generales, *an*, & *quid*. Priori reſpondet, *quod eſt*; poſteriori, *quid eſt*. Metaphyſici olim finxerunt voces *quidditatem* & *quidditativum*; nobis perinde liceat fingere *quodditatem* & *quodditativum*. Profectò multò fortior ex noſtra parte militat ratio. Quidditas enim per eſſentiam, naturam aut rationem rei, ſatis exprimitur: ut quidditas entis, eſſentia entis, viz. entitas; quidditas corporis, natura ſeu eſſentia corporis, viz. corporeitas; quæ reſpectivè idem ſunt. Tantùm ut ſatis diſtinctè, abſque omni ambiguitate de cognitione quidditativa diſſeratur, hæ voces excogitari videntur. Verùm ea ſimilitudo quæ conſiſtit ſolùm in ponendo quod res ſunt, nomine, (quo exprimi abſque

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 11 sur 591

©BIUM

periphrasi queat) nisi concedatur ut vocetur *quodditas*, aut similitudo *quodditativa*, planè caret. Coactus igitur sum hanc *similitudinem*, *quodditativam*, & *quodditatem*, appellare. Est enim haud contemnendi usûs. Ipsum enim ens reale generalissimum in hac similitudine sola fundatur. Omnia enim entia in hoc tantùm similia sunt, *quòd realiter sunt*, seu *exsistunt*. Secluså itaque omni dissimilitudine seu diversitate quæ enti quatenus in singulis reperitur adhæret, & reservatâ tantùm positione, *quòd realiter est* seu *exsistit*, obtinueris formalem conceptum entis, nempe *ipsam quodditatem essendi* seu *exsistendi*. Qui conceptus formalis, suspensâ porrò ejus actualitate essendi in singulis, transit in *conceptum universalem*, seu *genus entis*; quod capax jam fit descriptionis; nimirum, *est positivum sui, quod realiter est*, seu *quod realiter in rerum natura exsistit*. Dices, me confundere *essentiam*, *& exsistentiam*; *quidditatem*, *& quodditatem*. Respondeo, nullam esse hîc confusionem; quòd in generalissimo ente, ubi nullæ planè sunt partes, essentia & exsistentia coincidant, & idem realiter significent. Similiter *quidditas* & *quodditas* in hoc latissimo genere solâ ratione differunt. Ut si quæratur quid sit ens, rectè respondetur, esse id *quod realiter exsistit*: ità ut [*quid est*] resolvitur per [*quod est.*] Qui aliis mediis ideam entis (cùm careat genere & differentiâ aliisve partibus) formare conantur, rem, alioquin cognitu facillimam, intricatam, confusam & obscuram reddunt. Verùm eò quòd ipsum ens reale sit genus duntaxat quodditativum, patet similitudinem quodditatis includere aliquid realis entitatis. Sed hoc obiter. Alii nonnulli hoc genus conceptus infrà in hoc Tractatu notantur, ob quam causam hîc lubentiùs eorum mentionem facio, nè illic, ex improviso se Lectori

ctori obtrudentes, molesti sint. De similitudinibus quidditativis non est cur aliquid hîc advertam; cùm sint notissima vulgarium conceptuum formalium fundamenta.

5. Procedo ad distinctionem dissimilitudinis; viz. in *simpliciter* dissimilem, & *similiter* dissimilem. Illa est fundamentum omnium differentiarum quibus res inter se distinguuntur; de qua nihil hîc ulteriùs dicendum est. Hæc est fundamentum cujusdam communitatis *per reductionem*. Est enim similitudo è dissimilitudine, quasi postliminiò, restituta. Intellectus observans ipsam dissimilitudinem esse similiter dissimilem, eam, quasi conclamatam respectu similitudinis primæ intentionis, ad secundariam quandam rationem ejusdem revocat. Hoc modo negatio, quæ est ratio quâ prædicatum à subjecto separatur, reducitur ad quandam communitatem; quòd nimirum omnis negatio similiter prædicatum à subjecto dividat seu separet. Similiter ipsa differentia fit genus differentiarum; quòd omnes similiter distinguant. Genus oppositorum ab hujusmodi quoque similitudine suam originem petit; nimirum, quòd ea similiter opponantur. Hæc genera, eorúmque conceptus formales, ut & similitudines in quibus fundantur, reductiva voco. Fateor ea omnia includere similitudinem quandam quodditativam *secundariam*; nimirum, quòd sunt quodditativè similia, sed similitudine secundariâ seu similiter diversâ. Verùm multùm differunt à similitudine quodditativa primaria, seu propriè dicta, de qua suprà locuti sumus. Hæc enim conficitur, primò, aliquam similitudinem rerum colligendo, & deinde, omnem dissimilitudinem ejusdem præcidendo: illa verò fit, primò, separando rerum dissimilitudines, & deinceps, eas reflexè considerando, ut inveniamus an secundaria aliqua similitudo

Divisio dissimilitudinis in simpliciter, & similiter dissimilem.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 13 sur 591

©BIUM

iis adhuc adhæreat. Deprehendimus autem, ſic conſiderando, quòd ſunt ſimiliter diſſimiles. Vocamus itaque ſimilitudines, diſtinctionis gratiâ, non quodditativas, ſed reductivas. Verùm de his ſatís.

Modus inveniendi ſimilitudines.

6. Supereſt verbo aliquid addam de modo inveniendi tam ipſas ſimilitudines, quàm diſſimilitudines. Cùm enim, ut dixi, non ſint fingendæ, neceſſe eſt ex ipſis rebus petantur. Eliciuntur autem teſtimonio ſenſuum, nempe, ſenſatione circa eas multis modis, nè ſubſit fallacia, etiam adhibitis adminiculis, variatâ; experientiâ multiplici; obſervatione ſedulâ; analogiſmo; (cui ſoli rariùs fidendum; imò nunquam, niſi ubi aliis mediis deſtituti fuerimus;) argumentatione, cui cautè quoque ſubſcribendum eſt. Verùm ſi certiſſimâ ac tutiſſimâ inveniendi veritatem methodo uti placuerit, conſule Novum organum Cl. D. Baconii, cujus doctrinæ veſtigiis ſi fideliter inſtiteris, haud multùm, aut facilè, à vero aberraveris.

Tentamen de vita naturæ.

7. Hactenus (amice Lector) te mearum cogitationum de inadæquatis rerum conceptibus recitatione detinui. Pergo jam, quæ mihi contigerunt, poſtquam de his conceptibus quantum ad propria ſtudia regenda neceſſarium videbatur ſcripſiſſem, enarrare. Cœptum eſt exempli loco tentare, ſi quâ poſſim, ipſas rationes vitæ perveſtigare. Loco hiſtoriæ præſentiæ, plantas & animalia, in quibus vita materialis potiſſimùm relucet, quin &, affinitatis gratiâ, ipſos ſpiritus, Angelos, Dæmones, Animam rationalem, huic contemplationi ſubjicio. Facilè deprehendo vitam ſpirituum eſſe ſubſtantialem, nempe, eſſe ipſam ſubſtantiam ſpiritûs, conſideratam in ordine ad operationes. Quanquam enim hæc vita Divinâ potentiâ quoad operationes ſuſpendi poteſt: penitùs tamen ſubmoveri, ità ut ſpiritus maneat mortuus, nequit. Nam ſi ſpiri-

An ſit ſubſtantialis.

©BIUM

ſi ſpiritus vitâ privetur, ipſa ejus ſubſtantia unà annihilatur. Quis enim concipere poteſt Angelum mortuum? Quare vita Angeli eſt ipſa eſſentia ejus energetica. Quanquam nos, pro modulo intellectionis noſtræ, diſtinguimus etiam in Angelis ſubſiſtentiam fundamentalem à natura energetica: in re tamen eadem ſubſtantia ſunt, tantùm diverſimodè conſiderata, in ordine ad eſſe per ſe, & in ordine ad operationes. Quocirca vita ſpiritualis videtur ipſa ſubſtantia rei cujus eſt. An verò vita materialis ſit ſimiliter ſubſtantia, dubitari poteſt. Profectò ut ſubſtantia eſt genus univocum reſpectu ſpiritûs & corporis; ità vita quoque videtur genus univocum reſpectu vitæ materialis & immaterialis. Etenim gradus perfectionis utcunque eminentis, quamdiu intra limites finitudinis contineatur, non variat univocationem prædicationis; ut patet ex dicta prædicatione ſubſtantiæ de ſpiritu & corpore. Verùm ſi vita ſpiritualis ſit ipſa ſubſtantia rei cujus eſt, & vita materialis non ſit ſubſtantia, certè prædicatio non eſt univoca. Reſponderi poteſt, vitam ſpiritualem eſſe originalem in ſeipſa; vitam verò materialem eſſe participatam, ſeu aliunde derivatam. Res enim aperta videtur in homine: vita ejus provenit à præſentia ſive informatione animæ rationalis; eâ ſeparatâ, mors ſequitur.

8. Sed regeritur, revera animam rationalem eſſe verum immortalem ſpiritum, independentem à materia, & conſequenter ſeparabilem ab eadem; & durante præſentiâ ejus in homine, hunc vivere, abeunte, mori: verùm ipſam animam ſaltem eſſe ultimum & originale ſubjectum vitæ, quam corpori humano communicat. Ità ut adhuc vita, reſpectu ſubjecti fundamentalis, in quo primò ineſt, ſit ipſa ſubſtantialis natura ejuſdem. Nam ſi ſubſtantia naturâ ſuâ viva alteri naturâ

Animas materiales eſſe modos materiæ.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 15 sur 591

©BIUM

ſuâ mortuæ intimè uniatur, fit compoſitum vivum : ità tamen ut prior pars ſubſtantialiter vivat, poſterior per participationem iſtius vitæ. Adeóque adhuc inferendum eſt, vitam reſpectu radicalis ſui ſubjecti eſſe ſubſtantialem, licèt reſpectu ſecundarii ſit accidentalis. Dices, *in brutis animalibus aliter multò evenire ; eorum animas non eſſe ſubſtantias, & conſequenter vitam ab iis profluentem non eſſe ſubſtantialem.* Omnino concedendum eſt, animas brutorum non eſſe ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes, eorúmque vitam non eſſe propriè ſubſtantialem : ſed eas eſſe modos materiæ eſſentiales, & ſimul vitales. Eo autem ipſo quòd ſint modi vitales, non ſunt ultima ſubjecta vitæ. Supponunt enim ſubjectum ſe prius, quod modificant. Imò non ſunt ultima ſubjecta ſuiipſius, nedum vitæ ſive modificantis ſive modificatæ, quam in ſe complectuntur. Quærunt itaque fulcrum quo ipſi & quicquid in iis ineſt ſuſtineantur. Id quod per ſe eſt ſuffulcit ſuos modos, ultimúmque eorum ſubjectum eſt. Quapropter materia eſt ultimum ſeu primum materialis vitæ ſubjectum. Cúmque nihil charius aut intimius ſit cuilibet ſubjecto ſuâ vitâ, liquet hanc eſſe materiæ intimam & inſeparabilem eſſentiam. Verùm quia ipſa eſſentia materiæ variis modificationibus obnoxia eſt, ejus quoque vita variè modificari poteſt ; & eo ipſo conſtat, materiam vitæ radicem in ſe continere. Quo pacto enim poſſis vitam modificare, ubi nulla eſt ?

Ea primum rudimentum vitæ non adferre.

9. Dices, *hoſce modos de novo vitam materiæ adferre.* Sed quî fieri poteſt, cùm nihil in ſe habeant quod è materia non priùs dimanat, quódque ab ea non eſſentialiter dependet ? Profectò optimè concipere poſſum vitam participatam ; ſed oportet ſimul adſit aliqua ſubſtantia in qua vita primariò inſit, cuíque ſit eſſentialis, à qua alteri ſibi conjuncto communicetur : ut

©BIUM

ut vita ſpiritualis eſſentialiter ineſt animæ rationali, ſed corpori per participationem, quamdiu illa huic intimè præſens eſt, communicatur. Verùm in brutis anima non eſt ſubſtantia, nec eſt ultimum ſubjectum cujuſvis vitæ. Quæro radicale hujus vitæ, quæ animæ materiali adſcribitur, ſubjectum. Revera vita quædam animæ materiali proximè inhæret; ſed cùm non ſit radicale ſubjectum ejuſdem, ei neceſſariò ab alio (quod eſt radicale ejus ſubjectum) communicatur. Intellectus meus in hiſce intermediis cauſis non acquieſcit: radicale vitæ, ubi ubi eſt, fundamentum inveſtigat. Hoc non vitâ mutuatitiâ fruitur, ſed ſeipſo vivit. Anima materialis eſt modus eſſentialis materiæ; eſſentialiter ergò eam modificat, ejúſque modificatio eſt vitalis; & eouſque largior eam de novo vitæ modificationem materiæ adferre: ſed vitæ, quam modificat, originem in ſe non continet. Materia quidem omnes formas, & conſequenter omnes quoque modos vitæ materialis, in ſua poteſtate continet. Ipſæ animæ materiales ſunt modi materiæ, ejúſque vitam primævam variè modificant. Quod probari poteſt percurrendo omnium viventium genera & ſpecies. Nam in genere, vita aliter in plantis, aliter in animalibus modificatur; & in omni ſpecie plantarum atque animalium mirâ organizationis diverſitate variatur. Attamen niſi originalis vita materiæ his omnibus modificationibus ſubſtrata foret, nihil quicquam vitæ afferrent. Earum enim entitas conſiſtit in modificatione vitæ prioris, quam de novo non adferunt. Quamvìs igitur novam vitæ modificationem, non tamen, de novo, vitæ originem materiæ apportant.

10. Porrò, res major eſt, & majoris momenti, primum vitæ principium cuiquam impertiri. Eſt enim, internum principium percipiendi, appetendi, atque ſe movendi, *Senſus oriri ex organica primæ vitæ modificatione.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 17 sur 591

©BIUM

movendi, ei indere. Cujus productionem nulla vis externa, nullus motus aut quies, nulla textura, ſchematiſmus, organizatio, proportio, nexúſve partium, attingere queat. Soli Deo proprium eſt creaturis ſuis in actu creandi idem infundere. Dices, experientiâ conſtare, ſenſus animalium ab eorum organizatione manifeſtè pendere. Utpote læſis quoquo modo organis, proportionaliter læduntur ſenſus; & corruptis, deſtruuntur. Concedimus ità eſſe. Senſus enim non ſunt ipſa prima & ſimplex naturæ perceptio, ſed ejuſdem organicæ quædam modificationes. Etenim ſi nulla eſſet perceptio naturalis, nulla materiæ modificatio aut organizatio eam in animalem aut ſenſitivam commutaret. Datâ autem naturali, ea (cùm immediatè fluat à ſubſtantiali materiæ natura) tot modificationum generibus quot ipſa materia capax eſt ſubjicietur. Scopus hujus Libri fuit, varias haſce modificationes ipſiúſque vitæ indagare: ſed eæ hinc indè difficultates me præpediverunt, ut omnes inanimatorum variationes nondum perluſtrâſſe contigit: nedum ad ſubtiliſſimas plantarum & animalium formationes devenire licuit. Hîc igitur, ut clariùs objectioni ſatisfaciam, paucis, quibus modis perceptio naturalis fit animalis, declarabo.

Quo modo perceptio naturalis ſit ſenſitiva.

11. Materia diſpoſita, percipiens ſe poſſe ſuam naturalem perceptionem eouſque nobilitare ſeu exaltare, ut actus ſuos quodammodo duplicet, eóſque magna cum complacentia contempletur, ſeu implicitè dijudicet, organizationem aggreditur, & cuilibet ſenſui organum quodammodo duplicatum coaptat; nimirum, externum, & internum. Unà verò percipiens non neceſſe eſſe ut internum cuivis externo ſit appropriatum, conſtruit unum internum omnibus externis commune, & nervis propriis quodlibet externum

ei

ei connectit. Non autem perficitur ſenſatio abſque hac duplicatione actûs percipiendi. Hoc enim monſtrari poteſt, quòd ſi nervus, cujus operâ perceptio duplicatur, quoquo modo intercipiatur, ſenſatio nulla eliciatur. Ob hanc enim cauſam viſio ceſſat in gutta ſerena; tactus, in membro paralytico. Nè dicas hoc contingere ob defectum influxûs ſpirituum animalium. Facilè admitto eos quoque ad complementum oculi requiri, & conſequenter ad ſenſationem. Certiſſimum autem eſt, utcunque adfuerint ſpiritus animales, ſenſationem non fieri, niſi iteretur perceptio in ſenſu communi. Qui uni objecto valde intentus eſt, ídque præſertim quaſi ecſtaticè contemplatur, alia ſimul externis organis obvia non ſentit. Similiter in ſomnis omnes ſenſus externi otiantur. Non veriſimile eſt, nullos ſpiritus animales inter dormiendum ad externa membra deferri. Artus enim laboribus laſſati ſomno plurimùm reficiuntur: quod vix fieret, ſi toto eo tempore ſpiritibus animalibus privarentur. Denique, nemo rectè dicere aut cognoſcere poteſt ſe ſentire, niſi id quod externum organum percipit ſenſu communi recognoſcat. Eſt ergò ſenſus perceptio compoſita ſeu modificata; ſcilicet, eſt perceptio duplicata, & ſuos actus implicitè dijudicat ſeu recognoſcit.

12. Jam reſumo propoſitionem modò aſſertam, primam ſeu ſimplicem perceptionem eſſe immediatam actionem vitæ ſubſtantialis: nempe ipſam primam facultatem perceptivam immediatè radicari in vita ſeu natura ſubſtantiali energetica, & à ſolo Deo creatione inſeri, ſolâ annihilatione eradicari poſſe: alioquin verò iiſdem modificationibus ſubjici quibus ipſa materia ſubjecta eſt, ut dictum. Ipſa enim percipientis ſubſtantia res eſt quæ immediatè percipit. At ſi facultas percipiendi

Primam vitam eſſe ſubſtantialem.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 19 sur 591

©BIUM

cipiendi non immediatè in ſubſtantia radicetur, hæc ejus actum non immediatè percipiet. Si enim vita originalis, quæ non ineſt per ſolam participationem, ſit ſubſtantiæ immediata, ſcilicet, ſi ſit ipſa ejus natura operativa; proculdubio primus actus hujus vitæ, quæ eſt perceptio, erit quoque ſubſtantiæ immediata. Actus enim eodem ſubjecto quo ineſt facultas proximè inhæret. Dices, non neceſſe eſſe ut prima perceptio ſit ſubſtantiæ immediata. Reſpondeo, ſi ſenſus nihil aliud ſint quàm primæ perceptionis modificationes, ut declaravimus; neceſſum eſſe, illa in ſubjecto his priore ſuſtentetur. Etſi enim ſenſus, qui modificant primam perceptionem, ſive animæ ſenſitivæ, ſive organis & ſpiritibus, proximè inhærere dicuntur; ea tamen, quam modificant, ante modificationem fuiſſe planè ſine ſubjecto putanda non eſt. Cúmque nullum ſubjectum præter materiam tunc adfuiſſet, neceſſe eſt ejus naturam energeticam fuiſſe hoc ſubjectum. Dices, eam inhæſiſſe animæ ſenſitivæ etiam antequam organa formabantur. Hoc enim luculenter teſtatur vis plaſtica. Hinc contra ſe objicit acutiſſimus Scaliger Exerc. 6. nº. 9. *Si canis anima eſſet actu in ſemine, canis ſemen eſſet canis. Aſſentior. Eſt enim canis imperfectus, carens tantùm articulationibus.* Reſpondeo, durum verbum eſſe, animam ſenſitivam adeſſe ubi nullus adeſt ſenſus, aut organum per quod quicquam ſentire queat. Dixit olim Ariſtoteles *animam eſſe actum corporis organici.* Dic quo modo organa actuat ubi nulla ſunt. Sed potentiâ ſunt, & anima in eorum formatione exercetur. Sed miretur quis, ſi formet, quâ occaſione eorum adeò obliviſcitur, ut nè minimam eorundem notitiam retineat. Bruta enim quo modo ſua organa formantur, aut formari debent, planè neſciunt. Hoc adeò torſit ſubtiliſſimum Scaligerum, ut vix ſibi conſtiterit.

Origo virtutis plaſtica.

ſtiterit. Ejus enim verba, Exerc. eâdem, nº. 5. eum de hac re incertum fuiſſe, anſam ſuſpicandi miniſtrant. *Si extrinſecùs venit forma, atque interea, ut ſcribunt, omni perfectionum genere inſtituitur materia; ab aliquo intus & qualitates, & quantitates, & numeros, & ordines, & ſitus apparari atque inſtitui neceſſe eſt; denique, corpus ipſum totum fabricari. Hæc fabrica fit aut à ſubſtantia, aut ab accidente, aut ab utroque. Non ab accidente ſolo. Primùm, quia nullum accidens agit niſi per vim ſuæ ſubſtantiæ. Deinde, quia nullum accidens cognoſcit: illa verò virtus, tam nobilis templi architecta, ſapientiſſima ab hominibus philoſophis judicata eſt. Ædificabitur igitur à ſubſtantia. At hæc forma ſeminis eſt. Sanè ſeminis forma, ſi non eſt anima, bruta res eſt. Et ſi fabricat, eſt æqualis animæ. At incrementis, & amiſſæ carnis repoſitione, opus illud animæ eſt. Erit igitur in ſemine anima formatrix antecedens animam, cui parat illud domicilium. Quare prior illa poſteriore hâc ſapientior ac nobilior. Quemadmodum nos anteit poteſtate ac ſapientiâ Creator Optimus Maximus, qui noſtra hæc utenda dedit nobis. Oportet enim fabricatricem illam non ignorare quid & quantum opus habeat illa altera ingreſſura. Ergò cùm cor ædificat, ſcit quid ſit vita: cùm alias molitur partes, notam habet earum partium & finem & uſum.*

Explicatio ſententiæ Scaligeri.

13. Hæc formationis explicatio ſuas veritates erroribus forſan implexas habet. 1º. Rectè quidem ſtatuit architectum animalis eſſe ſubſtantiam, & efficaciter (ut puto) probat. Quod ſententiam noſtram directè confirmat. 2º. Rectè infert, dari perceptionem ſenſu priorem. Quod noſtræ ſententiæ plurimùm quoque favet. Vix enim fieri poteſt quin ea perceptio compoſitionem ſenſûs, prout ſuprà declaravimus, ingrediatur. 3º. Rectè quoque encomia à Philoſophis

©BIUM

loſophis naturæ aſcripta huic perceptioni transfert. Denique, 4°. rectè quoque aſſerit, animam ſenſitivam in hoc domicilio à natura parato inhabitare. Verùm è contrà, 1°. perperàm ſumit ſemen canis pro materia fœtûs canini. Sed communis hic Philoſophorum error fuit ante Cl. D^ris^. Harvei noſtratis tempora, qui primus Libro ſuo de Generatione efficaciter evicit, ſemen materialiter compoſitionem ovi non ingredi. 2°. Fallitur, ubi duas animas ad generationem exigit, priorem ad formationem fœtûs, poſteriorem ad inhabitationem materiæ formatæ. Nam quò evadit prior anima? aut unde venit poſterior? Videntur ſolo gradu perfectionis differre; prior imperfectior, poſterior perfectior eſt. Atque hoc ipſum Scaligero ſatìs innotuit, utcunque in raptu contemplationis perfectionis prioris perfectio poſterioris ei exciderat. Dixit enim poſtea, *ſemen canis eſſe actu canem, ſed imperfectum, & carere modò articulationibus.* 3°. Perperàm priorem poſteriori præfert, & contra ſenſum ſuum modò relatum: ſed ſuccinctè ſcribit: forſitan hîc opus eſt interprete. Dicendum igitur eſt, diverſo reſpectu eum modò hanc, modò illam prætuliſſe. 4°. Admiratione perfectionis perceptionis naturalis quaſi afflatus, ad immediatam Dei operationem recurrit. *Quare prior illa* (inquit) *poſteriore hâc ſapientior ac nobilior. Quemadmodum nos anteit poteſtate & ſapientiâ Creator Opt. Max. qui noſtra hæc utenda dedit nobis.* Sed Scaligerum de ordinario concurſu Dei in formatione fœtûs interpretor. Video enim eum hoc ſenſu à Doctore Baſſone p. 195. accipi, & refutari. Sed hic bonus Doctor nimis anguſtas & leves cogitationes de Deo Divinóque mundi regimine amplectitur & fovet. Ità enim de iis loquitur, quaſi Deus ſuo mundo commodè præſidere nequeat, eúmque nutu ſuo ordinare & regere,

©BIUM

gere, nisi creaturas ad munia sua, suppositò concursu ordinario, naturaliter obeunda, insufficientes & inidoneas primò fabricâsset. Quid? Ergò mundum ab initio rudem, mancum, imperfectum, novis miraculis indies reparandum & instaurandum, dedit? Equidem istiusmodi opiniones ulteriori refutatione indignas puto. Dei consilia in regimine Universi abdita sunt & inscrutabilia, non cuivis ardelioni obvia: neque regimini ejus vel minimùm officit creaturæ naturalis perfectio, quin ad gloriam ejus plurimum facit.

Perfectiones naturalis perceptionis.

14. Verùm nè Scaligeri discipuli, aut etiam Basso, aliúsve quispiam, perceptionem naturalem fines creatæ seu finitæ perfectionis transilire putent; ejusdem tum perfectiones tum imperfectiones paucis perstringere conabor. Primò, perceptio naturalis integrum objectum suum, & quicquid in eo continetur, & quo ordine singula se respiciunt, perfectè, hoc est, absque ignorantia aut errore, noscit. Secundò, causas se afficientes in effectis, quamdiu hi sibi inhærent, intuetur. Tertiò, omnes suas dispositiones seu aptitudines ad formam, ad quam à generante aut aliàs ordinata est, accuratè percipit; ipsiúsque ideæ formæ futuræ, methodíque quâ materia ad operationes ejus accuratè accommodetur, exactam notitiam habet. Estque materia fœtûs sic dispositа sufficiens subjectum naturale virtutis plasticæ: neque necesse est ut, (juxta sententiam Bassonis) ad catuli in utero, aut pulli in ovo, formationem, ad extraordinarium Dei concursum, seu ad miracula, confugiamus. Sed adhuc forsitan declament hasce virtutes esse nobiliores ipsâ ratione animæ rationalis, & propterea materiam fœtûs non esse tanto honore dignam. Sed audi igitur imperfectiones quoque ejusdem. Primo loco pono an-

Imperfectiones ejusdem.

 gustiam

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 23 sur 591

©BIUM

guſtiam objecti ejus. Extenditur enim, directè, tantùm ad ſubjectum percipiens. At obliquè ſuam objectivam rationem ampliat: & non tantùm ad alterationes in ſe factas earúmque cauſas, ſed & ad effectus à ſe oriundos, qui in eorum cauſis, nempe in ſeipſo, relucent, quibúſque referas ideam fœtûs formandi, extenditur. Verùm quanta eſt hæc anguſtia objectiva, ſi orbitæ ſolius viſionis animalium conferatur, quæ ad ſidera uſque quoquoversùm excurrit? Quare naturalis perceptio objectivè à perfectione ſenſuum plurimùm deficit. Secundò, perceptio naturalis etiam quoad modum percipiendi aliquid imperfectionis implicat. Simpliciter enim percipit; & quicquid in ſe eſt, aut ad ſe ſpectat, aut à ſe reſultare aptum eſt, ſolo ſimplici ſuiipſius intuitu cognoſcit. Nedum perceptionem hanc ſimplicem ad compoſitam ſeu duplicatam reducendo, objectum ſuum dijudicat, aut cum voluptate recognoſcit. Atque hoc reſpectu cedit perfectioni ſenſuum, qui ſuos actus cum complacentia dijudicant. Tertio loco, dico perceptionem naturalem nullo modo poſſe actionem ſuam ſuſpendere, aut ſe ab objecto oblato avertere; ſed perpetuò ad excitandum appetitum naturalem & facultatem motivam rectà pergere. Verùm ſenſus poteſt ab objecto ad objectum ſe divertere, & varietate eorum ſe oblectare: quod magna eſt ſenſuum præ perceptione naturali prærogativa. Quarto loco, perceptio naturalis ſub nulla indifferentia electiva objectum appetitui repræſentat. Hinc dicitur natura determinari ad unum, & neceſſariò agere: non quòd cogatur, ſed quòd ſpontè (quatenus ſumitur pro non invitè) & ſimul neceſſariò operetur. Senſus verò perfectiore modo objectum, & ſub aliqua indifferentia, ſenſitivo appetitui referre ſolet. Hinc bruta animalia alicujus diſciplinæ & pœnæ præmiíque capacia eſſe obſervantur;

©BIUM

obſervantur; res verò purè naturales ad hæc planè inhabiles deprehenduntur. Rectè itaque dixit Scaliger, *ſemen* (hoc eſt, genituram) *canis eſſe canem imperfectum, quòd careat articulationibus:* nec obeſt quòd dixerat, *illam virtutem, tam nobilis templi architectum, ſapientiſſimam ab hominibus philoſophis judicatam fuiſſe.* Sic enim eſt, ſi reſpicias accuratam quam habet ſui objecti, nullo errore permixtam, ſimplicem notitiam, & admirandam fœtûs formationem, quam αὐτοδιδακτος aggreditur, & viâ compendioſiſſimâ perficit. Verùm hæc formatrix tam prudens, tam ſapiens domi, nihil foras judicat aut agit. Intus habitat, ſibi ſoli proſpicit, ſibi ſoli vivit.

15. Celeberrimus D. Harveus non longiùs ab hoc judicio de vi plaſtica aberat, quanquam nonnihil dubitem an perceptio naturalis ei perfectè innotuerit. Sic enim loquitur pag. 145. de Generatione: *Quoniam igitur* (inquit) *in pulli fabrica ars & providentia non minùs eluceſcunt quàm in hominis ac totius mundi creatione; neceſſe eſt fateamur, in generatione hominis, cauſam efficientem ipſo homine ſuperiorem & præſtantiorem dari: vel facultatem vegetativam, ſive eam animæ partem quæ hominem fabricat & conſervat, multò excellentiorem & diviniorem eſſe, magiſque ſimilitudinem Dei referre, quàm partem ejus rationalem; cujus tamen excellentiam ſupra omnes omnium animalium facultates extollimus, tanquam quæ jus & imperium in illas obtineat, cuique cuncta creata famulentur. Vel ſaltem fatendum eſt, naturæ operibus nec prudentiam, nec artificium, neque intellectum ineſſe: ſed ità ſolùm videri conceptui noſtro, qui ſecundùm artes noſtras & facultates (ceu exemplaria à nobiſmetipſis mutuata) de rebus naturæ Divinis judicamus; quaſi principia naturæ activa effectus ſuos eo modo producerent quo nos opera noſtra artificialia*

Harveus quoque exponitur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 25 sur 591

©BIUM

tificialia ſolemus, conſilio nempe & diſciplinâ ab intellectu ſive mente acquiſitâ. Non dubium eſt quin vis plaſtica perceptione naturali in formatione fœtûs utatur, eâque dirigatur: ſed ſimplici, directo, & neceſſario modo procedendi, abſque arte, deliberatione aut conſilio, imò abſque ratione aut ratiocinio, ſimúlque abſque errore, (niſi materia redundet aut deficiat) opus ſuum perfectum edit. Hæc perfectio (ut rectè notat Harveus) non eſt æſtimanda quaſi à perfectiſſimo modo intelligendi perveniret, cùm ſit humillima & infima baſis omnis perceptionis materialis, & ſenſus ſit ultima perfectio ad quam aſpirare aut promoveri vel ſolet vel poteſt.

Dari perceptionem priorem eâ ſenſûs.

16. Ex dictis autem eluceſcit, dari perceptionem priorem, generaliorem & ſimpliciorem eâ ſenſuum; & conſequenter, dari perceptionem naturalem. Dices, etiamſi hæc perceptio non veniat ab anima ſenſitiva, poſſe tamen ab anima vegetativa commodè deduci. Ariſtoteles enim videtur inſinuare, animal primò vivere vitam plantæ, dein animalis. Reſpondeo, ut ſe habet forma grani triticei ad formam plantæ ex ſe formandæ; ità ſe habere formam ovi ad formam pulli indè oriundi: ſed in utriſque formam inchoatam à perfecta ſolis gradibus perfectionis differre; atque hanc fuiſſe mentem Ariſtotelis. Si ergò formam ovi animam ſenſitivam inchoatam (quamvis ſit præter uſum loquendi) vocari placuerit, per me licet: ſed res eódem redit. Ejus enim perceptio non fuerit ſenſitiva, ſed tantùm naturalis. Res aperta eſt in grano tritici, in quo ſimiliter ineſt perceptio naturalis, quâ ſe ſatum in plantam ſui generis format, ſed ad ſenſum nunquam aſpirat. Atque adeò hæc perceptio res clarè diſtincta eſt à ſenſu.

Animam

17. Dices, utcunque ſit diſtincta, inhærere tamen

animæ

animæ, ſive vegetativæ ſive ſenſitivæ. Reſpondeo, ovum, ſeu materiam fœtûs, in ſe continere formam, (ſive eam animam vocare lubet, ſive formam ovi;) atque eam formam, quandam modificationem vitæ naturalis, & conſequenter perceptionis quoque naturalis, includere: ſed impoſſibile eſſe, ultimum ſubjectum hujus vitæ aut perceptionis ſit ulla anima materialis; quia ea non per ſe ſubſiſtit. Vitæ radix, ubicunque eſt, alicujus ſubſtantiæ vita eſt. Nihil enim inter ſubſtantiam & vitam ſuam intercedere poteſt. Quod non eſt per ſe, ſi vivat, vivit modificando aliud quod per ſe vivit, quódque eſt per ſe. Impoſſibile enim eſt ut aliquid vivat per ſe, hoc eſt, ſit ultima baſis ſuæ vitæ, & interim non ſit ens per ſe ſubſiſtens. Eò enim quòd mutuetur ſuam entitatem ab alio, ab eodem quoque ſuam vitam mutuatur. Ut ergò aliquid vivat per ſe, & nihilominus ſit per aliud, apertam repugnantiam involvit. Fieri poteſt ut aliquid ſit per ſe, & vivat per aliud; ſcilicet per vitam participatam ab alio: ſed vivere per ſe, & eſſe per aliud, impoſſibile eſt. Nam quod vivit per ſe, vivit vitam à nulla creatura præter ſeipſum dependentem. Hoc enim verba, *vivere per ſe*, ſonant. Attamen quod non eſt per ſe, ejus vita eſt dependens ab alio. Nam ſi ſubjectum non eſt per ſe, multò minùs id quod ei inhæret fuerit per ſe. Porrò, vita eſt eſſentia rei cujus eſt. Si ergò eſſentia rei non ſit per ſe, neque fuerit vita ejuſdem. Eſſentia animæ materialis non eſt per ſe, ſed à materia eſſentialiter dependet; & per conſequens vita ejus à materia ſimiliter dependet. Et ut eſſentia animæ eſt modus ipſius materiæ; ità vita animæ eſt modus vitæ ejuſdem. Nam ut anima materialis ejúſque vita non realiter differunt; ità materia ejúſque vita primæva tantùm ut inadæquati conceptus ejuſdem rei diſtinguuntur.

materialem non eſſe primam vitæ originem.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 27 sur 591

©BIUM

tur. Enimvero ſi anima materialis foret ens per ſe ſubſiſtens, quemadmodum eſt anima rationalis, facilè admitterem eam poſſe originem vitæ ſecum materiæ adferre. Cùm verò non per ſe ſubſiſtat, quî fiat ut non ab alio originem ſuæ vitæ derivet? Profectò vita originalis eſt alicujus entis per ſe ſubſiſtentis natura energetica. Non exiſtimandum eſt, tam nobilem entitatem qualis eſt ens per ſe ſubſiſtens, eſſe inutilem, & ad nullam operationem natam. Quare in ſua entitate naturam energeticam à ſe non realiter diſtinctam involvit; quæ principium operandi ſimpliciter primum (reſpectu cauſarum ſecundarum) eſt. Primò itaque percipit, primò appetit, primò movet; viz. quatenus per ſe ſubſiſtit. Abſque his dic quo modo operari poteſt. Omnis operatio eſt vel perceptio, vel appetitus, vel motus. Cùm ergò natura ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis ſit energetica, ſeu primum principium operandi, eſt quoque primum percipiens, appetens, & movens; & conſequenter primum quoque vivens. Aliter enim nec percipere, nec appetere, nec movere, aut omnino operari, queat.

Formato fœtu, quid ſit de vi plaſtica.

18. Demum nacti ſumus vitam materiæ per ſe ſubſiſtentis, idoneum vitæ animæ materialis ſubſtramen. Hæc jam illam pergat, ut ſolet, modificare, perficere, exaltare. Quid enim jam prohibet? Exſuſcitet in eadem vim plaſticam, quæ materiam in plantas, aut bruta animalia, juxta prævias ejuſdem diſpoſitiones, formet. Sed ſciat, materiam ejúſque vitam primævam ſe & ſuam vitam, tanquam modos ſuos, ſuffulcire; abſque cujus ſuffulcione, ei nec vivere nec eſſe competit. Sed adhuc manet ſcrupulus, formatâ jam plantâ aut animali, quò evadit hæc vis plaſtica? Proculdubio non egreditur corpore; ſed in eo, durante novâ vitâ, cujus anima materialis limen & terminus eſt, manet, & naturali vitæ partium tum ſimilarium tum organicarum præ-

©BIUM

præſidet. Nè careat nomine, Chymici (ni fallor) primi eam *Archeum* vocârunt; fortè potiùs *Archæum* ſcriberent: nempe vel ab antiquitate, quòd primævam materiæ vitam ſimplici quadam modificatione exaltatam includat; vel à principatu & dominio, quòd toti naturali conſtitutioni, quaſi œconomus, præficiatur. Verùm modò de re conveniat, de nominibus nè laboremus. Res ipſa, ut alibi notavi, non fuit ipſi Hippocrati ignota, ubi dicit *naturas eſſe morborum curatrices.* Per naturam enim, eandem rem quam illi Archeum nominant, inſinuat. Vita enim materiæ ſic ſimpliciter modificata res eſt quæ naturalem conſtitutionem totius & partium regit. Hæc vitiata organa reparat, ſolutas continuitates conſolidat, excrementa & inutilia excernit, ea quæ ſecundùm naturam ſunt, quantum in ſe eſt, conſervat. Medicamenta enim nihil quicquam operantur, defuncto hoc Archeo, ſeu vitâ naturali. Audiamus quoque de hac naturæ vita ſubtil. Scaligerum Exerc. laudatâ, nº. 15. *Quoniam diximus animam ſibi dearticulare corpus; videndum, quare naſcuntur oculis & auribus occluſis catelli. Veteres dixêre, Quia matricem lacerant unguiculis, atque iccirco parens immaturum ejicit fœtum, pertæſa moleſtiarum. Hoc falſum eſt. Non enim ſtatum tempus haberent pariundi. Aſt habent. Sed evenit ità naturæ conſilio, ſicut in aliis aliorum membris animalium, quæ agnaſcuntur poſtea. Cujuſmodi dentes, pili, cornua, calcaria, pennæ.* Manet ergò vis plaſtica, ſeu vita naturalis, in animalibus formatis, & conſtitutioni naturali præeſt; viz. eam ſuâ perceptione, appetitu & motu naturalibus regit. Tota enim perceptio naturalis non vertitur in ſenſum, quia nervus eam ad ſenſum communem ſeu cerebrum deferre nequeat. Hinc frequenter accidit, quæ ſenſibus placent, Archeo diſpliceant

& no,

©BIUM

& noxia ſint: ut multi cibi, qui arrident palato, ad ſanitatem non conducunt. Et ſimiliter dicendum eſt de omnibus immoderatis; quæ, utcunque appetitui & ſenſibus grata ſint, Archeum laceſſunt. Sed de his ſatis.

Generalia facilius incurrere in ſenſum quàm particularia.

19. Aliqui fortaſſe putabant generales, qui hîc tractantur, conceptus præmaturè in ſcenam evocari: omnes formas particulares priùs inveniendas eſſe, & deinde ad univerſales aſcendendum. *Quicquid enim eſt in intellectu, priùs fuit in ſenſu.* Verùm hoc ratiocinium falſæ innititur ſuppoſitioni, *rationes rerum particulares priùs incurrere in ſenſum quàm univerſales.* Sciendum enim eſt, formales conceptus, ſive generales ſive particulares, realiter in ſingulis exſiſtere, & quò generaliores, eò citiùs & faciliùs (uno excepto corpore miſto) ſenſus noſtros afficere. Quod demonſtrari poteſt. Duo Studioſi, *A*, *B*, præaltam conſcendunt turrim; circumſpiciunt, & colloquuntur. A. *Heus, ſocie, videor mihi à longinquo videre aliquid.* B. *Vide'n' aliquid, inepte? ergóne vides ens in genere?* A. *Profectò, niſi mei hallucinantur oculi, video aliquid. Agè huc, verte vultum Auſtrum verſús. Circa apicem iſtius montis quid fuſcum ſeu nigricans conſpicias.* B. *Cerno. Sanè eſt ſubſtantia; & vel dæmon ſeu ſpectrum, vel corpus.* A. *Mi irriſor, tu quoque ſubſtantiam in genere vides?* B. *Video ſubſtantiam primam; ſed ad quam ſpeciem referam, nondum ſcio.* ——— A. *Sed procul dubio eſt corpus. Longiùs enim dimovetur à loco quo primò conſpexi. Fortè eſt rheda.* B. *Non eſt. Herclè enim nunc dividitur: ſunt animalia. Fortaſſe armentum jumentorum eſt: horſum aguntur.* A. *Túne animalia quoque in genere cernis? Manda hoc memoriæ, ut de eo diſſeramus poſtea.* B. *Tace, quæſo, parumper, ut accuratiùs objectum contemplemur.* ——— A. *Eho: ſatìs ſiluimus. Sunt ſeptem equites:*

equites: huc properant: ſed individuales eorum rationes nondum ſenſu diſcernere licet. B. *Non tu tacebis?* A. *Taceo.* ——— *Equidem ſunt amici noſtri quos exſpectabamus. Sed iterum adverte, ut rationes rerum ſingulares ultimò ſenſus noſtros feriunt.* B. *Sed deſcendamus ut iis de reditu gratulemur.* Profectò objectivi conceptus rerum univerſalium non tantùm in ſingulis exſiſtunt, verùm etiam quò univerſaliores, eò faciliùs & magis perſpicuè ſenſibus noſtris occurrunt. Quare laborioſis & completis hiſtoriis, (quas formæ particulares quærunt) ut è ſingulis eruantur, non opus habent; imò earum vix capaces ſunt, quòd ad omnia, aut ferè omnia, extendantur. Hoc ipſum Celeberrimus D^nus^ Baconius in ſuo Novo organo p. 310. inſinuare videtur. *Neque* (inquit) *hujus motûs exempla proponi conſentaneum eſt: ineſt enim omni corpori.* Ob hanc cauſam memet ferè hactenus in generaliſſimis rerum rationibus exercui; & poſtquam ad formas & motus particulariores deventum eſt, ob defectum plenarum hiſtoriarum opus hoc viſum eſt abrumpere.

20. Porrò, nonnullis forſan ſententiæ novitas diſpliceat: ſed & forſitan præter cauſam. Non enim quicquid novum eſt, ſtatim faſtidiendum. Etiam ea ipſa quæ jam bene vetuſta ſunt, olim nova fuerunt. Imò quorſum opus eſt novo libro, ſi nihil adferas quod non ſit dictum priùs? Nonne perindè eſt ſive in veteri ſive in novo codice idem legas? Enimvero multitudine librorum jamdudum ingenia ſtudentium magis diſtrahuntur & defatigantur, quàm eruditur aut adjuvantur: tantùm ſi quid offeratur quod ab aliis omiſſum fuerat, fieri poteſt ut aliquid cumulo cognitionis humanæ accedat. Nemo putet me hæc dicere, quaſi novitatis ſtudio totus ſim abreptus. Ve-

Nova inventa non neceſſariò ſubruunt authoritatem veterum.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 31 sur 591

©BIUM

terum vestigiis, si quâ, salvâ veritate sensuum testimonio manifestariâ, liceat, insisto; eos quantum licet candidè interpretor; in eorum authoritate quousque fas est acquiesco. Nedum æquum aut justum arbitror, ea magna mundi lumina, Hippocratem, Platonem, Aristotelem, Democritum, Galenum, &c. qui, quantum in se erat, neque sine magno suo labore ac studio, quicquid iis notum videbatur posteris fideliter communicârunt, tanquam veritatis osores aut hostes humani generis traducendos aut prosequendos esse: nimirum quòd iis omnia ab initio non innotuerint; quòd in nonnullis lapsi aut decepti fuerint; quòd multa iis ignota à posteris inventa fuerint. Imò oportet nos esse insigniter ignavos & stupidos, si tanto temporis tractu eorum inventis nihil addiderimus. Quid igitur dicendum est? Si mihi daretur optio, nec veterum authoritas vilescceret, nec neotericorum industria flacceſceret; sed veritas undicunque, viz. omnibus viis & modis, perveſtigaretur. Hæc enim, sepositâ animositate, optimè consistere posse videntur.

Prolegomena absolvimus. Jam Tractatum hunc in manus tuas (ingenue Lector) trado, eundémque, & quicquid ei hîc præluſi, judicio tuo subjicio. A præjudicio apprimè cave: hominum etiam acutissimorum mentes frequenter occæcat. Scis, quàm sumus mortales; labi, errare, perinde mihi ac tibi pronum est. Utere humanitate tuâ. Verùm plurima hîc perpensa & sæpius trutinata proponuntur: nè ergò præproperè judices. Utcunque candidam tuam interpretationem præ rigida censura expetendam judicat tuus ex animo

Amicus,

F. G.

Summa contentorum in Epistola ad Lectorem.

1. *Nihil simul concretè & distinctè concipi.*
2. *Fundamenta duo inadæquatorum conceptuum; præsentia, & absentia.*
3. *Duo alia fundamenta; similitudo, & dissimilitudo.*
4. *Similitudinis divisio in quidditativam, & quoddditativam.*
5. *Dissimilitudinis divisio in simpliciter, & similiter dissimilem.*
6. *Modus inveniendi similitudines rerum.*
7. *Primum nostrum tentamen de vita Naturæ, an sit substantialis.*
8. *Animas materiales esse modos materiæ.*
9. *Eas primum rudimentum vitæ non adferre.*
10. *Sensus oriri ex organica primæ vitæ modificatione.*
11. *Quomodo perceptio naturalis fit sensitiva.*
12. *Primam vitam esse substantialem. Virtutis plasticæ origo.*
13. *Explicatio sententiæ Scaligeri.*
14. *Perfectiones naturalis perceptionis, ejusdémque imperfectiones.*
15. *Harveus quoque exponitur.*
16. *Dari perceptionem priorem eâ sensus.*
17. *Animam materialem non esse primam vitæ originem.*
18. *Formato fœtu, quid sit de vi plastica.*
19. *Generalia faciliùs incurrere in sensum quàm particularia.*
20. *Nova inventa non necessariò subruunt authoritatem veterum.*

Elenchus Capitum.

CAP. I.

De substantia in genere.

1. *Scopus Authoris.* pag. 1.
2. *Distinguitur substantia in transcendentalem, & prædicamentalem.* ibid.
3. *Substantia transcendens asseritur.* 2.
4. *Suarium eam agnoscere.* 3.
5. *Substantiæ transcendentis divisio.* 4.
6. *Ejus compositiones.* ibid.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 33 sur 591

CAP. II.

De variis acceptionibus ſubſiſtentiæ, ſubſtantialitatis, ſuppoſitalitatis, perſonalitatis, naturæ, eſſendi per ſe, & modorum.

1. *Subſiſtentiæ diſtinctiones. Prima.* pag. 6.
2. *Secunda, quæ præcipua.* ibid.
3. *Definitio ſubſiſtentiæ fundamentalis.* 7.
4. *Definitio ſubſiſtentiæ modalis.* 8.
5. *Subſtantialitatis diſtinctiones.* 9.
6. *Naturæ ſignificationes.* 10.
7. *Eam non abſtrahere totam rei entitatem.* ibid.
8. *Naturæ diviſio in fundamentalem, & energeticam.* ibid.
9. *Differunt ut inadæquati conceptus.* 11.
10. *Eſſe per ſe variè ſumitur.* 12.
11. *Modi diſtinctio in afficientem, unientem, & terminantem. Afficiens quid.* 13.
12. *Modi unientes.* ibid.
13. *Modi terminantes.* ibid.
14. *Modi afficientes aſſeruntur.* 14.

CAP. III.

Quæſtio, An natura ſubſtantialis in ſuo conceptu includat ſubſiſtentiam fundamentalem.

1. *Naturam & ſubſiſtentiam ex parte rei differre.* pag. 14.
2. *Suarii ſententia.* 15.
3. *Ejus error.* ibid.
4. *Refutatur.* 16.
5. *Eſſe per ſe contrahere ens ad ſubſtantiam.* ibid.
6. *Et ab accidente diſtinguere.* 17.
7. *Subſtantiæ naturam eſſe ſimplicem.* 18. *in perpetuis.* ibid. *non in caducis.* ibid.
8. *Duplex corruptio idem probat.* 19.
9. *Eſſe per ſe non competere ſubſiſtentiæ modali.* 20.
10. *Subſiſtentiam modalem à natura dimanare.* 21.
11. *Suarii nova ſententia de natura ſubſtantiæ rejicitur.* 22.
12. *Subſtantiam eſſe ens per ſe ſubſiſtens.* 23.

CAP. IV.

In qua re conſiſtit ratio ſubſiſtentiæ modalis.

1. *Subſiſtentia naturam complet.* pag. 24.
2. *Scoti de ea ſententia refellitur.* ibid.
3. *Entitatem ſubſiſtentiæ non conſiſtere in ſola negatione.* ibid.
4. *Negatio ſuſtentationis ab omnã*

omni alio ſoli Deo competit. 25.
5. Negatio hæc non ſpectat ad ſubſiſtentiam modalem. 26.
6. Eſſe per ſe non ſufficit ad naturæ complementum. ibid.
7. Rem fieri incompletam per additionem. 27.
8. Statum diviſum non eſſe puram negationem. 28.
9. Unionem continuitatis non eſſe ſubſtantialem. 29.
10. Creaturam ſine ſubſiſtentia eſſe impoſſibilem. 30.
11. Divus Thomas defenditur. ibid.
12. Communicabilitas ab univerſalitate diſtinguitur. 31.
13. Naturas completas uniri poſſe. 32.
14. Principium incommunicabilitatis monſtratur. 33.
15. Naturas creatas uniri poſſe, mutatâ ſubſiſtentiâ. ibid.
16. Suppoſitalitatem non eſſe diviſibilem. 34.
17. Variæ acceptiones diviſibilitatis. 35.
18. Subſiſtentia Suarii duo ſignificat. ibid.
19. Status diviſus ex Suario probatur. 36.
20. Suarium diſtinguere ſubſiſtens à ſuppoſito. 37.
21. Duplex ſubſiſtentia in Deo agnoſcitur. ibid.
22. Natura non opponitur ſubſiſtentiæ fundamentali. 39.
23. Naturam eſſe cauſam ſuppoſitalitatis. ibid.
24. Hanc non conſiſtere in negatione ſuſtentationis. 40.
25. Animam rationalem in ſtatu ſeparato eſſe perſonam, non in conjuncto. 41.
26. Idem confirmatur. ibid.
27. Alia confirmatio. 43.
28. Objectioni occurritur. 44.
29. Quinque requiſita ad ſuppoſitum. 45.
30. Quatuor priora eſſe communia; quintum eſſe proprium. 46.
31. Ad perſonam inſuper requiri intellectum. 47.
32. Suppoſitalitatis cauſa. 48.
33. Effectus ejuſdem. 50.

CAP. V.

An ſubſiſtentia modalis ex parte rei differat à natura à qua dimanat.

1. Sententia veterum. pag. 51.
2. Refutatur. ibid.
3. Scoti ſententia examinatur. 52.
4. Negatio unionis à negatione ſuſtentationis diſtinguitur. 53.
5. Statum diviſum in ſola negatione non conſiſtere. ibid.
6. Supponere actumvitalem. 54.
conſiſtere in confœderatione ſibi ſoli. 55.
7. Hic actus exponitur. ibid.
8. Optimè exponitur per analogiam ad actionem. 56.
9. Confœderatio duplex eſt. 57.
10. Principium individuationis

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 35 sur 591

©BIUM

duplex eſt. 58.
11. *Modus quo fiunt univerſalia.* 59.
12. *Individuatio diſtinguitur in primam, & ultimam.* 60.
13. *Univerſale & ſingulare in eadem re non differunt.* 61.
14. *Alia diviſio individuationis.* 62.
15. *Singulare & incommunicabile differunt.* 63.
16. *Suppoſitalitatem eſſe principium individuationis.* 64.
17. *Probatur primò.* 65.
18. *Idem argumentum illuſtratur.* ibid.
19. *Probatur ſecundò.* 66.
20. *Probatur tertiò.* ibid.
21. *Objectioni occurritur.* 68.
22. *Status diviſus in perpetuis rigidè ſumendus.* 69.
23. *Non in caducis.* 70.
24. *Limites individuationis.* ibid. 1. *Continuitas.* ibid.
25. 2. *Additio & ablatio nè ſit ſpectabilis.* 71.
26. 3. *Diviſum eſſe ab omnibus aliis.* ibid.
27. 4. *Manente naturæ ſcopo, manet individuum.* 72.
28. 5. *Manente ideâ ut ejuſdem rei, manet individuum.* 73.
29. *Ideam poſſe rem anticipare.* ibid.
30. *D. Thomæ ſententia exponitur.* 74.
31. *Ulterior expoſitio.* 75.
32. *Integra deſcriptio ſuppoſitalitatis.* 76.

CAP. VI.

Diviſiones naturæ ſubſtantialis.

1. *In fundamentalem, & energeticam.* pag. 77.
2. *In materialem, & immaterialem.* ibid. *in completam, & incompletam.* ibid. *Natura dicitur incompleta dupliciter.* 78.
3. *Forma corporis in genere exponitur.* ibid.
4. *Diſtinguitur genus in ſimile, & ſimiliter diſſimile.* 79.
5. *Formas ſubordinatas in eodem individuo non differre.* 80.
6. *An formæ ſuperiores, deſtructis inferioribus, maneant.* ibid.
7. *Aliquo modo manere, aliquo modo non.* 82.
8. *Ulterior explicatio.* ibid.
9. *Omnes formas ſuperiores non eſſe ſimiliter ſeparabiles.* 83.

CAP. VII.

De materia prima.

1. *Variæ acceptiones materiæ.* pag. 84.
2. *Materia integre concepta quid.* ibid.
3. *A Poetis comparatur Empuſæ.* 85.
4. *Item chaa.* ibid.
5. *In tres inadæquatos conceptus dividitur.* 87.
6. *Materiæ primæ perpetuitas mon-*

monſtratur. ibid.
7. *Ejus exſiſtentia.* ibid.
8. *Subſiſtentia fundamentalis.* 88.
9. *Eam non eſſe modalem.* ibid.
10. *Materiæ natura energetica. Ejus perceptio aſſeritur.* 90.
11. *Non eſſe principium mutationis.* 91.
12. *Materiæ primæ facultates eſſe incompletas.* ibid.
13. *Eam non eſſe puram potentiam.* 92.
14. *An potentia materiæ ab entitate ejuſdem differat.* 94.
15. *Materiæ dignitas vindicatur.* ibid.
16. *Eam eſſe formæ cauſam.* 95.
17. *Quid ſit educi è potentia materiæ.* 96.
18. *Moles materiæ æſtimatur.* ibid.
19. *Eam differre à quantitate.* 97.
20. *Diſtinguere ſpiritum à corpore.* ibid.
21. *Quid ſit moles.* 98.
22. *Molis effectus formalis.* 99.
23. *Nominales refutantur.* 100.
24. *Moles includit aliquid per modum craſſimenti.* 101.
25. *Materiam eſſe ultimum accidentium ſubjectum.* 102.
26. *Probatur.* ibid.
27. *Aliquorum accidentium eſſe ſubjectum immediatum.* 103.
28. *Ut quantitatis interminatæ.* 104.
29. *Quæ aſſeritur.* 105.
30. *Quantitatem terminatam eſſe mutabilem.* ibid.
31. *Terminationem quantitatis non provenire à forma, ſed à motu materiæ.* 106.
32. *Interminatam quantitatem exſiſtere.* 107.
33. *Exſiſtentia diſtinguitur; & Zabarella exponitur.* 108.
34. *Interminatam quantitatem eſſe inadæquatum conceptum.* 110.
35. *Objectioni occurritur.* ibid.
36. *Argumentum contra Nominales.* 112.
37. *Continuitatem & diviſibilitatem eſſe interminatas.* ibid.

CAP. VIII.

De materia ſecunda, & formata.

1. *Eas eſſe inadæquatos conceptus.* pag. 113.
2. *Dari materiam ſecundam.* 114.
3. *Quid addit primæ.* ibid.
4. *Principium mutationis. Duæ ejus cauſæ, externa & interna, notantur.* 115, 116.
5. *Particulares cauſæ. Prima, Deſtinata vitæ periodus.* 116.
6. *Secunda, Motus ambitionis.* 117.
7. *Tertia, Motus ſeditionis; ad quam ſpectat fermentatio.* ibid.

8. *Cauſa*

©BIUM

8. *Causa generalis, quæ omnes particulares complectitur. Privatio.* 117,118.
9. *Mutatio perfectiva, & defectiva.* 119.
10. *Materia formata quid.* 120.
11. *Adæquatus materiæ conceptus resumitur.* 121.
12. *Materiæ acceptiones inutiles.* 122.

CAP. IX.

De forma physica materiali.

1. *Perperæ descriptiones formæ notantur.* pag. 123.
2. *Quid sit forma, quidque non.* 124.
3. *An detur forma physica.* 125. *Unico argumento hoc monstratur.* 126. *An omnia fiant ex aqua.* ibid.
4. *Mutatio monstratur.* 127.
5. *An forma sit substantia.* 128.
6. *Formam constituere substantiam.* 129.
7. *Communitates inter formas & accidentia; 1ª, 2ª, 3ª.* 130.
8. *Differentiæ inter formas & accidentia; 1ª, 2ª, 3ª.* 131.

CAP. X.

De causis formæ: & primò de materiali.

1. *Formæ causa materialis.* pag. 131. *quæ duplex.* 132.
2. *In qua re causalitas materiæ consistit. Eam aliquid addere conceptui materiæ 1ª.* 133.
3. *Nempe, prævias dispositiones: sed non eas tantùm.* 134.
4. *Per quid materia causet: an per potentiam suam.* 135.
5. *Quid contribuunt præviæ dispositiones.* ibid. *Modus quo determinant.* 136.
6. *Earum necessitas monstratur.* ibid. *Quòd causalitas interminata nihil operetur.* ibid.
7. *Disponere & determinare, in idem tendere.* 137.
8. *Forma non esset natura, nisi ab intus promanaret.* 138.
9. *Adventitia natura debet ab originali eligi.* ibid. *Naturale tripliciter dicitur.* 139.
10. *An actualis causatio materiæ differat à potentia completa.* 140.
11. *Actionem differre à potentia agendi.* 141.
12. *Eductionem formæ esse actionem immanentem.* ibid.
13. *Actionem immanentem differre à suo termino.* 142.
14. *Actionem non esse modum termini.* ibid. *Duplex materiæ causatio, activa, & passiva.* 143.
15. *An generatio activa sit modus materiæ.* 144.
16. *Hunc modum è materia profluere.* 146.
17. *An sustentatio formæ sit modus materiæ, an formæ.* 147.
18. *Hunc modum non spectare ad formam.* 148.
19. *Satisfit*

19. *Satisfit objectioni Suarii.* 149. *Dependentiam & inhærentiam dupliciter accipi.* ibid.
20. *Dependentiam non esse modum termini.* 150.
21. *Nec inhærentiam.* ibid.
22. *Dependentiam negationem privativam dicere.* 151.
23. *Independentia creata duplex est.* 152.
24. *Dependentiam non esse modum formæ.* ibid.
25. *Quod pendet, per seipsum pendet.* 153.
26. *Inhærentiam esse inadæquatum conceptum inhærentis.* ibid.
27. *Modus materiæ est vel activus, vel passivus.* 155.
28. *Determinatio per prævias dispositiones triplex.* 156.
29. *Motus hostilis exponitur.* ibid.
30. *Determinatio eductiva formæ.* 157.
31. *Conservativa formæ.* ibid.
32. *Objectiones tres. Prima.* 158.
33. *Difficultates quibus adversarii implicantur.* 159.
34. *Object. 2. An forma determinet materiæ causalitatem.* 160.
35. *An forma materiam, an materia formam determinet.* 161.
36. *Objectio 3. Ideam generantis non mutari.* 162.

CAP. XI.

De efficiente causa formæ.

1. *Efficientis nomina.* pag. 163.
2. *Motu omnia fieri.* 164. *Motus successivus, & instantaneus: quomodo hic concipiatur.* ibid.
3. *Idearum genera.* 165.
4. *Motum moventis ideam inferre.* 166.
5. *Ideam non realiter differre à motu.* ibid.
6. *Probatur primó.* 167.
7. *Probatur secundó.* 168.
8. *Motus producit terminum.* 169.
9. *Differentiæ terminorum. Prima, Terminus est vel fiens, vel factus.* 170. *Secunda, cum, vel sine victoria.* ibid.
10. *Terminus fluens, vel fixus.* ibid. *Terminus dispositionalis, & habitualis.* 171.
11. *Divisio terminorum in eos per se, & per accidens.* ibid.
12. *Terminum motûs præservare ideam moventis.* 172.
13. *Objectio de generatione æquivoca.* ibid.
14. *In generatione defectiva adest idea.* 173.

CAP. XII.

De generibus & speciebus formarum.

1. *Digressionis hujus occasio.* pag. 174.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 39 sur 591

©BIUM

2. *Formæ eſſentiales & accidentales: ſimplices & mixtæ.* ibid. *elementariæ & ſeminales.* 175.
3. *Hæc diviſio expenditur.* ibid. *Formas ſeminales facilius corrumpi elementariis.* ibid.
4. *Elementa eſſe familias rerum.* 176.
5. *Numerus elementorum.* ibid.
6. *An elementa prius fuerint in miſto.* 177.
7. *Non de novo generari.* 178.
8. *An elementa ſint materiæ ſchematiſmi.* 179.
9. *Mutatio ſchematiſmi non ſemper variat ſpeciem.* 181.
10. *An aqua ſit materia prima.* 182.
11. *Formæ ſeminales differunt ab earum reliquiis.* 183. *Natura formæ inorganicæ.* ibid.
12. *Formæ organicæ natura: ejus diviſio.* ibid.
13. *Formæ accidentales dividuntur in externas, & internas.* 184. *Internæ in motum, & terminum motûs. Quo ſenſu motus eſt forma abſoluta.* 185.
14. *Terminus motûs quid.* ibid.

CAP. XIII.

De natura ſubſtantiæ energetica.

1. *Ratio methodi.* pag. 186.
2. *Quo ſenſu ſubſtantia dicitur ſimplex.* 187. *Dividitur tamen in inadæquatos conceptus.* 188.
3. *Quot modis aliquid dicitur ſimplex.* ibid.
4. *Natura ſubſtantiæ in fundamentalem & energeticam diſtinguitur.* 189. *Energetica dividitur.* ibid.
5. *Naturam energeticam propriè dici naturam.* 190.
6. *Naturam eſſe vivam.* 191.
7. *Tres vitæ facultates eſſe primas & perpetuas.* 192.
8. *Naturas dividi in tres primas facultates.* 193, 194.

CAP. XIV.

De potentiis & facultatibus in genere.

1. *Nomen potentiæ retinendum.* pag. 195.
2. *Dividitur in potentiam ad eſſe, & ad operari.* 196. *Tripliciter aliquid eſt in potentia. Primò, in objectiva.* ibid.
3. *Secundò, in potentia futuritionis.* ibid. *Tertiò, abſtractionis.* 197.
4. *Conſideratur potentia vel abſtractè, vel concretè.* ibid.
5. *An potentiæ relatio ſit prædicamentalis.* 198.
6. *An potentia ſit qualitas.* 199.
7. *An potentiæ ſint puræ relationes.* 200.
8. *Potentiam concretè ſumptam eſſe ens abſolutum, cum relatione.* ibid.
9. *Idem*

9. *Idem confirmatur.* 201.
10. *Potentias ſubſtantiales ſumi concretè.* 202.
11. *Potentias ſubſtantiales non operari mediante accidente.* 203.
12. *Quomodo differunt.* 204, 205.
13. *Ex parte objecti differre.* 206.
14. *Ad quæ prædicamenta potentiæ referendæ ſunt.* ibid.
15. *Potentiam plerumque concretè ſumi.* 207.
16. *Diviſio potentiarum.* ibid.

CAP. XV.

Diſtinctio trium primarum facultatum ab aliis facultatibus vitalibus.

1. *Neceſſitas diſtinguendi perceptionem naturalem à ſenſu.* pag. 208.
2. *Vitales facultates eſſe ter trinas.* 209.
3. *Facultates diſtinguuntur in tres ſeries.* ibid. *Quid commune habent, quid proprium.* ibid.
4. *Earum differentiæ.* 210.
5. *Differentiæ facultatum perceptivarum.* ibid.
6. *Perceptio naturalis à ſenſu differt.* 211. *Differentia prima; ſenſum eſſe organicum.* ibid.
7. *Secunda; naturalem perceptionem eſſe ſimplicem, ſenſum compoſitum.* 212. *Quomodo perceptio naturalis ſuos actus percipit.* 213.
8. *Naturalis perceptio ad plura extenditur quàm ſenſus: differentia tertia.* ibid.
9. *Senſus errare poteſt, non perceptio naturæ: quarta.* 214.
10. *Differentia quinta; ex parte objectorum.* 215.
11. *Aliæ differentiæ.* 216.

CAP. XVI.

Vita naturæ ſubſtantialis à priore aſſeritur: & primò, à cauſis externis; ab efficiente, exemplari, & finali.

1. *Omnes ſubſtantias vivere.* pag. 217.
2. *Etiam materiales.* ibid.
3. *Probatur à priore. Authoritas Platonis, &c.* 218.
4. *Ab efficiente.* ibid.
5. *Dari vitam materialem, non repugnat.* 219. *Plato exponitur.* 220.
6. *Hæc vita non impedit naturæ varietatem.* ibid.
7. *Confirmatur à cauſa exemplari.* 221.
8. *A cauſa finali.* 222.

CAP. XVII.

Vita naturæ ſubſtantialis à cauſa materiali probatur.

1. *Materiam eſſe ſufficiens principium motûs.* pag. 223.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 41 sur 591

2. *Motûs principium esse & vitæ.* ib. *Inanimata non se movere.* 224.
3. *Objectioni occurritur.* 225.
4. *An gravitas sit propriè tribuenda generanti.* 226.
5. *An quicquid movetur, moveatur ab alio.* 227.
6. *Internum motûs principium esse vitale.* 228.
7. *Probatur ratione.* ibid.
8. *Naturam esse principium motûs.* 229.
9. *Res operatur per id quod est.* 230.
10. *Inanimata operari.* 231.

CAP. XVIII.

Vita naturæ substantialis monstratur à causa formali.

1. *Quid sit vita.* pag. 232.
2. *Non esse accidens.* 233.
3. *Vitam non inhærere, ut accidens in subjecto.* ibid.
4. *Galeno satisfit.* 234.
5. *Vitam naturæ primævam non mori.* ibid.
6. *Non vitam, sed vires admittere gradus.* 235.
7. *Vitam primævam non esse accidens.* 236.
8. *Vitam hanc nec esse quantitatem, nec qualitatem.* 237.
9. *Non esse motum.* ibid.
10. *Non esse terminum motûs.* 238. *Vitam non esse actionem.* ibid.
11. *Formam physicam non esse primævam vitam.* 239.
12. *Sed esse modificantem.* ibid.
13. *Probatur non esse primævam.* 240.
14. *Objectioni satisfit.* 242.
15. *Evincitur formam non esse vitam primævam.* 243.
16. *Formam esse vitam modificantem.* 244.
17. *Ulterior confirmatio.* ibid.
18. *Datur motus generalior quavis formâ.* 245.
19. *Vita primæva quid.* 246.

CAP. XIX.

Apparatus ad probationem vitæ naturæ substantialis à posteriore, seu ab effectis.

1. *Quid supereſt agendum.* pag. 247.
2. *Operatio finita infinitæ quid interest.* 248.
3. *Operationes sunt suppositorum.* ibid. *quo sensu verum.* 249.
4. *Veteres per suppositum intellexerunt substantiam fundamentalem.* ibid. *Suppositum distinguitur.* 250.
5. *Descriptio operationis activæ, ut & passivæ.* 251.
6. *Quinque operationum species.* ibid.
7. *Quo sensu quies est operatio.* 252.
8. *Actio & motus seorsim tractandi.* ibid.

9. *Actionis*

9. *Actionis variæ acceptiones.* 253. *Motûs variæ acceptiones.* ibid.

10. *Re-actionem contineri ſub actione.* 254.

11. *Alia diviſio actionis & motûs.* 255. *in immanentes, tranſeuntes, & mixtas.* ibid.

12. *Diſtinguitur operatio in naturalem, violentam, & ex utriſque conflatam.* 256.

CAP. XX.

Differentiæ actionis, paſſionis, reactionis, ceſſationis, motûs, quietis, & terminorum iis reſpondentium, perpenduntur.

1. *Actionem non eſſe extrinſecam denominationem.* pag. 257.

2. *Actionem creationis Deo nihil addere.* 258. *Non fieri per entitatem mediam.* 259.

3. *Creationem paſſivam non eſſe modum creaturæ.* 260.

4. *Actionem tranſeuntem diſtingui ab agente & termino.* ibid.

5. *Actionem diſtingui ab agente.* 261.

6. *Eam aliquid agenti addere, & quid.* 262.

7. *Actionem perpetuò eſſe niſum movendi.* 263.

8. *Pars princeps actionis eſt in agente.* 264.

9. *Niſum movendi eſſe primam actionis partem.* ibid.

10. *Terminus à quo non eſt principium agendi.* 265. *Actionem totam conſtare ex partibus, quarum prima eſt in agente.* 266, 267.

11. *Quid ſit niſus movendi in agente.* 268.

12. *Actio, paſſio, & motus, ſimiliter reſpiciunt terminum.* 269.

13. *Differentia inter paſſum & paſſionem.* ibid.

14. *Inter actionem & paſſionem. Differunt ut duæ partes ejuſdem totius.* 270.

15. *Actio tota differt à paſſione, ut totum à parte.* ibid.

16. *Actionem in paſſo non differre à paſſione.* 271. *Actionis & paſſionis ſubſtantia quid.* ibid.

17. *Re-actio quid. Re-actio pura, & recalcitrans. Pura dividitur in contemperantem, & repellentem.* 272, 273, 274.

18. *Actio & motus actualis quomodo inter ſe comparandi.* 274.

19. *Motus paſſi differt à parte actionis in agente.* 275.

20. *Motum paſſi differre ab actione tota.* ibid.

21. *Actionem in paſſo à motu non differre.* ibid.

22. *Vox [terminus] ab ambiguitate liberatur.* 276.

23. *Ejus diviſio in fientem, factum, & mixtum.* 277. *Terminus fiens quid.* ibid.

24. *Factus quid.* ibid.

25. *Partim factus, partim fiens, quid.* 278.

26. *Actionem differre à ſuo termino.* 279.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 43 sur 591

27. *Et primò, à termino fiente.* ibid.
28. *Secundò, à termino facto. Primum argumentum.* 280.
29. *Argumentum ſecundum.* 281.
30. *Tertiò, à termino mixto, partim facto, partim fiente.* 282.

CAP. XXI.

An actio ſit aliquid in agente, & quidnam ſit.

1. *Quæ actiones fiunt per effluvia, quæ non.* pag. 283.
2. *Quæ per effluvia fiunt, in agente occipiunt.* 284.
3. *Effluvia per poros egredientia, ut & per ſubſtantiam, fuerunt priùs in agente.* 285.
4. *Actiones quo ſenſu dicuntur in agente. Tria Cajetani argumenta eventilantur.* 286.
5. *Primum, Actionem eſſe actum potentiæ activæ.* ibid.
6. *Secundum, Eſſe in aliquo ſubjecto.* 287.
7. *Tertium, Eſſe perfectionem.* 288.
8. *Satisfit objectionibus Suarii. Quo ſenſu actio fluit per ſeipſam. Actionem eſſe extenſam.* 289, 290.
9. *Quo ſenſu actio manet in ſubjecto.* 291.
10. *Agens ex actione à non-agente differt.* 292.
11. *Non neceſſe eſt tota actio ſit in eodem ſubjecto.* ibid.
12. *Principium agendi eſt inſufficiens, niſi actuetur niſu movendi.* 294.
13. *Actus ſeu niſus lucendi eſt in ſole.* 295.

CAP. XXII.

Utrùm terminus actionem, an actio terminum, aut quid aliud utrumque ſpecificet.

1. *Quid ſit ſpecificare. Specificatio duplex. Conſtitutiva quid: quid effectiva.* pag. 297.
2. *Solum agens primam partem actionis ſpecificat.* 298.
3. *Secundam quoque partem, ſi ſit actio impotens.* 299.
4. *Sin prævalens, concurrit reactio paſſi.* 300.
5. *Specificatio actionis & motûs in Scholis idem ſignificare.* ibid.
6. *Quatuor ſententiæ de ſpecificatione motûs. Quinta approbatur.* 301.
7. *Solum motum actualem producere terminum factum.* 302.
8. *An terminus ſpecificet motum.* 303.
9. *Negatur, & tribus argumentis refellitur.* 304. *Primum argumentum, Actionem eſſe ordine naturæ priorem termino.* ibid.
10. *Secundum, Actionem ſpecificare terminum.* ibid. 305.
11. *Tertium, Actionem deſinere*

nere ubi incipit terminus. 306.
12. *Objectio prima ſolvitur.* ibid.
13. *Similiter ſecunda.* 307.
14. *Item tertia.* ibid.
15. *Quartáque.* 308.
16. *Et quinta.* ibid.

CAP. XXIII.

Utrùm terminus ex natura rei à ſua dependentia aut inhærentia, an ratione tantùm, differat.

1. *An actio & dependentia idem ſint.* pag. 309.
2. *Tria fundamenta Suarii excutiuntur.* 310.
3. *Quo ſenſu actio eſt in agente.* ibid.
4. *An actio emanet per ſeipſam.* 311.
5. *Unam actionis partem ab alia pendere.* 312.
6. *An dependentia ſit quid poſitivum.* 313.
7. *Dependentia diſtinguitur in antecedaneam, & ſuccedaneam.* ibid. 314.
8. *Dependentiam mediam differre à termino.* 315.
9. *Dari terminos quorum eſſe eſt in motu.* 316.
10. *An dependentia ſit de eſſentia dependentis.* 317.
11. *Dependentiam inhærentem eſſe formam privativam.* 318.
12. *Nihil poſitivum termino addere.* 319.
13. *Dependentia inhærens ab antecedanea clarè diſtinguitur.* ib.
14. *Creaturam dependere à Deo per eſſentiam ſuam dependentem.* 320, 321.
15. *Dependentiam inhærentem eſſe formam negativam.* 322.
16. *Dependentiam inhærentem non eſſe actionem, ſed ejus effectum.* ibid.
17. *Dependentiam antecedaneam non inhærere termino.* 323.
18. *Duæ negationes à re dependente eſſe inſeparabiles.* 324.
19. *An dependentia ſit modus termini. Modus quid.* 325.
20. *Prima conditio modi. Secunda. Tertia. Quarta.* ibid. 326, 327.
21. *Reſumitur quæſtio an dependentia ſit modus termini.* 327.
22. *Inhærentiam non eſſe modum formæ inhærentis.* 328.
23. *Actionem non eſſe modum termini.* 329, 330.
24. *Dependentiam inhærentem ſolâ ratione differre à termino.* 331.

CAP. XXIV.

Axiomata quædam vulgò decantata, quæ vitæ naturæ repugnant, (quò clariùs hæc monſtretur) examinantur, corriguntur, & ad ſanum ſenſum reducuntur.

1. *Scopus*

©BIUM

1. *Scopus auctoris resumitur.* pag. 332.
2. *Quæ operationes sunt vitæ indicia.* 333.
3. *Axiomata oppositа expenduntur.* ibid. *Suarii expositio.* ibid.
4. *An quicquid movetur, moveatur ab alio.* 334. *Suarii limitationes axiomatis.* ibid.
5. *Primum fundamentum axiomatis excutitur.* ibid.
6. *Secundum fundamentum examinatur.* 335, 336, 337.
7. *Naturæ defectus miraculis non sarciuntur.* 338.
8. *Effectus naturales non excedunt virtutem causæ.* ibid.
9. *Tertium fundamentum trutinatur.* 339.
10. *Verus axiomatis sensus.* 340.
11. *An quicquid quieſcit, perpetuò quieſcat.* 341.
12. *Sententia Des Cartes eventilatur.* ibid.
13. *Motum & quietem non consistere.* 342.
14. *An eadem motûs quantitas perpetuò maneat.* 343.
15. *Nullum motum violentum esse perpetuum.* 344.
16. *Motum rectum non esse perpetuum.* 345.
17. *Species motûs recti.* 346.
18. *Cur lapis subindè tardiùs ascendat, velociùs descendat.* ibid.
19. *Differentiam non provenire à pressura atmosphæræ.* 348.
20. *Nullum motum transversum esse perpetuum.* ibid.
21. *Cur lapis è funda missus rectà movere pergat.* 349.
22. *Motus vegetabilium non esse perpetuos.* 350.
23. *An omnis motus sit localis.* 351.
24. *Qui motus sunt perpetui.* 352. *Primò, motus antitypiæ.* ibid.
25. *Secundò, motus nexûs.* 354.
26. *Requisita ad motum perpetuum.* ibid.
27. *Motus corporum cœlestium quo sensu perpetuus.* 355.

CAP. XXV.

Motus non perpetui in tria genera dividuntur, &c. 5 classes formarum & motuum ad inanimata spectantium proponuntur.

1. *Motus inanimatorum pendere ab appetitu naturali.* p. 356.
2. *Divisio motûs. Eum ab intus vitam probare.* 357.
3. *Repulsionem motûs ab extrà venientis vitalem esse.* 358.
4. *Motuum divisio secunda.* ibid.
5. *Divisio motuum inanimatorum in quinque classes.* 359. *Prima classis.* 360. *Secunda classis.* ibid. *Tertia.* 361. *Quarta.* 362. *Quinta.* ibid.

CAP.

CAP. XXVI.

Classis prima; & primò, de densitate & raritate, motúque libertatis quo conservantur.

1. *Schematismus quid.* pag. 364.
2. *An densitas sit imporositas, & raritas porositas.* ibid.
3. *Vacuum quid.* ibid. *Helmontii magnale consideratur.* ibid.
4. *Rejicitur vacuum.* 365, 366.
5. *De fuga vacui.* 367.
6. *In antliis quid aquam elevet.* 368.
7. *An detur vera suctio.* 369.
8. *Cucurbitulæ quo modo sugant.* 370.
9. *Modus inspirationis expenditur.* ibid.
10. *An corpus subtile sit rarum.* 371.
11. *Corpus subtile non esse porosum.* 372.
12. *Essentia raritatis & densitatis.* 373.
13. *Species motûs ad has formas spectantes.* 374.
14. *Motus libertatis quid.* 375.

CAP. XXVII.

De condensatione & rarefactione.

1. *Dari condensationem & rarefactionem.* pag. 376.
2. *Quantitas accidentalis asseritur.* 377. *Nominalium fundamenta excutiuntur.* ibid.
3. *An ratio quantitatis sit habere partes extra partes.* ibid.
4. *Differentiæ inter materiam & spiritum.* 378. *Prima sumitur à materiæ mole.* ibid.
5. *Secunda, ab interminata quantitate materiæ.* 379.
6. *Omnem particulam materiæ non esse perpetuò extra omnem aliam.* 380, 381, 382.
7. *An spiritus sint toti in toto, & toti in qualibet parte.* 383.
8. *Angeli totalis præsentia exponitur.* 384, 385.
9. *Co-extensio spirituum monstratur.* 386.
10. *Moles & quantitas interminata vindicantur.* 387.
11. *Quantitatis ratio non consistit in aptitudine ad expellendum aliud.* 388.
12. *Moles materiæ asseritur.* 389, 390.
13. *Aptitudinem expellendi aliud corpus non esse effectum formalem quantitatis.* 391.
14. *Quis sit effectus formalis quantitatis interminatæ.* 392.
15. *Effectus formalis quantitatis terminatæ exponitur.* 393.
16. *Secundum fundamentum Nominalium examinatur.* 394.
17. *Extensio substantialis quid.* 396.
18. *Extensionem accidentalem substantiali materiæ magis congruam*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 47 sur 591

gruam esse. 397.
19. Extensio substantialis quid. 398.
20. Esse immutabilem. 400.
21. Extensionem accidentalem esse mutabilem. ibid.
22. Idem confirmatur experimentis. 401.
23. An cœli quantitas sit accidentalis. 402.
24. Terminum motûs localis esse accidens. ibid.
25. Objectioni satisfit. 403.
26. Accidentalem extensionem dare effectum formalem. 404.
27. Tertium quartúmque Nominalium fundamentum rejicitur. 405.
28. Dari condensationem & rarefactionem in proprio sensu. ibid.

CAP. XXVIII.

De substantiarum penetrabilitate mutatâ quantitate.

1. Quid impedit substantiarum penetrationem. pag. 406.
2. Satius est admittere penetrationem quàm vacuum. 407.
3. Penetratio experimentis probatur. 409. Primò, ex iis D. Baconii. ibid. Secundò, ex mixtura ibid.
4. Tertiò, ex nutritione. ibid.
5. Quartò, ex transpiratione. 410.
6. Quintò, ex distributione succi vitalis. 411.
7. Sextò, ex tumoribus. 412.
8. Septimò, ex misturis artificialibus. 413.
9. De regimine horum motuum ab intus. 415. Experimenta utriusque thermometri huc spectant, & una probant condensationem & rarefactionem. 416.
10. Experimentum thermometri novum. 417.
11. Regimen eorum ab extrâ 418.

CAP. XXIX.

De crassitie & tenuitate, motibúsque ad eas spectantibus; necnon de aliis quibusdam schematismi differentiis.

1. Variæ significationes crassitiei & tenuitatis. pag. 419.
2. Affectiones quibuscum crassities complicatur. 420.
3. Motus ad crassitiem & tenuitatem spectantes. 421.
4. Causæ incrassationis commotos spiritus sedant. 422.
5. Causæ incrassationis accidentales. 423.
6. Tria schematismorum genera. 425.
7. Porositas pervia & impervia distinguuntur. 426.
8. Imporositas pellucida & opaca. 427.
9. Opacitas duplex. 428.
10. Diapha-

10. *Diaphaneitas quoque duplex.* ibid.
11. *Schematiſmum differre ab organizatione.* 429.
12. *Corpora ſtriata fibroſis comparantur.* ibid.
13. *Schematiſmum naturæ vitam monſtrare.* 430.

CAP. XXX.

Claſſis ſecunda; & primò, de continuitate & contiguitate.

1. *Hujus claſſis fundamentum & partes.* pag. 431.
2. *Continuitatem differre ab unitate tranſcendente.* 432.
3. *Et ab entitate quantitatis.* 433.
4. *Quantitatem interminatam duobus modis terminari.* 434.
5. *Continuitatem eſſe terminum quantitatis.* 435.
6. *Objectioni de ea re ſatisfit.* 436.
7. *Unitatem entitativam quantitatis differre à continuitate.* 438.
8. *Continuitatem eſſe entitatem poſitivam.* 440.
9. *Nec dicere puram negationem.* 441.
10. *Sed addere aliquid poſitivum.* 442.
11. *Formalis effectus continuitatis.* 443.
12. *Contiguitas quid.* 444.

CAP. XXXI.

De tribus indiviſibilibus, puncto, linea, & ſuperficie.

1. *De entitate indiviſibilium.* pag. 444.
2. *An punctum ſecetur.* 445.
3. *Non dari punctum neque lineam purè terminantia.* 446.
4. *Indiviſibilia dupliciter conſiderari.* 447. *Primò, in ordine ad uſum.* ibid.
5. *Secundò, in ordine ad entitatem propriam.* 448. *Punctum terminativum & continuativum differre.* ibid.
6. *Continuativum aliquid extenſioni addere.* 451.
7. *Punctum terminativum diſtinguitur.* 453. *Primò, in totius lineæ, & partis.* ibid.
8. *Secundò, in principians, & finiens.* ibid.
9. *Tertiò, in proprium, & commune.* 454.
10. *Punctum terminativum proprium quid ſignificet.* 455.
11. *Terminativum commune quid.* ibid. *Continuativum ab eo diſtingui.* 456.
12. *Subſiſtentiam modalem non dicere ſolam negationem.* 459.
13. *Quomodo figura inhæret in ſuperficie.* ibid.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 49 sur 591

CAP. XXXII.

De divisione & divisibilitate.

1. *Tria ad actualem divisionem requiri.* pag. 460.
2. *Primum, habere partes.* 461.
3. *Secundum, habere partes quantas.* ibid.
4. *Tertium, divisorem esse se fortiorem.* ibid.
5. *An quantum sit divisibile in infinitum.* 462.
6. *Atomus vel divisibilis est, vel nihil est.* 463.
7. *Atomus nihil addit extenso.* ibid.
8. *Argumenta contra infinitam divisibilitatem.* 466.
9. *An infinita divisibilitas sit tantùm potentialis.* ibid.
10. *An infinita divisibilitas sit purè mathematica.* 467.
11. *Corpus physicum includit mathematicum.* 468.
12. *Infinitatem numeri partium non esse extrinsecam.* ibid.
13. *Indefinitas partes non sufficere.* 469.
14. *Præmittenda ad decisionem controversiæ.* ibid. *Primò, Non hîc inquiri de principiis naturæ, sed de partibus integrantibus.* ibid. *Natura non oritur à compositione partium integrantium.* 471.
15. *Secundò, Non de partibus organicis, nec de similaribus, nec de aliquotis, nec de actu divisis.* 472. *Infinitam divisionem esse successivam.* 473.
16. *Quo sensu partes sint infinitæ; non extensione, sed numero.* 475.
17. *Numerus est vel materialis, vel formalis.* ibid.
18. *Differentiæ inter numerum actualem & potentialem. Prima.* 477.
19. *Secunda.* 478.
20. *Tertia.* ibid.
21. *Quarta.* 480.
22. *Objectionibus satisfit.* 481.
23. *Particulæ potentiâ infinitæ quales.* 483.
24. *Particulæ actu infinitæ quales.* 484.

CAP. XXXIII.

De ultimis rationibus continui & discreti improportionatis.

1. *Ultimæ rationes quid.* pag. 486.
2. *Intermediis rationibus utriusque satis inter se convenit.* ibid.
3. *Datur proportio in continuis, quæ numeris exprimi non potest.* 488.
4. *Sinus in natura accuratè proportionantur.* 489.
5. *Sed numeris non exquisitè exprimuntur.* 490.
6. *Quadra-*

6. *Quadratura circuli duplex eſt.* 491.
7. *Primò, Datur proportio in natura inter diametrum & circulum.* 492.
8. *Sed numeris non comprehenditur.* 493.
9. *Secundò, Datur proportio in natura inter aream circuli & eam quadrati.* 496.
10. *Sed Arithmeticè non poteſt exponi.* 499.
11. *Cenſura quadraturæ meniſci.* 500.
12. *Fractiones infinitæ infinitam divisibilitatem probant.* 502.
13. *Toleti reſponſum de extrinſeca continui infinitate explicatur.* 503.
14. *Fractionibus interminatis confirmatur.* 505.

CAP. XXXIV.

De minimo naturali.

1. *Quo ſenſu Peripatetici agnoſcunt atomos.* pag. 506.
2. *Minimum naturale quid.* 507.
3. *De atomis variæ ſententiæ.* ibid.
4. *Tres propoſitiones huc ſpectantes recitantur.* 510.
5. *Prima, Nullum diviſorem in infinitum dividere.* ibid.
6. *Secunda, Minimum ſeparatum non poſſe ulteriùs dividi.* 511.
7. *Media quibus minima diviſores eludunt.* 512.
8. *Primum, ipſa parvitas.* ibid.
9. *Secundum, re-unio cum aliis corporibus.* 513.
10. *Tertium, mutatio formæ.* 514.
11. *Tertia propoſitio, Non dari corpora infinitæ parvitatis.* 515.
12. *Particulæ indefinitæ & infinitæ non differunt.* ibid.
13. *Partes ignotæ parvitatis non ſufficere ad parvitatem hîc requiſitam.* 516.
14. *Nec partes interminatæ parvitatis.* 517.
15. *Solam infinitam parvitatem hîc ſufficere.* 518.
16. *An materia diviſa queat re-uniri.* 520.
17. *Carteſii ſententia de ea re examinatur.* 521.
18. *Solam quietem ad ſolidorum continuitatem non ſufficere. Propoſitio prima.* 522. *Probatur primò, ex negationibus alterutri propriis ſeu formalibus.* ibid.
19. *Negationem diviſionis non neceſſariò ponere quietem.* 523.
20. *Objectioni ſatisfit.* ibid.
21. *Probatur ſecundò, Continuitatem eſſe formam poſitivam; quietem non.* 524. *Probatur tertiò. Probatur quartò.* 525.
22. *Propoſitio ſecunda, Fluida non eſſe actu diviſa.* ibid.
23. *Ad fluidi rationem requiri continuitatem.* 526.
24. *Eſſentia fluidi inveſtigatur.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 51 sur 591

©BIUM

Elenchus Capitum.

tur. 528.

25. *Fluiditatem cum continuitate consistere.* 530.

26. *Re-unio fluidorum asseritur.* 531.

27. *Idem instantiis confirmatur.* 532.

28. *Volatilium quoque continuitas & re-unio defenditur.* 533.

D E

DE NATURA SUBSTANTIÆ ENERGETICÆ;

Sive,

DE VITA NATURÆ, &c.

CAP. I.

De Subſtantia in genere.

1. QUanquam ſcopus noſter non eſt de Subſtantia creata ejúſque ſpeciebus & partibus ex profeſſo tractare; cùm tamen tres primæ Facultates, de quibus hîc acturus ſum, ad Subſtantiam in genere ſpectent, cúmque aliàs vix ſatis perſpicuè & diſtinctè de illis loqui liceat, viſum eſt paucula de Subſtantia in genere præmittere, adeóque iſtas Facultates à ſua prima origine deducere, atque unà oſtendere quâ ratione ad ea genera & ſpecies quæ in rerum natura paſſim occurrunt contrahuntur. *Scopus Auctoris.*

2. Subſtantia in genere vox ambigua eſt, & ipſo limine quærit diſtinctionem. Miſsâ autem eâ acceptione quâ pro divitiis aut pro præcipua cujuſvis rei parte ſumitur, dupliciter in Metaphyſica accipitur, tranſcendentaliter, & prædicamentaliter. Si tranſcendentaliter, eſt genus analogum: ſin prædicamentaliter, eſt genus univocum. Illa hanc includit ut ſuam primam ſpeciem analogatam: hæc in ſua latitudine non includit illam, nec de omnibus ejus ſpeciebus dicitur. Illa abſtrahit à ſubſtantia completa & incompleta analogicè, & rationem utriſque communem denotat: hæc quoque abſtrahit à completa & incompleta, ſed univocè, & eſt ſupremum genus in prædicamento Subſtantiæ. Communis ratio ſubſtantiæ tranſcendentalis vix poſitivè explicari poteſt, ſed negativè haud difficulter. Secundùm Suarium ex Ariſtotele ſic exponi- *Diſtinguitur Subſtantia in tranſcendentalem, & prædicamentalem.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 53 sur 591

©BIUM

tur, Diſp. 33. Sect. 2. nº. 1. *Commune eſt omni ſubſtantiæ in ſubjecto non eſſe.* Quæ verba ſic intelligenda ſunt; *Eſſe in ſubjecto* eſt eſſe in ſubſtantia completa, hoc eſt, completè quoad eſſentiam conſtituta. Accidentia enim neque conſtituunt ſubſtantiam in genere, neque in ſpecie, neque ad operationes eſſentiales determinant. Quare Accidens, ut genus tranſcendentale, non minùs negativè diſtinguitur à ſubſtantia tranſcendente quàm hæc ab illo. Interim non exiſtimandum eſt ſubſtantiam tranſcendentem tantùm differre ab accidente per negationem, ſed per fundamentum ejuſdem. Etenim negatio inhærentiæ accidentalis eſt negatio perfectiva, & eatenus vim affirmationis habet. Quòd verò ſit negatio perfectiva patet, quia talis inhærentia imperfectionis & ignobilitatis eſt. Inhærentia autem naturæ in ſuppoſito multò nobilior & perfectior eſt. Hinc enim unum per ſe reſultat, quanquam ex partibus ex natura rei ſaltem diſtinctis conſtet.

Subſtantia tranſcendentalis aſſeritur.

3. Contra hanc diſtinctionem Subſtantiæ objici poteſt, non opus eſſe duo genera ſubſtantiarum fingamus: Subſtantia enim prædicamentalis videtur rectè dividi poſſe in completam & incompletam. Hæc enim non eſt diviſio generis analogi in analogata, ſed ſubjecti in partes. Nam ſubſiſtentia & natura ſunt partes ex quibus ſubſtantiæ completæ componuntur. Reſp. partes haſce à Metaphyſicis ſubſtantiales nominari, & certiſſimum eſt non eſſe mera accidentia. Quocirca latior ſubſtantiæ acceptio datur, quàm eſt ea quæ conſtituit genus in prædicamento Subſtantiæ: nimirum oportet ſit tale genus quod omnia rudimenta ſubſtantialia in ſua latitudine complectatur, & de iis omnibus prædicetur. Verùm Subſtantia quæ eſt genus prædicamenti neque prædicatur de ſubſiſtentia, neque de forma ſubſtantiali, nempe materiali. Non de ſubſiſtentia, quia hæc minus continet quàm ſubſtantia. Non enim continet energeticam naturam ſubſtantialem. Similiter non de forma materiali, quia hæc non includit radicalem ſubſiſtentiam. Si ergò ſubſiſtentia & forma materialis cognominandæ ſint ſubſtantiales, neceſſe eſt latiorem acceptionem vocis ſubſtantiæ inveniamus, ſub qua iſta rudimenta ſubſtantiæ comprehendantur. Rectè quidem advertit Suarius, Diſp. 33. ſ. 1. nº. 24. *Compoſitionem ex genere & differentia non requirere analogam diviſionem ſubſtantiæ, quia tantùm ratione*

one differunt. Verùm nº. 25. concedit partes quæ plùs quàm ratione differunt poſſe requirere genus analogum. Sed primò excipit, ſi partes ſint integrantes: quibus addo, ſi ſint elementales, aut quoquo modo naturam ſubſiſtentem propriam habeant; ut Materia & Anima rationalis. Quæ, quia ſubſiſtunt, ſub prædicamento Subſtantiæ cadunt, nec earum gratiâ opus eſt ad ſubſtantiam tranſcendentalem confugiamus. Quare non tantùm ſubſtantia tranſcendentalis, ſed & prædicamentalis, dividi debet in completam, & incompletam. Sed ſpecies quæ ſub incompleta tranſcendentali continentur plurimùm diſcrepant ab iis ſub prædicamentali. Illis enim tantùm convenit, quòd non inſunt in ſubjecto eſſentialiter priùs conſtituto, quemadmodum accidentia; his verò, quòd tam naturam quàm ſubſiſtentiam fundamentalem conjunctas, quanquam incompletè, participant. Hujuſmodi ergò partes dicuntur ſubſtantiæ completæ reſpectu incompletarum tranſcendentium; ſed incompletæ ſunt in prædicamento, quòd aliâ perfectione infra ſubſtantiam in genere ad quam ordinantur careant. Subſtantiæ hoc modo incompletæ ſunt materia, anima rationalis in corpore, elementa in miſto, partes integrantes in toto. Hæ enim componuntur quoquo modo incompletè ex ſubſiſtentia & natura ſubſtantiali, quæ partes tranſcendentales ſunt: Non tamen ſunt completæ, ut ſpecies in prædicamento Subſtantiæ, ſed tantùm reductivé. Quanquam igitur Subſtantia prædicamentalis in genere ſit completa reſpectu compoſitionis ex ſubſiſtentia & natura; poteſt tamen abſtrahere à completa & incompleta, quatenus ſub ſe continet ſubſtantias alio reſpectu partiales.

4. Quanquam clariſſ. Suarius (quem præ aliis mihi ducem in rebus metaphyſicis elegi, ſed *non juratus in verba magiſtri*) nullibi de ſubſtantia tranſcendentali tractat; eam tamen nonnunquam agnoſcere videtur. Diſp. 34. ſ. 5. nº. 35. *Si*, inquit, *interrogetur de ſubſiſtentia, an ſit ſubſtantia vel accidens, dicemus eam eſſe ſubſtantiam quaſi tranſcendenter ſumptam.* Porrò alio loco, etſi non expreſsè nominet ſubſtantiam tranſcendentem, ex ejus tamen verbis manifeſtè inferatur. *Obſervandum*, inquit, *eſt, quòd ſicut humanitas non eſt homo, ità neque dici poteſt ſubſtantia eo modo quo ſubſtantia eſt genus generaliſſimum. Sic enim ſumitur in vi concreti, & prout ſignificat rem ſubſiſtentem ſal-* *Suarium eam agnoſcere.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 55 sur 591

©BIUM

tem in confuſo & in communi, & ideo non poteſt de natura abſtractè concepta prædicari: tamen ſubſtantia prout dividitur in completam & incompletam latiùs ſumitur. Concedit hîc latiorem ſignificationem ſubſtantiæ quàm quâ conſtituit genus generaliſſimum in ſuo prædicamento. Quare ſecundùm eum rectè dividitur ſubſtantia in prædicamentalem, & tranſcendentalem. Si enim detur acceptio ſubſtantiæ latior genere generaliſſimo in prædicamento, neceſſe eſt ſit tranſcendentalis. Eo ipſo verò quòd iſta latior acceptio tranſcendit generaliſſimum genus in prædicamento ſubſtantiæ, ſequitur eſſe genus analogicum, quòd ſubſtantia ipſa ſit ſupremum genus univocum. Quapropter cùm ſubſtantia rectè dividatur in genus prædicamenti & ejus rudimenta ex natura rei diſtincta, patet eſſe genus analogum. Nam rudimenta ſubſtantiæ non eodem planè modo ſubſtantiæ ſunt quo eſt id quod ex iis componitur. Conſtat itaque ſubſtantiam analogicè de ſubſtantia compoſita & rudimentis ejuſdem prædicari. Quando igitur forma materialis vocatur ſubſtantia, non intelligitur de ea in ſtrictiore ſenſu, ſed in latiore; quo nimirum ſubſtantia dicitur quicquid non eſt accidens.

Subſtantiæ tranſcendentis diviſio.

5. Hoc ergò ſenſu dividitur ſubſtantia in rudimenta ſubſtantialia, & ſubſtantiam completam ex iis conflatam. Hæc prima ſpecies analogata eſt, & ſupremum genus in prædicamento ſubſtantiæ conſtituit: illa nempe rudimenta alteram ſpeciem conficiunt, & tria ſunt, ſubſiſtentia fundamentalis, natura energetica, & ſubſiſtentia additionalis. Subſiſtentia fundamentalis & natura energetica ſunt ſubſtantiæ principia quaſi eſſentialia; ſubſiſtentia additionalis eſt modus ſubſtantialis eam eſſentiam complens. Illæ, in rebus incorruptibilibus, ſunt tantùm inadæquati conceptus, & non realiter inter ſe differunt, ſed tantùm ratione cum fundamento in re; verùm in rebus mutabilibus realiter diſtinguuntur, ut forma materialis & materia: Hæc, ſaltem diſtinctione mediâ, ſi non reali, ab illis diſcriminatur. Sed de utriſque infrà pleniùs agendum: interímque aliquid de aliis ſubſtantiæ compoſitionibus, quæ minùs reales ſunt, advertendum.

Ejus compoſitiones.

6. Subſtantia creata in genere variis compoſitionibus metaphyſicis obnoxia eſt. Primò enim, quatenus eſt ens finitum, componitur ex entitate poſitiva, & negatione limitante

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 56 sur 591

ſive privativa. Secundò, ſubſtantia quatenus eſt ſpecies entis primaria componitur ex genere & differentia. Ex genere nempe analogo, [ente,] & differentia, ad primam ſpeciem analogatam eam contrahente. Tertiò, componitur ex inadæquatis conceptibus generaliſſimis, ortis ex comparatione rei ſecundùm noſtrum concipiendi modum ad ſimilitudinem aut diſſimilitudinem cum aliis; nimirum hoc modo componitur ex potentia & actu. Hæc compoſitio adeò generalis eſt, ut nihil creatum excogitari poteſt quod ei non ſubjicitur. Ipſum ens in genere concipi poteſt ut in actu, & ut in potentia; quanquam ipſa ratio entis in eo conſiſtat, quòd realiter ſit extra ſuas cauſas. Verùm hoc ipſum eſſe actu extra cauſas ſimiliter in omni ente reperitur, & eatenus à quolibet eorum uno ab intellectu abſtrahitur, & ſub ratione communi ſive potentialiter concipitur. Quare ipſa eſſentia actualis, ipſa exiſtentia, ipſa incommunicabilitas, ipſum individuum ſuſpendi in intellectu poteſt ab actualitate exercita, & ſignatè concipi, atque ut in potentia. Ratio eſt, quia res utcunque ſingularis concipi poteſt ut aliis ſimilis, quo reſpectu communi quodam modo omnia ſimiliter ſingularia complectitur: concipi etiam poteſt ut omnibus aliis diſſimilis, quo ſenſu ſtat ſola, ab iis omnibus diviſa. Verùm omnes compoſitiones modò memoratæ non ſat realitatis habent ut ſubſtantiam propriè compoſitam denominent. Vel enim non conſiſtunt ex partibus poſitivis actu exiſtentibus; vel ſaltem non ex partibus ex natura rei diſtinctis. Sola ergò compoſitio ex natura & ſubſiſtentia realis eſt. Ad quam ulteriùs conſiderandam Capite ſequente deveniendum eſt.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 57 sur 591

©BIUM

Cap. II.

De variis acceptionibus Subſiſtentiæ, Subſtantialitatis, Suppoſitalitatis, Perſonalitatis, Naturæ, Eſſendi per ſe, & Modorum.

Subſiſtentiæ diſtinctiones.

1. Aſſeruimus capite præcedente unicam eſſe realem Subſtantiæ creatæ in genere compoſitionem, eam nimirum ex Subſiſtentia & Natura, de quibus infrà fuſiùs agendum. Priuſquam verò ulteriùs progredior, aliquot hîc ambiguitates, ad terminos ipſos vocéſque ſive ſynonymas ſive cognatæ ſignificationis ſpectantes, breviter enodandæ ſunt.

Prima. Primò, Subſiſtentia dupliciter accipitur; actualiter, & potentialiter. Quatenus actualiter, conſtituit ſubſtantiam primam in ſuo eſſe fundamentali, ſive in ſuo eſſe per ſe: Quatenus potentialiter, conſtituit ſubſtantiam ſecundam ſimiliter in eſſe per ſe, ſed præciſo ab exſiſtentia. Hæc diſtinctio ſubſiſtentiæ evidenter colligitur ex Suarii Diſp. 34. ſ. 8. nº. 9. ubi aſſerit ſubſiſtentiam includi in omnibus generibus, ſpeciebus & individuis prædicamenti ſubſtantiæ; & conſequenter, quemadmodum actualis appropriatur individuis, ità reſpectivè potentialis generibus & ſpeciebus. Verùm hæc diſtinctio, etſi ſuos habeat uſus, non tamen ea eſt quæ maximè facit ad varias Metaphyſicorum de Subſiſtentia controverſias conciliandas.

Secunda, quæ præcipua. 2. Secundò ergò, diſtinguitur Subſiſtentia in fundamentalem, & adventitiam. Illa vocatur etiam eſſentialis, intrinſeca, naturalis, radicalis, originalis; necnon perfeitas & entitas per ſe, ſubſtantialitas; item fulcimentum & fulcrum ſubſtantiale: hæc additionalis, extrinſeca, modalis, complens, terminans, ſuppoſitalitas; & in rebus intellectu præditis perſonalitas & ſubſiſtentia perſonalis. Illa ad naturam ſive eſſentiam ſubſtantialem ſpectat, nempe ut ejus pars, vel ſaltem ut inadæquatus ejuſdem conceptus, à qua in rebus perpetuis ſolâ ratione (quanquam in caducis realiter) differt: hæc naturæ ſupervenit, & ſemper ab utroque ejus conceptu ex parte rei diſcriminatur. Completa igitur ſubſtantia reſpectu

©BIUM

ſpectu harum partium haud ineptè comparatur ædificio. Subſiſtentia eſſentialis fundamentum eſt; natura energetica parietes totámque ſtructuram uſibus deſtinatam dat; ſubſiſtentia modalis quaſi tectum eſt, domúmque ſupernè claudit & complet. Verùm miſſâ hîc naturâ energeticâ, duæ ſubſiſtentiæ primò diſtinguendæ ſunt. Fundamentalis ubicunque eſt perpetua eſt & immutabilis; quòd per ſolam creationem incipiat, & per ſolam annihilationem deſinat. Additionalis in ſubſtantiis perpetuis perpetua eſt, in caducis corruptibilis. Non per creationem incipit, nec per annihilationem deſinit: ſed reſultat à natura, quatenus hæc, in ſe unita, ab omnibus aliis diviſa ſtat. Si quando intereat, dupliciter id eveniat. In naturis compoſitis per earum ſeparationem diſſolvitur: in naturis tam ſimplicibus quàm compoſitis per unionem cum alia natura innovatur. Quæ enim naturæ ſimplices in ſtatu diviſo completæ ſunt, cum alia natura conjunctæ evadunt partes & incompletæ.

Definitio ſubſiſtentiæ fundamentalis.

3. Definitur ſubſiſtentia eſſentialis, *ultimum* ſeu *intimum principium ſive rudimentum ſubſtantiale, quo natura ſubſtantialis ſuo marte, ſive abſque ſuſtentatione alterius rei creatæ, ſe ſuffulcit.* Eſt enim ipſa ratio ob quam natura ſubſtantialis non indiget extrinſecâ ſuſtentatione ab alia creatura. Hinc igitur hæc natura dicitur per ſe ſubſiſtere. Datur enim alioquin natura ſubſtantialis quæ non per ſe ſubſiſtit, ut natura formæ materialis. Dico eſſe *principium ſubſtantiale*, quia vulgò rudimenta rei principia nuncupantur, quòd priora ſint & ſimpliciora rebus ex iis compoſitis: ſed eſſe *ultimum*, (ſi cui lubeat vocare *primum*, perinde fuerit; quod enim in compoſitione primum eſt, in reſolutione eſt ultimum: inquam, eſſe ultimum,) quia ſi dividamus naturam ſubſtantialem in duos inadæquatos conceptus per modum principiorum eſſentialium, ſubſiſtentia hæc erit ultimum eorum. Conceptus enim ſuſtentationis naturæ ſubſtantialis ſpectat ad hanc ſubſiſtentiam. Eſt enim ima baſis & quaſi ultimum ſubjectum ultimáque cauſa materialis, quâ alter conceptus inadæquatus naturæ ſubſtantialis, nempe naturæ energeticæ, ſuſtentatur. Minimè itaque ferendum eſt ut hæc eſſentialis ſubſiſtentia in alteram adventitiam, quæ exilem entitatem, eámque non eſſentialem, ſed tantùm modalem, adfert, degeneret.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 59 sur 591

©BIUM

Definitio ſubſiſtentiæ modalis.

4. Subſiſtentia adventitia eſt ſolummodo terminus quidam ſive modus à natura ſubſtantiali, quatenus ab aliis diviſa ſtat, reſultans ſive dimanans, quo ſolo addito, hæc, utcunque in ſe abſtracta & incompleta, redditur concreta & completa. Natura enim quatenus eſt forma totius, etſi includat totam eſſentiam ſubſtantiæ, videlicet ſubſiſtentiam fundamentalem & naturam energeticam, retinet tamen adhuc formam abſtracti, & conſequenter aliquid ulterius deſideratur quo à termino abſtracto reſtituatur concretioni, ut ſic evadat ſubſtantia completa. Illud autem ipſum quod totum ſic abſtractum reddit iterum concretum, eſt id quod hîc vocamus ſubſiſtentiam terminantem & complentem. Interim advertendum eſt, in rebus planè ſimplicibus eſſentiam ſive naturam abſtractam non realiter differre à termino concreto à quo abſtrahitur. Ratio eſt, quia in eo caſu reſiduum concreti præciſum non eſt ens reale, ſed tantùm rationis. Hinc Deus & Deitas, Ens & Entitas, Verum & Veritas, &c. non realiter differunt, ſed tantùm in noſtro modo concipiendi abſtractè vel concretè. Cùm enim hæc entia careant partibus, utcunque à nobis inadæquatè concipiantur, non reipſa dividuntur, ſed per analogiam quandam ad alia abſtracta, abſtractè, & ad alia concreta, concretè, concipiuntur. Nihilominus idem non eſt dicendum de ullis ſubſtantiis creatis, quæ omnes, ex ſententia propè generali Metaphyſicorum, componuntur ex natura & ſubſiſtentia ex parte rei diſtinctis, ut fusè probat Suarius Diſp. 34. ſ. 5. nº. 9, 10, 11. Dantur autem ſubſiſtentiæ ſimplices & compoſitæ. Illæ, quà ſimplices, immutabiles & perpetuæ ſunt, ut ſubſiſtentiæ Angelorum; hæ, quà compoſitæ, ſunt corruptibiles, ſaltem per viam ſeparationis: ſed fieri poteſt ut partes ſeparatæ maneant; ut anima rationalis & corpus humanum, homine defuncto. Compoſita purè materialia fundamentaliter ſubſiſtunt gratiâ materiæ, non ratione formæ, quæ corruptibilis eſt, nec diutiùs eſſe poteſt quàm à materia ſuſtentatur. Nihilominus in his ſubſiſtentia adventitia pendet non ſolùm à materia, ſed & à forma, & pereunte hâc interit; ut moriente cane, anima canis moritur, atque unà ſubſiſtentia reſultans à materia & forma canis deſinit eſſe: ſed materia manet, & novâ aſſumptâ formâ novam ſubſiſtentiam de ſe propagat. Verùm quia dubitari à nonnullis poteſt, an ſubſiſtentia

tia fundamentalis, & quouſque, à ſubſiſtentia reſultante diſcrepet; de hac re infrà ſeorſim & fuſiùs tractabimus. Interea loci termini aliquot his cognati explicandi ſunt, & ab ambiguitate liberandi; nimirum Subſtantialitas, Suppoſitalitas, & Perſonalitas.

Subſtantialitatis diſtinctiones.

5. Subſtantialitas eandem diſtinctionem quam Subſiſtentia admittit. Vel enim ſumitur latè, quatenus non tantùm modalem ſubſiſtentiam, ſed & ipſam fundamentalem, comprehendit; vel ſtrictè, & ſolam ſubſiſtentiam modalem denotat. Quòd verò ejus ſignificatio extendatur ad includendam ſubſiſtentiam fundamentalem, ex eo liquet, quòd terminus [Subſtantialitas] eodem modo à ſubſtantia concreta abſtrahatur quo alia abſtracta metaphyſica (quæ naturam ſolam, non ſubſiſtentiam, denotant) abſtrahuntur. Quid enim impedit quò minùs ut materialitas dicit naturam materiæ, ità ſubſtantialitas dicat naturam ſubſtantiæ? Fateor, uſus obtinuit ut Subſtantialitas idem plerumque ſignificet quod Subſiſtentia: ſed Subſiſtentia ipſa ſuâ ambiguitate intellectui imponit; nec minus metuendum eſt de Subſtantialitate; & conſequenter eadem diſtinctio quam modò tribuimus illi huic quoque applicanda eſt: atque idem, mutatis mutandis, de Suppoſitalitate & Perſonalitate dicendum eſt. Suppoſitum enim, necnon Perſona, tam naturam quàm ſubſiſtentiam in ſe continet: nec ratio facilè reddi poteſt, cur in hiſce abſtractis ſolis forma quam intellectus abſtrahit non ſit natura, ſed terminus ei oppoſitus, viz. ſubſiſtentia. Quatuor tantùm hoc genus abſtracta ſunt, Subſiſtentia, Subſtantialitas, Suppoſitalitas, & Perſonalitas. Omnia alia nomina ſubſtantiarum abſtracta (qualia ſunt, Materialitas, Spiritualitas, Corporeitas, Humanitas, &c.) naturam, non ſubſiſtentiam modalem, à ſubjectis auferunt. Verùm è quatuor terminis hanc abſtrahentibus duo priores, nempe Subſiſtentia & Subſtantialitas, magis apertè dicunt eam partem eſſentiæ ſubſtantialis quâ eſt per ſe, magis obſcurè modum complentem: hoc eſt, fundamentalem rationem naturæ ſubſtantialis primò exprimunt; deinde verò transferuntur ad ſignificandum ſtatum à natura ſubſtantiali reſultantem, eámque complentem. Duo poſteriores, Suppoſitalitas & Perſonalitas, magis propriè applicantur ad ſignificandam ſubſiſtentiam modalem, rariùs verò

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 61 sur 591

ſubſiſtentiam eſſentialem. Ratio eſſe poteſt, quòd Suppoſitum & Perſona, etiamſi cum ſubſiſtentia modali concretè includant naturam; primò tamen videntur inſtitui ad inſinuandum modum complentem, & ſecundariò naturam. Rectè ergò eorum abſtracta maximè appropriantur ſubſiſtentiæ modali, eámque ſolam abſtractè ſignificant.

Naturæ ſignificationes & nomina.

6. Natura etiam variis acceptionibus obnoxia eſt. Verùm ſufficit hîc eas memorâſſe quæ ad præſens inſtitutum ſpectant. Frequentiſſima & maximè uſitata Naturæ ſignificatio ea eſt, quâ denotat *rationem cujuſvis rei metaphyſicè abſtractam*: ut humanitas dicit naturam hominis, materialitas naturam materiæ, &c. Appellatur etiam *Eſſentia*, *Quidditas*, *Ratio formalis*, & *Forma totius*. Differt à Forma phyſica (quæ vocatur *forma partis*) ut includens ab incluſo, ſive ut totum à parte. Naturæ enim hæc acceptio amplior eſt, & non tantùm formam partis, ſed & totam entitatem illius ſubſtantiæ abſtractè ſumptam cujus natura eſſe dicitur, complectitur; nimirum totam tam ſubſiſtentiam fundamentalem, quàm naturam energeticam. Subſiſtentia enim fundamentalis eſt pars naturæ totius, in hac lata acceptione, quatenus pro forma totius ſumitur, alterámque ejus partem, quam energeticam dicimus, ſuſtentat. Videtur Clariſſ. Suarius frequenter, ſi non ſemper, in Diſp. 34. hoc ſenſu Naturam accipere. Sic enim ſect. 2. n°. 3. definit; *Igitur Naturæ nomine intelligimus ſingularem ſubſtantiam continentem integram & completam eſſentiam individui ſeu ſuppoſiti in abſtractio ſumptam, quæ à Metaphyſicis dici ſolet forma totius; ut eſt hæc humanitas conſtans ex hac anima, hoc corpore, ſeu his carnibus & his oſſibus.*

Non abſtrahere à tam rei entitatem.

7. Ex comprehenſiva hac deſcriptione quis facilè putet, nihil ſupereſſe reale in ſubſtantia concreta quod in ea non includitur? Verùm minutulum quid ſupereſt, nempe modus quidam hanc naturam abſtractam in ratione entis concreti complens. Eſtque ipſe terminus præciſus in abſtractione naturæ, quíque conceptui abſtracto additus eundem concretum denuo reddit, ut infrà clariùs patebit.

Naturæ diviſio in fundamentalem, & energeticam.

8. Natura in lata hac acceptione dividitur in ſubſiſtentiam fundamentalem, & naturam energeticam. Illa enim ad partes naturæ, non ad modum adventitium, ut præter cauſam eam rejicit Suarius, ſpectat. Nam eſſe per ſe eſt de eſſentia, & con-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 62 sur 591

& conſequenter de natura, ſubſtantiæ. Atque hinc evidenter conſtat ſubſiſtentiam quæ naturæ comparatur ut ei contradiſtincta non eſſe ſubſiſtentiam fundamentalem, ſed adventitiam: maximámque indè ortam eſſe in hac parte Metaphyſicæ confuſionem & obſcuritatem, ob defectum hujus diſtinctionis. Quo reſpectu hoc oneris in me ſuſcepi, ut, ſi qua poſſim, nodos hinc oriundos extricem. Verùm ſubſiſtentia eſſentialis non tantùm opponitur adventitiæ ſive modali, ſed & naturæ energeticæ. Illa enim conſtituit ſubſtantiam in ordine ad eſſe proprium, hæc in ordine ad operationem. Natura hæc definitur *internum ſubſtantiæ principium, à quo facultates & operationes eſſentiales proximè dimanant.* Duo enim ſunt principia eſſentialia cujuſvis ſubſtantiæ, quæ abſtrahuntur à ſuppoſito, nomine naturæ ſive formæ totius; videlicet ſubſiſtentia fundamentalis, & natura energetica. Reſiduum hujus abſtractionis eſt modus naturam dictam ad ſubſtantiam completam terminans. Quare duæ partes eſſentiales ſunt cujuſvis ſuppoſiti creati; & tertia quæ ad eſſentiam non ſpectat, ſed tantùm naturam modificat & complet.

Differunt ut inadæquati conceptus.

9. Duæ partes eſſentiales inter ſe differunt ut duo inadæquati conceptus, ſaltem ratione cum fundamento in re diſtincti. Non enim perpetuò neceſſarium eſt, quæ diſtinctè conſiderantur realiter diſtinguantur: ſed hoc tantùm requiritur, ut ſit ſufficiens fundamentum in natura cur intellectui noſtro (habito reſpectu ad ejus intelligendi modum per inadæquatos conceptus) tanquam objecta diſtinctè conſideranda proponantur. Dico igitur in ſubſtantiis perpetuis, ut in Angelis, in anima rationali ſeparata, ut & in materia prima, non opus eſſe ut ſubſiſtentia fundamentalis & natura energetica ſive realiter ſive ex natura rei inter ſe diſtinguantur. Sufficit enim ad diſtinctam tractationem, ſi ratione cum fundamento in re diſcriminentur. Verùm in compoſitione phyſica & mutabili realiter diſtinguuntur. Forma enim phyſica vel ſeparabilis eſt à ſubſiſtentia materiæ, ut anima rationalis; vel corruptibilis, ut forma materialis. Fateor animam rationalem tam ſubſiſtentiam fundamentalem quàm naturam energeticam in ſua entitate includere, & conſequenter ſeparatam à corpore exſiſtere poſſe: verùm formam materialem totam ad partes naturæ ſpectare, & fundamentali deſtitui

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 63 sur 591

ſubſiſtentiâ propriâ; nec ſeparatim ſtare poſſe, quin in momento ſeparationis perire. Forma ergò materialis non tantùm ut inadæquatus conceptus, ſed & realiter à ſubſiſtentia materiæ fundamentali diſtinguitur; & conſequenter hæc diſtinctio naturæ in inadæquatos conceptus modò realis eſt, modò rationis cum fundamento in re. Atque hæc de diſtinctione Naturæ.

Eſſe per ſe variè ſumitur.

10. Eſſe per ſe variis quoque modis accipitur. Ego tantùm eos qui ad hanc rem aliquo modo ſpectent perſequar. Primò, aliquid dicitur eſſe per ſe quod diviſum ſit ab omnibus aliis. Hinc enim ſi ſit ſubſtantia, eò quòd ſeparatur ab omni alia, eſt in ſe & per ſe ens completum. Subſiſtentia modalis hoc reſpectu vocetur ens per ſe, quòd alteri non unitur. Non contingit Accidentibus ſic eſſe ſola, imò nec naturæ energeticæ ſubſtantiali. Perpetuò enim affiguntur alicui ſubſiſtenti, ceu ſubjecto, in quo inhæreant & ſuſtententur. Subſtantia verò quælibet ab omni alia ſeparari & ſeorſim ceu ens completum ſtare queat. Hæc ſtatio ſola, ſive diviſa ab omni alia natura, per reſultantiam quandam ſubſiſtentiæ modalis rem terminat, modificat, & complet. Secundò, aliquid dicitur per ſe quod non ineſt in ſubjecto ut accidens. De hoc genere *perfeitatis* (eâ enim voce ad eſſe per ſe ſignificandum utuntur Metaphyſici) Suarius Diſp. 34. ſ. 4. n°. 24. ſic loquitur; *Uno*, inquit, *modo ſumitur* [*per ſe*,] *ut diſtinguit contra accidens, & opponitur modo eſſendi in alio prout eſt de eſſentia accidentis: & in hoc ſenſu verum eſt ſubſtantialem exiſtentiam non eſſe indifferentem ad hunc modum per ſe, ſed per illum eſſentialiter conſtitui*, &c. Rectè quidem monet Suarius, non ineſſe in alio ut accidens eſſe qualemcunque modum eſſendi per ſe. Verùm ubi dicit per hunc exiſtentiam ſubſtantialem eſſentialiter conſtitui, opus eſt limitatione. Sufficienter enim conſtituit ſubſtantiam tranſcendentem ſive analogicam, ſed non prædicamentalem & univocam. Etenim forma materialis hoc ſenſu eſt ſubſtantia, caret tamen ſubſiſtentiâ fundamentali de proprio, & quam habet à materia mutuatur, nec eſt in maximè proprio ſenſu per ſe. Aliter enim æquè eſſet per ſe ac eſt anima rationalis. Tertiò, ſumitur perfeitas pro fundamentali ratione ſubjectiva cujuſvis ſubſtantiæ, quâ eſt ſufficiens ſui & rerum in ſe inhærentium fulcimentum

fulcimentum ſive ſuſtentaculum. Atque hoc ſenſu ſola natura ſubſtantialis univocè ſic dicta eſt per ſe, ſive ſubſiſtit. Subſiſtentia autem modalis non eſt hoc modo per ſe, ſed tantùm non inhæret in natura ut accidens in ſubjecto, ut ipſe Suarius propemodum fatetur, ſ. 6. n°. 20, 21, &c. Ubicunque verò in poſterum de proprio eſſe per ſe & ſine diſtinctivo loquar, de hac perfeitate ut de maximè propriè dicta accipiendum eſt.

Modi diſtinctio in afficientem, unientem, & terminantem.

11. Adhuc ſupereſt diſtinguamus terminum [Modus.] Plures ejus acceptiones Suarius recitat Diſp.7.ſ.1.n°.17.quæ apud authorem videantur. Ego diſtinguo modos in afficientes, unientes, & terminantes ſive complentes : quæ genera videntur præcipuos, ſi non omnes, modos ad Metaphyſicam ſpectantes complecti. Modi afficientes ſunt qui realem aliquam naturam ſive entitatem ſuo ſubjecto adferunt, eâque idem afficiunt ſive modificant ; nempe illud quoquo modo diſponunt ſeu coaptant ad ſuas operationes. Dividuntur hi modi afficientes in ſubſtantiales, & accidentales. Illi non differunt à naturis ſubſtantialibus energeticis modò memoratis, neque hi à naturis accidentalibus ſua ſubjecta quoque ad operationem diſponentibus.

Modi unientes.

12. Modi unientes ſunt vel eſſentiales, ut inter materiam & formam ; vel accidentales ex parte unius termini, ut inter ſubjectum & accidens ; vel accidentales reſpectu utriuſque termini, ut unio partium elementariarum in mixto, unio partium integrantium in toto integrali : punctum continuativum huc quoque referri poteſt. De his nihil hîc ulteriùs exſpectandum, cùm infrà fortaſſe de iis pleniùs dicendi occaſio ſe obtulerit.

Modi terminantes.

13. Modi terminantes ſeu complentes naturam abſtractam nullam planè novam ſubjecto quod modificant naturam adferunt, præſuppoſitam tamen modificando complent & terminant. Atque hoc ſenſu admitto ſubſiſtentiam modalem eſſe modum ſubſtantiæ eam complentem & terminantem. Si cui placuerit hoc ſenſu Clariſſ. Suarium (niſi in locis in quibus ex profeſſo ſuſtentationem naturæ ſubſtantialis attribuit ſubſiſtentiæ) interpretari, facilè viderit me ab ejus ſententia haud magnopere recedere ; & ſimiliter in locis ubi ſuſtentationem naturæ adſcribit ſubſiſtentiæ, ſi eum intellexerit quaſi locutum de ſubſiſtentia fundamentali, me quoque illi haud difficulter conciliaverit.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 65 sur 591

©BIUM

Modi afficientes aſſeruntur.

14. Porrò, qui velit attentè conſiderare Suarii Diſp. 7. de diſtinctione modali, aliósque locos in quibus de Modis agit, haud difficulter collegerit, eum modos afficientes (ut ſuis modis terminantibus majorem conciliet gratiam) è confiniis propè Metaphyſicæ eliminâſſe. Ob quam cauſam mihi æquum juſtúmque viſum eſt hoſce modos ab invicem diſtinguere, & unicuique ſuum jus reſervare, ut de alterutro liceat, ſi opus fuerit, diſtinctè tractare. Quanquam enim naturæ energeticæ ſubſtantiales & accidentales realiter idem quod hi modi afficientes ſignificant; alia tamen earum conſideratio eſt quatenus naturæ dicuntur, alia quatenus modi. Secundùm illam reſpiciunt operationes ad quas deſtinantur; ſecundùm hanc, dependentiam à ſubjecto quod modificant. Nam hi quoque modi etiamſi adferunt ſubjectis entitatem ſive naturam realem, eámque operativam; ea tamen quodammodo implexa & involuta eſt in entitate ſubjecti è quo dimanat, & in quod ceu in ſubjectum recipitur, idémque denominat, éſtque entis entitas, nec diutiùs manet quàm à ſuo ſubjecto ſuſtentatur. Merentur itaque hoc reſpectu ſuam conſiderationem ut modi; & conſequenter debitam diſtinctionem à modis terminantibus, ut eorum ratio modalis diſtinctè expendatur, poſtulant. Atque hæc de horum terminorum diſtinctionibus.

Cap. III.

Quæſtio, An Natura ſubſtantialis in ſuo conceptu includat Subſiſtentiam fundamentalem.

Naturam & ſubſiſtentiam ex parte rei differre.

1. Diximus ſuprà, Subſiſtentiam rectè diſtingui in fundamentalem, & modalem; & illam includere perfectitatem in maxima propria vocis ſignificatione, & ſpectare ad partes naturæ; hanc addere terminum concretionis & complementi, nimirum modum ſtandi diviſim, ſive ſtatum diviſum, in ſe & per ſe ſeorſim completum. Hîc ulteriùs ſubſiſtentiam fundamentalem proſequimur, eámque naturæ ſubſtantiali vindicamus. Clariſſ. noſter Metaphyſicus, deceptus fortaſſe

fortaſſe (ut ſuprà inſinuavi) ambiguitate nominis Subſiſtentiæ, & Perfeitatis, perplexè de hac re loquitur. Aliquando *perfeitatem* naturæ ſubſtantiali afferere videtur, aliquando eam eidem apertè negat. Prima enim ejus naturæ deſcriptio, ſuprà recitata, vix aliter intelligi poteſt quàm ut includens *perfeitatem* in ratione naturæ. Ait enim includere totam entitatem ſubſtantiæ ſingularis abſtractè ſumptam. Videtur itaque naturam à ſuppoſito eo diſtinguere, quòd illa abſtractè, hoc concretè, concipiatur.

Suarii ſententia.

2. Verùm articulo ſequente eos refutat qui putant Naturam & Suppoſitum tantùm differre in modo conſiderandi, abſtractè & concretè. Quare neceſſe eſt eum aliter intelligamus: & quidem dupliciter à mente authoris aberrare licet. 1. Si loco naturæ ſubſtantialis, eſſentia ſive formalis ratio ipſius ſuppoſiti, quà ſuppoſiti, nempe Suppoſitalitas, ſumatur. Hanc enim per Naturam non intendit Suarius, ſed eſſentiam ſubſtantiæ cum ſuppoſitalitate in eodem ſuppoſito conjunctam. 2. Si putet naturam ſuppoſiti abſtractam, à termino concreto ratione tantùm differre. Quanquam enim dantur abſtracta quæ à ſuis concretis tantùm ratione diſcrepant, ut Deitas à Deo: ſunt tamen alia quæ ex natura rei diſtinguuntur; ut natura ſubſtantialis creata à ſubſiſtentia cum eadem concreta: de quali abſtractione Suarius intelligendus eſt. Sed cur nequeat intellectus totam ſubſtantiam creatam abſtrahere? Reſpondeo, quia in creaturis terminus ſive modus quo ſubſtantia fit concreta eſt ens reale à natura ex parte rei diſtinctum. Si ergò naturam abſtraxeris, neceſſe eſt hunc terminum reddentem ſubſtantiam concretam præcîdas. Cùm igitur iſte terminus nihil aliud ſit niſi modalis ſubſiſtentia, ſequitur naturam abſtractam ſubſtantiæ non includere eam ſubſiſtentiam. Atque hoc ſenſu & huc uſque aſſentior Suario.

Ejus error.

3. Verùm ubi ille paſſim ità de hac ſubſiſtentia tractat, quaſi nulla eſſet alia fundamentalis & ad partes naturæ ſpectans, ab eo planè deſideo. Non quòd negem dari ſubſiſtentiam modalem, quæ (ut à Suario frequenter exprimitur) eſt modus, terminus, appendicula, & complementum naturæ, quæque nullam entitatem planè novam ei adfert, ſed præſuppoſitam de novo modificat, & modificando aliter complet

©BIUM

complet ſive terminat: fateor, inquam, dari talem ſubſiſtentiam in omnibus ſubſtantiis creatis & completis à natura earum ex parte rei diſtinctam; atque hæc omnia ſimiliter docet ipſe Suarius. Verùm ubi huic ſubſiſtentiæ *eſſe per ſe* in maximè propria terminorum ſignificatione adſcribit, adeóque naturæ negat, cogor ab ejus opinione recedere. Nè videar autem præter cauſam à tanto viro diſſentire, paucis conabor perſeitatem propriè dictam ſive ſubſiſtentiam fundamentalem naturæ ſubſtantiali aſſerere. Sic igitur procedo.

Refutatur. 4. Quod primò contrahit ens ad ſubſtantiam, primóque eandem & maximè diſtante atque radicali differentiâ ab accidente diſtinguit, ſpectat ad eſſentiam ſubſtantiæ: Sed *eſſe per ſe* (eo ſenſu quo includit negationem ſuſtentationis ab alia creatura) primò contrahit ens ad ſubſtantiam, & maximè radicali maximéque diſtante differentiâ ab accidente diſtinguit: Spectat ergò ad eſſentiam ſubſtantiæ. Major probatur; Quia differentia quæ contrahit genus ad ſpeciem, eámque primò diſtinguit à ſpecie oppoſita omnibúſque aliis, eam etiam conſtituit. Nam differentia, ut eſt diviſiva generis, ità eſt conſtitutiva ſpeciei; & conſtituere nihil aliud eſt, niſi eſſe internum principium quod primò & radicaliter dividit ſive diſtinguit rem ab omnibus aliis. Ratio enim rei in qua fundatur negatio radicalis ſpeciei oppoſitæ eſt forma poſitiva ſive conſtitutiva ſuiipſius. Fateor dari differentias accidentales; ſed eæ non diſtinguunt ſpecies: dari quoque proprietates, quæ ſpecies quidem aliquo modo diſcriminant; ſed non primò & radicaliter. Solæ ergò differentiæ eſſentiales contrahunt genus, primóque & radicaliter diſtinguunt ſpecies. Hinc definitio quæ explicat naturam ſive eſſentiam cujuſvis rei conſtat ex genere & differentia: genus autem eſt pars eſſentiæ communis; differentia verò principalis & ſpecifica. Ea ergò ratio quæ primò & radicaliter diſtinguit ſubſtantiam ab accidente eſt de eſſentia, ſive eſt differentia eſſentialis ſubſtantiæ. Et ſic probatur major.

Differentia conſtitutiva.

Eſſe per ſe contrahere ens ad ſubſtantiam;

5. Ad minorem quod attinet; Certum eſt *eſſe per ſe* contrahere ens ad ſubſtantiam. Quamvis enim non inhærere in ſubjecto, quoad eſſentiam plenè conſtituto, contrahit ens ad ſubſtantiam tranſcendentem; non tamen idem contrahit ad genus univocum, nempe ad ſubſtantiam prædicamentalem; & con-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 68 sur 591

©BIUM

& consequenter non est sufficiens differentia ad hanc entis contractionem. *Esse* autem *per se* (quatenus per ista verba negatur sustentatio ab omni alia re creata) sufficienter contrahit ens ad substantiam prædicamentalem. Cùm enim *esse per se* in hoc sensu non tantùm includat negationem inhæsionis in subjecto priùs constituto, quæ est essentia substantiæ transcendentis, sed etiam inferiorem differentiam, nempe negationem sustentationis ab ulla creatura; necesse est contrahat substantiam ad speciem aliquam subtranscendenter: & cùm nulla sit alia ad quam per istam differentiam contrahatur præterquam ad prædicamentalem, necesse est ad hanc illam contrahat. Etenim de substantia transcendente quà tali dici nequit, eam sustentari à nulla creatura; forma enim materialis est talis substantia, interímque à materia sustentatur: multò minùs idem affirmetur de Accidente. Soli ergò substantiæ prædicamentali *esse per se* in hoc maximè proprio sensu competit.

& ab Accidente distinguere.

6. Altera pars minoris, Substantiam primò & radicaliter ab Accidente distingui suâ *perfeitate* essentiali, illustranda & confirmanda est. Ex eo autem hoc evincitur, quòd differentia, quæ contrahit ens ad substantiam transcendentalem, in nonnullis convenit cum accidentibus. Non enim includit negationem sustentationis ab alia creatura; atque hoc ipsum accidentibus commune est. Dices, naturam substantiæ transcendentis potiùs consistere in eo, quòd non inest in subjecto ut accidens. Sic enim suprà cap. 1. ex Aristotele definitur. Respondeo, dupliciter aliquid dici inesse in subjecto, vel ut in subjecto completè priùs quoad essentiam constituto & terminato; vel ut idem constituens, uniens, aut terminans. Priore modo sola accidentia sunt in subjecto; posteriore, rudimenta quædam substantialia; ut unio substantialis, subsistentia modalis, forma materialis. Quæ quidem inhærent in subjecto, sed non ut accidentia, nempe non in subjecto priùs completè constituto & terminato: sed ità insunt, vel ut subjectum contrahentia ad speciem, idémque constituentia; vel ut individua substantialiter complentia, terminantia, aut unientia. Quæ nullis accidentibus competunt. Interea loci hæc rudimenta substantiæ hoc habent commune cum accidentibus, quòd sustentantur à subjecto creato, & non per se sive suo

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 69 sur 591

©BIUM

marte ſuffulciuntur. Horum ergò entitas neque primò neque radicaliter ens ad ſubſtantiam prædicamentalem contrahit. Cùm ergò nihil præterea ſuperſit quod hoc gnaviter perficiat, niſi iſta forma poſitiva *perfeitatis*, in qua fundatur negatio ſuſtentationis ab ulla alia creatura, ſequitur eam ſolam primò & radicaliter contrahere ens ad ſubſtantiam prædicamentalem, & hanc eſſentialiter conſtituere.

Subſtantiæ naturam eſſe ſimplicem,

7. Dices, ex hac ſententia naturam ſubſtantiæ in genere compoſitam eſſe, nempe ex ſubſiſtentia fundamentali & natura energetica: necdum ſatis conſtare cui parti compoſitionis contractio entis ad ſubſtantiam primò & radicaliter debeatur. Nam certiſſimum eſt naturam energeticam non minùs eſſentialem eſſe ſubſtantiæ quàm ſubſiſtentiam fundamentalem. Reſpondeo, diſtinguendam eſſe naturam ſubſtantialem eam quæ in perpetuis, ab ea quæ in rebus caducis deprehenditur. Hæc enim realem compoſitionem admittit, illa minimè. Natura equi componitur ex natura materiæ & natura formæ equi: & hæc naturæ totius pars ab illa realiter differt; hæc deſtrui poteſt illâ manente: ut in generatione & corruptione corporum quotidie cernitur. Certiſſimum ergò eſt, eam naturæ partem quæ caduca eſt deſtitui fundamentali *perfeitate*, & non eſſe in maxima propria vocis ſignificatione naturam ſubſtantialem. Quare anima equi, quia caret fundamentali ſubſiſtentiâ, non contrahit entitatem equi ad ſubſiſtentiam in genere, ſed à natura materiæ, quæ ſubſiſtit, eam ſic contrahi præſupponit. Patet ergò in hiſce rebus rationem quæ primò & radicaliter contrahit ens ad ſubſtantiam eſſe *perfeitatem* fundamentalem. Verùm in naturis perpetuis, quales ſunt Angelorum, animæ rationalis, & materiæ primæ, perinde eſt ſive dicas, eas primò contrahi ad ſubſtantiam virtute *perfeitatis*, ſive *naturæ energeticæ*. Etenim in perpetuis natura ſimplex eſt, neque ſubſiſtentia fundamentalis à natura energetica realiter aut ex parte rei diſcriminatur. Verùm vel de his rectè dicitur, contractionem entis ad ſubſtantiam ſpectare ad conceptum *perfeitatis*, non ad *naturam energeticam*. Etſi enim hæ perpetuæ naturæ non componuntur ex partibus ex natura rei diverſis, rectè tamen dividuntur in inadæquatos conceptus ratione cum fundamento in re diſtinctos. Hi inadæquati conceptus jam habent ſuas

in perpetuis;

non in caducis.

objectivas

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 70 sur 591

objectivas rationes in intellectu ſatis diverſas. Si ergò de his quæſiveris, an contractio entis ad ſubſtantiam prædicamentalem ſpectet ad conceptum ſubſiſtentiæ fundamentalis, an ad conceptum naturæ energeticæ, conſpicuum eſt ſpectare ad illum, non ad hunc. Natura enim energetica Angeli ſub hoc nomine, ſive ſub hac ratione objectiva, non reſpicit neque conſiderat contractionem entitatis angelicæ ad *eſſe per ſe* in prædicamento ſubſtantiæ, ſed ejus coaptationem & deſtinationem ad operationes. Quare contractio entitatis Angeli ad *eſſe per ſe* pertinet ad conceptum ſubſiſtentiæ, non naturæ energeticæ: quanquam hi conceptus ex parte rei non diſtinguuntur, ut dictum.

Duplex corruptio idem probat.

8. Hæc ſententia porrò confirmatur ex comparatione inter ſe duûm generum naturarum compoſitarum, quorum alterutrum corruptibile eſt, ſed diverſimodé. Ex ipſa enim diverſitate corruptibilitatis argumentum deducitur. Naturæ quæ componuntur ex duabus pluribúſve eſſentiis ſeparabiliter unitis, in ſe habentibus ſuam fundamentalem *perſeitatem*, ob ſeparabilitatem duntaxat partium componentium corruptibiles ſunt, partes autem ſeparatæ perpetuò manent: ut anima rationalis & corpus humanum ſi ſeparentur, homo interit; ſed partes in quantum habent in ſe fundamentalem rationem eſſendi per ſe, neutra corrumpitur, ſed ambæ perpetuò manent. E contrà, in iis quæ componuntur ex una parte quæ eſt per ſe, & altera quæ non eſt per ſe, ſed ſuſtentatur in & à priore, non tantùm corruptio ſequitur ex ſeparatione horum principiorum, ſed & pars quæ caret propriâ *perſeitate* ipſo momento ſeparationis peſſundatur: ut natura materiæ per ſe eſt, natura autem formæ materialis eſt per inhærentiam in materia; quare, factâ ſeparatione, illa permanet, hæc planè deſinit eſſe. Hujus differentiæ nulla ratio aſſignari poteſt, niſi quòd illa, nempe anima rationalis, in ſe contineat talem entitatem quæ per ſe ſive ſuo marte ſe ſuſtentare queat: hæc verò, ſcilicet forma materialis, opus habeat fulcimento in quo & à quo ſuſtentetur, & ſine quo nè ad momentum ſupereſſe poſſit. Dices, contrarium potiùs hinc ſequi. Eò enim quòd forma materialis ſit ſubſtantia, & non ſit per ſe, infertur *ipſum eſſe per ſe* non eſſe de eſſentia ſubſtantiæ. Reſpondeo, formam materialem eſſe tantùm ſubſtantiam tranſcendentem,

©BIUM

tem, ad cujus eſſentiam non requiritur *eſſe per ſe*, ſed ſolummodo non inhærere in ſubjecto priùs conſtituto. Quare ea forma non participat naturam ſubſtantiæ maximè propriè ſic dictæ, nempe prædicamentalis, ſed tantùm tranſcendentalis. Minimè itaque mirandum eſt, ſi eſſentia ſubſtantiæ propriè dictæ, ſcilicet *perſeitas*, non conveniat tali formæ, cùm reipſa non ſit ſubſtantia eo ſenſu quo hæc talem eſſentiam poſtulat. Quin potiùs hinc colligitur, *eſſe per ſe* propriè diſtinguere ſubſtantiam prædicamentalem à tranſcendente, & conſequenter eſſe propriam illius, non hujus, eſſentiam. Utcunque ſit, nullo modo inferendum eſſe *perſeitatem* non ſpectare ad eſſentiam ſubſtantiæ.

Eſſe per ſe non competere ſubſiſtentiæ modali.

9. Inſuper hoc idem evincitur, quòd illa ratio ſubſtantiæ quâ ea per ſe ſuſtentatur (eóque reſpectu non dependet ab ulla alia creatura) non competat ſubſiſtentiæ modali, & conſequenter ſpectet ad naturam ſubſtantialem. Omnes enim ſubſtantiam metaphyſicè compoſitam in naturam & ſubſiſtentiam (naturæ modum) reſolvunt, eámque compoſitionem ſolam realem eſſe aſſerunt. Quicquid ergò in ſuppoſito reperitur quod non competit ſubſiſtentiæ modali, neceſſariò ad partes naturæ adſcribendum eſt. Jam verò ea ſubſtantiæ ratio quâ ſe ſuo marte ſuſtentat non ſpectat ad ſubſiſtentiam modalem; ſpectat igitur ad partes naturæ. Quòd verò ad illam non ſpectat, ex eo conſtat, quòd ipſa ea ſubſiſtentia modalis dependeat & ſuſtentetur à natura. Hoc probabile putat Suarius Diſp. 34. ſ. 6. n°. 9. & argumenta in contrarium adducta ſolvit. Verùm enimvero ratio ob quam ille hæſitanter de veritate propoſitionis pronunciat eſt, quia ſubſiſtentiam fundamentalem cum modali confundit. Quo reſpectu eadem aſſertio partim vera, partim falſa, dicatur: unde fortaſſe ille putavit eam eſſe probabilem. Nequivit enim ſatis dilucidè argumentis alterutrius partis reſpondere. Verùm admiſſâ diſtinctione ſubſiſtentiæ in fundamentalem & modalem, propoſitio, alioquin confuſa & dubiæ veritatis, in duas diſtinctas & manifeſtè veras reſolvetur; nimirum, Subſiſtentiam fundamentalem non dimanare à natura ſubſtantiali, &, Subſiſtentiam modalem manifeſtè à natura dimanare.

Quod ad priorem attinet, ea proculdubio vera eſt. Nam ſubſiſtentia fundamentalis, ſive eſſentialis, neque realiter neque

que ex parte rei differt à natura ſubſtantiali: Eſt enim ipſa ſuſtentatio naturæ per ſe. Siquidem ubi id quod ſuſtentatur, per ſe ſuſtentatur, ſuſtentans & ſuſtentatum ex parte rei idem ſunt. Si enim aliud ſit id quod ſuſtentat ab eo quod ſuſtentatur, non ampliùs ſuſtentat ſe, nec per ſe, ſed per aliud, & ſuſtentans eſt à re ſuſtentata diverſum. Natura autem ſubſtantialis à nulla alia creatura niſi à ſeipſa ſuſtentatur. Quare reſpectu creaturarum ipſa eſt per ſeipſam, ſive ipſa eſt ea intrinſeca ſubſiſtentia per quam ſubſiſtit. Ità ut per ſe ſubſiſtere hoc modo dicat intrinſecam naturæ entitatem in ſeipſa, & in nulla alia creatura, fundari. Quocirca fundamentalis hæc ſubſiſtentia neque realiter neque ex parte rei ab eſſentia ſubſtantiæ, cujus eſt, differt. Eò enim quòd intrinſeca ſit, intra eſſentiam ſubſtantiæ includitur: Quod enim non includitur in ea eſſentia eſt extra eandem. Hinc D. Thom. aſſerit ſuppoſitum creatum neceſſariò includere aliquid extra eſſentiam ſpeciei. Hoc *extra* eſt ſubſiſtentia modalis, non autem fundamentalis, quæ tantùm differt ratione, ſive ut inadæquatus conceptus, ab eſſentia ſive natura ſubſtantiali.

Subſiſtentiam modalem à natura dimanare.

10. Ad alteram propoſitionem devenio, Subſiſtentiam modalem manifeſtè à natura dimanare. Hîc ad partes Suarii me confero, Hanc ſubſiſtentiam eſſe tantùm modum à natura reſultantem, quatenus ea diviſa eſt ab omnibus aliis naturis. Impoſſibile autem eſt ut natura, ſic diviſa, non de ſe dimanare faciat ſtatum in ſe & per ſe ſeorſim completum. Implicat enim repugnantiam, naturam ſic diviſam nec eſſe partem alterius, nec eſſe totum in ſe. Pars enim à ſuo toto diviſa non manet ampliùs ut pars. Quod enim dividitur non jam communicatur ei à quo dividitur; utpote ad communicationem totius & partis ſaltem requiritur unio. Eò autem quòd natura aliqua non ſit alterius pars, neceſſariò eſt in ſe tota & completa. Etenim in eo ſtatu ad complementum nullâ ei pars deeſt: imò, additâ aliâ naturâ aut parte, ceſſat ſtatus diviſus, eodémque momento ceſſat ſtatus in ſe completus. Ex ipſa enim additione, quod antea completum erat fit pars, & eatenus incompletum. Quare reſultat ſubſiſtentia modalis ſive ſtatus completus à natura, quatenus eſt diviſa ab omnibus aliis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 73 sur 591

©BIUM

Suarii nova ſententia de natura ſubſtantiæ rejicitur.

11. Pluribus aliis rationibus hoc confirmari poteſt, quarum aliquæ fortè occurrant capite ſequente. Hîc potiùs Suarii ſententia expendenda eſt. Diſp. 34. ſ. 4. nº. 29. expreſsè aſſerit perfeitatem non ſpectare ad eſſentiam ſubſtantiæ. *Alio*, inquit, *modo ſumitur per ſe, ut dicit talem actualem eſſendi modum qui omnino excludat dependentiam & unionem actualem cum aliquo ſuſtentante: & de hoc negamus eſſe eſſentialem exſiſtentiæ propriæ ſubſtantialis naturæ, quandoquidem ablato hoc modo, poteſt exſiſtentia naturæ conſervari: ut in Chriſti Humanitate factum eſt.* Ego verò puto Suarium hîc deceptum eſſe ambiguitate (ut dixi) iſtorum verborum [*eſſe per ſe*:] & quoniam ſubſiſtentia fundamentalis in propriè dicta perfeitate conſiſtit, exiſtimâſſe ſubſiſtentiam quoque modalem in eadem ratione poſitam eſſe. Non enim diſtinguebat ſubſiſtentiam eſſentialem à modali. Siquidem *eſſe per ſe* quod hîc definit confuſum quid eſt: Includit enim duplicem negationem, alteram ſuſtentationis, alteram unionis. Malè igitur duas acceptiones perfeitatis, duáſque rationes ſubſiſtentiæ, confundit. Nam negatio ſuſtentationis ab alia creatura eſt perfeitas fundamentalis, quæque eſſentialis eſt omni ſubſtantiæ propriè dictæ: at negatio unionis cum aliquo alio eſt perfeitas modalis, quæ ubicunque adeſt terminat & complet naturam ſubſtantialem, & ex abſtracta efficit concretam & completam. Ubi ergò dicit conſervari Humanitatem Chriſti abſque negatione ſuſtentationis aut unionis cum alio ſuſtentante, confuſus eſt. Etenim ea Humanitas non ſuſtentatur ab ulla alia creatura, & eatenus includit perfeitatem eſſentialem ſubſtantiæ creatæ; cujus forma, etſi in ſe ſit poſitiva, facillimè tamen à nobis concipitur per negationem perfectivam, (quæ ſub ſe perpetuò occultat formam poſitivam,) inquam, per negationem ſuſtentationis ab ulla alia creatura; quæ verba per viam negationis perfectivæ exprimunt formalem rationem perfeitatis eſſentialis ſive ſubſiſtentiæ fundamentalis, quam, inquam, Humanitas Chriſti in ſe manifeſtè includit: alteram autem perfeitatem, quæ deſcribitur per negationem unionis ſubſtantialis cum alio, certiſſimum eſt eam non includere; actu enim unitur ſubſiſtentiæ Divinæ *Verbi*. Quarè perfeitas quæ explicatur per negationem ſuſtentationis ab alia creatura eſt ſaltem ex natura rei diſtincta ab ea quæ exprimitur

©BIUM

primitur per negationem unionis ſubſtantialis cum quovis alio. Non rectè igitur infert Suarius exſiſtentiam ſubſtantialem non actu includere perfeitatem, (ſi de eſſentiali intelligatur,) ſed aptitudine tantúm. Si enim natura ſubſtantialis ſit actualis, eſt actu per ſe ; ſin potentialiter ſumatur, eſt potentialiter per ſe.

Subſtantiam eſſe ens per ſe ſubſiſtens.

12. Cæterùm Clariſſ. Suarius negat *eſſe per ſe* omnino ad eſſentiam ſubſtantialem ſpectare ; atqui tantùm ei deberi ut quid conſequens, ſivè ut quid reſultans ab eadem. Hinc enim auſus eſt Diſputatione laudatâ ſ. 8. n°. 11. vulgò receptam ſubſtantiæ definitionem corrigere. Eam non eſſe ampliùs (directè) *ens per ſe ſubſiſtens*, ſed *habere talem eſſentiam & naturam cui debeatur ſubſiſtentia, ſeu quæ ex ſe ſit ſufficiens principium illius.* Hæc deſcripto multis modis manca & inſufficiens eſt. Nam primò, nullam abſolutam ſubſtantiæ entitatem ſive quidditatem exprimit ; ſed nos rejicit ut eam intelligamus ad quid conſequens ſive reſultans, nempe ad modum complentem. At dic, quæſo, jam, quid eſt natura ſubſtantialis in ſe abſque reſpectu ad modum reſultantem ? Si enim in ſe nullam habeat naturam abſolutam, quî poteſt eſſe principium talis modi ? Porrò, ſecundò aſſerit Doctiſſ. vir, ſ. 7. n°. 17. *ſolam naturalem dimanationem ipſius ſubſiſtentiæ eſſe à natura, ut natura eſt.* Item, ſ. 6. n°. 31. *ſolâ divinâ potentiâ impediri poſſe reſultationem modi ſubſiſtentiæ à natura.* Inſuper ſ. 6. n°. 18. *naturam eſſe materialem cauſam ſubſiſtentiæ.* Oportet autem ea entitas cui debentur hæc encomia ſit in ſe entitas ſtabilis ſive firma, & non dependeat ab alia creatura ut ſit ; imò ut ſit ima & ultima baſis & fulcimentum ſuiipſius, entiúmque ſibi ſuperſtructorum aut à ſe reſultantium ; hoc eſt, ut ſit natura eſſentialiter per ſe, etiam antequam ſubſiſtentia perſonalis ei additur, aut ab eadem reſultat. Inſuper requiritur non tantùm ut ſtet ſtabilis in ſe, ſed ut ſit principium quoque operativum, nimirum, ut ſit quaſi ſubjectum ſive fulcimentum naturæ alicujus operativæ, nè aliàs ſit inutile quid & fruſtrá. Eſt ergò entitas quæ coaptatur ad aliquas actiones, paſſiones, ceſſationes, motum vel quietem. Atque adeò habemus jam naturam ſubſtantialem ſpectabilem, entitatem quippe fundamentalem, firmam & ſtabilem, hoc eſt, per ſe ſubſiſtentem, ſuâque naturâ energeticâ impræ-

gnatam.

©BIUM

gnatam. Atque hæc de Natura quatenus essentialiter per se subsistit: Restat altera perfeitas à natura resultans, eámque complens, proximo Capite explicanda.

Cap. IV.

In qua re consistit ratio Subsistentiæ modalis.

Subsistentia naturam complet.

1. Explicuimus Capite præcedente naturam substantialem, eíque *fundamentalem subsistentiam* sive perfeitatem vindicavimus: supereſt altera *Subsistentiæ* acceptio, quæ *modalis* est, naturámque in ratione substantiæ concretæ complet & terminat. Natura enim, (prout à nobis concipitur,) per se licèt essentialiter subsistat, non tamen integra est, sed quodammodo incompleta, & metaphysicè abstracta: ut Humanitas. Caret ergò aliquo termino præciso, quo restituto, fiat iterum substantia concreta & completa. Duo igitur hîc quæruntur. Primum, *quid illud sit quod in abstractione naturæ substantialis præciditur.* Secundum, *an id quod sic præciditur à natura abstracta ex parte rei differat.*

Scoti sententia refellitur.

2. Quod ad primum attinet, inter Philosophos propè convenit, id quod præciditur appellari & esse subsistentiam quandam. Quid autem per istam subsistentiam intelligendum sit, vix satis apertum est. Qui Scotum sequuntur nihil aliud esse putant nisi *negationem sustentationis ab alio.* Verùm hæc negatio haud satis circumscribit hanc subsistentiam, nè quidem quatenus ea negativè concipitur; nedum quatenus est in re actus positivus & fundamentum istius negationis. Tria enim sunt quæ contra istam descriptionem objici possunt. Primum, quòd formalem subsistentiæ rationem ponat in negatione. Secundum, quòd verbis istis [*ab alio*] *sustentationem* non satis restringat. Tertium, quòd essentiam subsistentiæ modalis quatenus negativè concipitur explicet per negationem sustentationis; cùm potiùs consistat in negatione unionis cum alia natura. De his ordine.

Entitatem subsistentiæ non consistere in sola negatione.

3. Essentiam Subsistentiæ non consistere in pura negatione ex eo innotescit, quòd negatio à Scoto ei adscripta sit negatio

©BIUM

gatio perfectiva; quæ, in re, implicat formam poſitivam in qua fundatur. Suſtentari enim ab alia re creata manifeſtè imperfectionis eſt & privationis. Saltem ergò implicitè in ſe continet negationem alicujus perfectionis. Omnis verò perfectio, in re, poſitiva eſt, utcunque negativè à nobis exponatur. Negatio autem quâ exponitur eſt negatio negationis, ſive privationis, quæ reſolvenda in formam poſitivam. Duæ enim negationes in natura non immediatè opponuntur, ſed altera eſt forma poſitiva. Porrò, è duabus negationibus ea quæ perfectiva, non ea quæ defectiva aut privativa, pro poſitiva eſt habenda. Cùm ergò negatio ſuſtentationis ab alio ſit negatio alicujus privationis, ultimò reſolvitur in formam poſitivam privationi quam negat oppoſitam. Interim largimur Scoto ſubſiſtentiam fundamentalem (de qua priore Capite egimus) in ſe continere negationem ſuſtentationis ab ulla alia creatura, & per talem negationem rectè explicari poſſe, quanquam, in re, ſit poſitiva. Hoc enim plurimis aliis formis poſitivis commune eſt.

Negatio ſuſtentationis ab alio ſoli Deo convenit.

4. Secunda objectio contra deſcriptionem Scoti ſumitur à verbis [*ab alio,*] quæ non ſatis reſtringunt *ſuſtentationem* quam ſubſiſtentia fundamentalis negat. Etenim negatio ſuſtentationis ab omni alio ſoli Deo appropriatur. Omnes enim creaturæ eſſentialiter dependent à Deo; & vel ipſa cauſa materialis & ſubjectiva, quæ reſpectu creaturarum ultima eſt, Deo eſſentialiter ſubordinatur. Cauſa enim prima eſſentialiter ſuperior eſt omni ſecundâ: & conſequenter omnis cauſatio creaturæ, vel ipſius materiæ, ſubordinatur cauſæ primæ quà efficienti, ità ut Deus effectivè & immediatè concurrat cum materia & forma in cauſationibus ſuis. Ipſa ergò ſuſtentatio quam miniſtrat ſubjectum accidentibus, aut materia formæ ſubſtantiali, eſt etiam effectus Divinæ virtutis concurrentis. Cauſa autem prima non concurrit ut cauſa materialis, quia hoc imperfectionis eſt; ſed ut cauſa efficiens, quâ perficit quicquid ulla cauſa ſecunda cujuſcunque generis producit. Hæc omnia luculenter probantur à Clariſſ. Suario Diſp. 22. ſ. 1. quò lectorem referimus. Conſtat itaque nihil ità à natura ſuſtentari, quin idem quoque immediatè à Deo ſuſtentetur, quanquam non eodem modo, neque ut à cauſa materiali. Non enim repugnat eſſe duas cauſas immediatas ejuſ-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 77 sur 591

©BIUM

dem effectûs, modò sint essentialiter subordinatæ. Existimo igitur Scotum, ubi dicit subsistentiam esse negationem sustentationis *ab alio*, ità intelligendum esse quasi dixisset, esse negationem sustentationis *ab alia creatura*. Eam enim fuisse mentem Scoti verisimile est.

Negatio hæc non spectat ad subsistentiam modalem.

5. Supereſt adhuc tertia exceptio contra descriptionem datam, si quâ nimirum ea applicetur subsistentiæ modali, quasi hujus essentia *in negatione sustentationis ab alia creatura* consistat. Suprà probavi hanc negationem spectare ad naturam substantiæ, & esse fundamentalem rationem ejusdem, & consequenter non spectare ad modum à natura resultantem. Fateor Suarium alio nomine sententiam Scoti refutare, nimirum quatenus ponit subsistentiæ hujus rationem in negatione: cui ego quoque, ut ex suprà dictis liquet, eo respectu assentior. Verùm cùm Clariss. Suarius Disp. 34. s. 2. nº. 8, 9, &c. videtur Scoto concedere, subsistentiam modalem quatenus negativè concipitur consistere in negatione sustentationis ab alia creatura, ego ab illo dissentio. Agnosco quidem hanc subsistentiam rectè concipi posse tanquam actum naturam complentem, & ab eadem resultantem: nego tamen esse talem actum à quo negatio sustentationis resultet. Quare lapsum Suarii puto, ubi mutat substantiæ descriptionem vulgò receptam, asserendo *esse per se* non spectare ad essentiam substantiæ, sed *habere talem naturam cui debeatur subsistentia sive esse per se*. Hoc ergò hîc monstrandum est, subsistentiam modalem, sive resultantem à natura eámque complentem, non consistere *in negatione sustentationis ab ulla creatura*; sed, si negativè exprimenda sit, consistere *in negatione unionis cum alia essentia substantiali*: sin positivè, in ipso *esse per se seorsim*, sive in *esse actu diviso ab omnibus aliis*. Si enim natura verè substantialis non sit unita alteri, sed stet actu divisa ab omnibus aliis, est eo ipso in se & *per se seorsim* completa & incommunicabilis.

Esse per se non sufficit ad naturæ complementum.

6. Probatur hæc thesis, primò, quia neque sustentari à se neque negatio sustentationis ab alia creatura sufficiunt ad naturam substantialem complendam. Supponamus enim naturas duorum pluriúmve elementorum diversæ speciei inter se uniri; suppositalitas indè resultans clarè diversa fuerit ab ea alterutrius eorum si seorsim starent. Quare, hoc dato, naturæ

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 78 sur 591

turæ iſtorum elementorum fuerint communicabiles diverſis ſuppoſitis diverſarum ſpecierum. Junctæ enim ſuppoſitum diverſum conficiunt ab eo quod alterutrum ſeorſim faceret. Jam verò hoc iſtis naturis non propterea accidit, quòd in miſtione ab alia re ſuſtententur; ſed, quòd modò cum elemento diverſæ naturæ uniantur, modò ab eodem dividantur. Quanquam enim alterutrius natura ſeipſam ſuſtentare ſupponeretur; non tamen eſſet ſuppoſitum, ſi uniretur alteri: ſin alterutra ſtaret diviſa, abſque alia mutatione reſultaret ſuppoſitum. Quocirca ſtatus diviſus eſt id quod conſtituit ſuppoſitalitatem, non ſuſtentatio ſuiipſius. Dices, à duabus naturis junctis reſultare ſuppoſitum vi unionis, non vi diviſionis. Reſpondeo, in perſonis compoſitis unionem quidem eſſe requiſitam ad reſultationem perſonalitatis; ſed eam ſolam nec eſſe ſufficientem, neque cauſam occaſionalem proximam. Si enim duabus naturis unitis addatur tertia, Suppoſitalitas, quæ alioquin à duabus ſolis reſultaret, ſuſpenderetur, & nova emergeret; quòd duæ naturæ unitæ non forent, additâ tertiâ, in ſtatu diviſo ab omnibus aliis. Quamobrem ſtatus diviſus eſt ipſa ratio quæ cum natura ſubſtantiali proximè ſuppoſitum conſtituit.

Rem fieri incompletam per additionem.

7. Dices, argumentum Suarii contra Scotum Diſp. 34. ſ. 2. nº. 15. hoc coarguere; *rem non fieri incompletam per additionem, ſed per ablationem; nam per additionem potiùs fit pluſquam completa, ſi ità liceat loqui. Ex hoc autem ſequitur ulteriùs, non poſſe intercedere ſubſtantialem unionem inter talem ſubſtantiam & aliam omnino completam: in hoc enim maximè verum habet illud axioma, Ex duobus entibus in actu, omnino ſcilicet completis & perfectis, non fieri unum per ſe: Nam ſi utrumque componentium in genere ſubſtantiæ completum & integrum ſit, & per unionem nihil amittat quod neceſſarium ad illud complementum, intelligi ſatis non poteſt quo modo ſubſtantialis unio inter ea fiat, & ad conſtituendam ſubſtantiam per ſe unam ordinentur*, &c. Reſpondeo, aliquid completum dici vel ratione magnitudinis in quantitate continua, vel ratione numeri partium in quantitate diſcreta; & utrovis modo, ſive in defectu magnitudinis, ſive numeri partium, res non fit incompleta per additionem. Verùm datur alius modus quo res redditur incompleta; nimirum, quo quod in ſe eſt totum fit alterius pars: &

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 79 sur 591

©BIUM

hoc modo quod in statu diviso erat completum, additum sive unitum alteri redditur incompletum, sive pars alterius. Id enim quod alteri unitur auget ejus partes cui additur ; sed interim suam integritatem perdit. In additione sive in unione continuationis, duæ guttulæ aquæ divisæ duo completa individua sunt ; conjunctæ, sunt partes & incompletæ. In mixtura, elementa separata completa sunt ; in mixto, sunt partes elementales & incompletæ. Constat ergò statum separatum, sive divisionem cujusvis naturæ substantialis ab omnibus aliis, esse proximum requisitum quo à natura resultet sive dimanet complementum subsistentiæ, hoc est, status sive modus essendi in se & per se seorsim completus ; cùm iste modus à nulla natura resultet nisi priùs sit divisa ab omnibus aliis.

Statum divisum non esse puram negationem.

8. Ubi verò urget Suarius, *ex duobus entibus actu completis non fieri unum actu*, rectè sibi satisfacit per ista verba addita, *& per unionem nihil amittat*. Quod enim unitur alteri perdit suum complementum, quod antea in statu diviso habuit ; ut duæ lactis mensuræ unitæ non sunt amplius duo individua completa, sed partes unius tertii. Perdunt itaque statum essendi separatum, sive perdunt suum esse per se seorsim completum. Dices, hoc esse per se ab omnibus aliis divisum nihil aliud esse nisi negationem unionis cum alio. Respondeo, non esse puram negationem, sed actum sive modum positivum in quo ista negatio unionis cum omni alia natura fundatur. Negatio enim unionis cum alio supponit aliquid quod non unitur, atque id aliquid esse necessariò positivum. Divisio hujus ab omni alio efficit ut idem nullius sit pars. Resultat ergo à natura, occasione talis divisionis, esse in se completum, in quo fundatur negatio unionis cum alio. Cùm enim occasione divisionis ab omni alio natura se compleat, necessariò fit ejus complementum includat negationem unionis cum omni alio. Utpote sublatâ hâc negatione, ponitur iterum unio cum alia natura, cui communicatur ut pars ; & consequenter, positâ unione, cessat complementum prioris naturæ ; posito complemento, cessat sive negatur nova unio. Hoc complementum concipitur per modum actûs sive statûs resultantis à fundamentali naturæ subsistentia. Est enim actus soli naturæ substantiali appropriatus, quatenus ea in se habet subsistentiam fundamentalem. Altera enim pars naturæ, quam energeticam voco, si

separetur

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 80 sur 591

©BIUM

ſeparetur à ſua fundamentali perfeitate, illico evaneſcit: quemadmodum cernimus in formis materialibus, quæ ſunt naturæ energeticæ, ſed deſtituuntur propriâ perfeitate eſſentiali; non ergò ferunt ſtatum ſeparatum, ſed in momento ſeparationis deſinunt eſſe. Hinc evincitur ſtatum ſeparatum eſſe modum ſubſiſtentiæ fundamentalis, à qua ſola radicaliter dimanat, cuique intimè adhæret, ità ut ab eadem non realiter, ſed tantùm modaliter, ſive ex natura rei, differat. Hinc quoque, utì arbitror, graviſſimi Metaphyſici hactenus confuderunt ſubſiſtentiam modalem cum fundamentali. Tantillum enim eſt quod illa huic addit, ſcilicet ſolùm ſtatum ſive modum eſſendi per ſe ſeorſim completum; quem ſola ſubſiſtentia fundamentalis producere, & abſque interitu ſuſtinere, poteſt. Accidentia enim & formæ materiales inſtanti ſeparationis ſuccumbunt & deſinunt eſſe, quòd careant radicali perfeitate, è qua modalis & complens reſultet. Quare propriâ eſt ſolius ſubſiſtentiæ fundamentalis prærogativa, poſſe ſe terminare & complere, à ſe ſubſiſtentiam modalem, ſive ſtatum eſſendi per ſe ſeorſim completum, propagando.

Unionem continuitatis non eſſe ſubſtantialem.

9. Non me latet unionem continuationis, reſpectu ſolius quantitatis, non eſſe ſubſtantialem, ſed accidentalem; & quantitatem rei abſque mutatione ſpeciei continuari aut dividi poſſe. Duæ enim guttulæ aquæ, ſive continuantur ſive dividuntur, ſervant ſpeciem aquæ, ſed numero diſtinguuntur. Similiter duo corpora continuantur quoad quantitatem, quæ quoad eſſentiam diſtinguuntur; ut pars ſphacelo correpta jungitur ſanæ, & ligni virentis pars continuatur putridæ. Quare unio hæc continuitatis reſpectu ſolius quantitatis nec eſſentialis eſt nec ſubſtantialis. Verùm cum unione quantitatis ſæpe conjungitur unio ſubſtantialis; nempe ipſa ſubjecta quantitatis entitativè (ut loquuntur) uniuntur. Quæ unio ſubſtantialis eſt, & mutat ſtatum ſubſtantiarum à ſeparato ad conjunctum. Unde ex duobus individuis fit unum æquivalens duobus. Conſtat igitur modum ſubſtantialem in hoc caſu mutari, manente ſpecie, & eſſentiâ. E contrà, in poſterioribus inſtantiis ſolvitur unio tam ſubſtantialis quàm eſſentialis, manente quodammodo continuitate quantitatis. Quocirca diſtinguenda eſt unio quantitatis ab unione ſubjectorum ejuſdem. Etſi enim diviſæ eſſentiæ quoad quantitatem continuam

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 81 sur 591

©BIUM

nuari queant, ut ex instantiis datis constat; non tamen fieri potest ut quantitas dividatur manente essentiâ integrâ: quia divisâ quantitate, dividitur ipsa unio subjectorum ejusdem. Impossibile enim est ut subjecta materialia quantitate non continuatâ substantialiter continuentur: se mutuò quidem contingere queant, sed hoc summum est. Repugnat enim ut materialis substantia continuo ductu protendatur absque sua continuatione. Quamvis igitur divisio quantitatis accidentalis sit, fieri tamen nequit quin eâ divisâ dividatur unà substantia in qua subjectatur. Sed hæc divisio, utplurimum, non producit essentialem mutationem, at duntaxat substantialem, simúlque numericam. Quare subsistentiæ mutatio non perpetuò denotat mutationem naturæ, sed hanc esse communicabilem pluribus suppositis.

Creaturam sine subsistentia esse impossibilem.

10. Sciendum autem est, omnem divisionem substantiæ non dare sufficientem occasionem cur resultare dicatur utrinque nova subsistentia. Fateor aliqualem mutationem cuilibet massæ materiæ, detractâ minimâ particulâ, contingere: sed ob continuum fluxum rerum naturalium modica mutatio pro nulla habetur. Interim particulæ abscissæ nova individua sunt & reputantur. Corpora verò à quibus abraduntur, quòd sensibiliter non mutentur, quódque particulæ abrasæ sensim sine sensu auferantur, non dicuntur mutâsse subsistentiam modalem; sed esse perpetim in statu fluxili, & per vices instaurandæ. Cæterùm corpora quodcunque genus bisecta ex uno duo individua fiunt: similitérque corpora in partes aliquotas, aut haud magnopere quoad magnitudinem discrepantes, divisa, in tot individua nova resolvuntur in quot partes dividuntur; & quodlibet individuum propriam subsistentiam modalem se respectivè complentem nanciscitur. Novus enim status substantialis à subsistentia fundamentali occasione divisionis resultat. Hoc obiter advertendum putavi, ut discriminemus fluxibilitatem rerum naturalium ab ipsa earundem mutata subsistentia.

Divus Thomas defenditur.

11. Hîc quoque expendere lubet difficilem illum locum D. Thomæ à Suario notatum Disp. 34. s. 3. nº. 12, 13, 14, &c. *Non posse creari substantiam in qua suppositum à natura non distinguatur*, &c. *Ratio autem cur hæc distinctio sit necessaria in omni substantia creata hæc insinuatur à D. Thoma in dicto Quodlibet*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 82 sur 591

libet & tert. part. quæſt. 2. quia nulla eſt poſſibilis ſubſtantia creata in qua non ſit aliquid extra eſſentiam ſpeciei. Hæc Suarius: & paulò pòſt, nº. 13. *Difficile autem eſt vim hujus rationis intelligere, & rationem ejus reddere*, &c. Suarii ambages ſequi non lubet, quòd prolixiùs in rebus quæ ad ſequelæ illuſtrationem parùm faciunt hæreat: Meam itaque ſententiam paucis aperuero. Creatura, quia finita, neceſſariò inadæquata eſt totî latitudini (non tantùm generum ſuperiorum, ſed &) infimæ ſpeciei. Genus enim latius eſt qualibet ſpecie, & ſpecies infima plurium individuorum indefinitè capax eſt. Quodlibet ergò individuum quod non compleat totum genus aut totam ſpeciem poteſt communicari alteri, ſive ejuſdem ſive diverſæ ſpeciei. Requirit ergò complementum quo terminetur in ſe, & reddatur omnibus aliis individuis, cujuſcunque generis aut ſpeciei, incommunicabile. Solus Deus omnem plenitudinem entitatis in ſuam naturam abſorbet; quævis creatura limitatâ portiunculâ contenta eſt. Hinc omnis natura ſeu eſſentia finita uniri alteri vel communicari poteſt. Supponit enim aliquid extra ſe cui communicetur; quod infinito non competit. Quod autem in ſe incompletum eſt non penitùs abhorret ab unione cum alio. Nondum enim ſe undique munivit & terminavit complemento incommunicabili. Poteſt ergò adhuc cum alia natura coaleſcere, & ſe alteri communicare. Quare natura adhuc quodammodo communicabilis eſt, & ſola ſubſiſtentia complens eam uni reſtringit.

12. Accipit hæc Suarius, quaſi D. Thom. per communicabilitatem hanc naturæ, communicationem ejus ſuis individuis intenderat. Verùm neceſſe eſt intendat (ſi velit eſſe verus) communicationem individualis naturæ diverſis ſuppoſitis. Natura enim individua ſolo nomine perfeitatis eſſentialis, & exiſtentiæ ejuſdem, non eſt incommunicabilis diverſis ſuppoſitis; ſed ſi ſuperveniat ei ſubſiſtentia complens, incommunicabilis redditur. Hoc evidenter probatur, quia duæ naturæ ſubſtantiales unitæ non eâdem ſubſiſtentiâ quâ alterutra ſeorſim terminabatur terminantur. Natura itaque individualis communicabilis eſt diverſis ſuppoſitis. Complementum verò quo natura incommunicabilis redditur non eſt altera natura, (quæ non minùs in ſe interminata eſt,) ſed quid extra eſſentiam ſeu naturam ſpeciei, eíque additum, & eandem complens.

Communicabilitas ab univerſalitate diſtinguitur.

Ratio

©BIUM

Ratio itaque, secundùm D. Thomam, cur substantia creata requirat aliquid extra essentiam speciei quâ compleatur, est, quòd aliàs communicabilis esset pluribus suppositis. Ratio autem cur communicabilis foret, est, quòd cum aliis naturis uniri possit, & sic novam subindè subsistentiam postulet.

Naturas completas uniri posse.

13. Dices, naturam esse completam in ratione naturæ ante adventum subsistentiæ: asserit autem Suarius naturam in se completam non posse uniri alteri, Disp. 34. s. 2. nº. 15. *Alioquin*, inquit, *nulla ratio reddi potest ob quam inter personas non possit immediatè intercedere substantialis unio, & similiter inter naturas substantiales & completas, ut naturæ sunt. Tota enim ratio est, quia cùm sint completæ in sua ratione, nec naturæ possunt uniri ad complendam unam naturam, nec personæ ad componendam unam personam*, &c. Respondeo, naturas fortasse Angelorum ità esse comparatas, ut ineptæ sint uniri cum ulla alia natura; de qua tamen re nihil pronuncio: & ex spiritibus forsitan solam Animam rationalem ità conformatam esse ut cum alia natura uniatur. Quin & specificus corporis apparatus ad eam unionem requiritur; ità ut extincto spiritu vitali ista unio continuari nequeat. Non ergò negandum est quin ex parte naturæ aliquid requiratur, quo ad unionem cum alia natura disponatur: ut fortasse in nonnullis naturis ex unione resultet perfectio aliqua quæ separatis deerat, unde sequitur melioratio conditionis: similitudo quoque magnum est unionis principium; hinc similia facillimè congregantur & uniuntur. Sunt & plurima alia unionis media, minoris licèt notæ, quæ ad uniendas naturas conducunt, de quibus tamen hîc agendum non est. Mihi verò alioquin valde dubia est Suarii assertio, quâ dicit duas naturas in se ratione naturæ completas non posse uniri inter se sub communi subsistentia. Hoc enim videntur ista verba insinuare, nec *naturæ possint uniri ad complendam unam naturam*. Existimo naturas in ratione naturæ completas non necessariò abhorrere ab unione cum omni alia natura. Fateor dari quædam requisita ex parte naturæ ad unionem, qualia, mutua conformitas, similitudo, proportio, congruitas, coaptatio ad cohabitationem, &c. quibus earum unio faciliùs procuratur. Verùm obices unionis respiciunt certas naturas, non omnes. Ea enim natura quæ cum hac vel illa unionem respuat, cum alia fortè unionem ultro ambiat:

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 84 sur 591

ambiat: ut cera ſocietatem ſpiritûs vitrioli ſpernit, olei congreſſum amplectitur. Quare certum eſt naturas non eodem modo incommunicabiles eſſe quo ſubſiſtentiæ, naturáſque ex parte naturæ completas aliis ſimiliter completis communicabiles eſſe, modò alio reſpectu ad mutuam unionem ritè comparentur. Quanquam igitur aliæ naturæ alias averſantur; ratio tamen averſationis non eſt, quòd in ſe ſint naturæ completæ, ſed quòd aversâ quadam diſpoſitione ad unionem cum hac vel illa imbuantur. Quare incommunicabilitas ſuppoſiti ſubſiſtentiæ modali, non naturæ, tribuenda eſt.

Principium incommunicabilitatis monſtratur.

14. Miſſâ itaque naturali averſatione unionis, (quæ extenditur ad certas, non ad omnes, naturas,) aliud principium incommunicabilitatis inveſtigandum eſt. Naturæ enim de ſe non undique ſatìs ab alterius naturæ incurſione muniuntur. Manent enim adhuc abſtractæ & incompletæ, necdum termino complente ſigillantur. Dices, *naturas angelicas ob perfectionem eſſe incommunicabiles.* Imò naturæ incommunicabilitas non ſatìs arguit ejus perfectionem. Natura enim Divina, quæ perfectiſſima eſt, nihilominus communicabilis eſt Tribus Perſonis. Supponamus igitur ſive per impoſſibile ſive ſecùs, naturas duorum Angelorum inter ſe poſſe uniri. Hoc dato, reſultat nova perſonalitas realiter diſtincta ab alterutrius perſonalitate propria. Quare ſublatâ præſente perſonalitate, alterutrius natura erit de ſe alteri communicabilis. Ratio ergò cur actu non communicatur, neque fortaſſe communicari poteſt, eſt immutabilitas ſubſiſtentiæ modalis, quâ eorum natura munitur & terminatur, nè aliis communicetur. Utcunque ſit, hinc evincitur naturam angelicam, ſi alteri uniatur, eidem communicari, & deponere ſubſiſtentiam propriam; & conſequenter eò non communicari, quia ſtabiliter permanet in ſtatu quo eſt ab omnibus aliis diviſa, quo redditur incommunicabilis. Hinc quoque evincitur ad Angeli individuationem incommunicabilem requiri aliquid extra eſſentiam ſpeciei, nimirum ſtatum diviſum ab omnibus aliis, ſecundùm D. Thomæ illationem. Porrò, contendit Suarius Divinum *Verbum* potuiſſe aſſumere naturam angelicam; & conſequenter non abſolutè repugnat iſti naturæ (ſuſpenſâ ejus ſubſiſtentiâ) omnis communicabilitas.

Naturas creatas uniri poſſe mutatâ ſubſiſtentiâ.

15. Verùm quicquid ſit de naturis angelicis, (quæ nobis

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 85 sur 591

©BIUM

ferè ignotæ sunt,) certissimum est naturas materiales, etiamsi completæ sint in ratione naturæ, posse facillimè, mutatâ solâ subsistentiâ, inter se uniri : ut duæ guttulæ vini, vel ejusdem vel diversi generis, facilè committuntur & uniuntur. Mutant autem hoc casu statum seu subsistentiam modalem, manente naturâ. Ubi verò naturæ unitæ sunt diversarum specierum, ut vinum & saccharum, resultat natura quoque composita. Naturæ enim alioquin completæ fiunt incompletæ ex unione cum aliis. Sunt enim jam partes alterius, cui ut partes communicantur, novúmque statum sibi ascisçunt, nec ampliùs in se completæ sunt : interim si restituantur per divisionem ab omnibus aliis in statum pristinum, complentur in se absque alterius adminiculo. Quapropter Suarium potiùs intelligerem per naturas incompletas voluisse naturas ineptas miniméque conformatas ad mutuam unionem, quo sensu verior fuerit. Aqua enim & oleum haud facilè uniuntur, nisi sal aut spiritus aut terra interveniat : quibus additis ità temperantur ut unionem postea haud difficulter admittant. Verùm Clariss. Suarius vix satìs sibi constat, si putet naturas quæ seorsim completæ sunt, eo solo quòd sint completæ cum aliis uniri non posse. Naturæ enim elementorum seorsim subsistentes completæ sunt, & interim ad mistionem coaptantur. Quare naturæ completæ ratione præsentis statûs, mutato statu, cum aliis naturis uniri possunt : nec obstat quòd naturæ priores erant in suo genere completæ. Naturæ itaque absque subsistentia non sunt omnimodo incommunicabiles, quanquam ob alias causas cum aliis naturis promptiùs, cum aliis ægriùs, cum aliis vix omnino, uniantur.

Suppositalitatem non esse divisibilem.

16. Dices, Clariss. Suarium Disp. 34. s. 5. n°. 1. asserere, subsistentiam non minùs divisibilem esse quàm naturam, & consequenter videri rectè inferri non minùs esse communicabilem. Respondeo, Suarium valde confusè & perplexè de hac re loqui, quòd non distinxisset subsistentiam fundamentalem à modali. Subsistentia enim fundamentalis est inadæquatus conceptus spectans ad naturam substantialem, à qua non realiter differt ; miniméque mirandum est si divisibilis sit & communicabilis, quemadmodum ipsa natura. Hoc solùm argumenta Suarii num. 2, 4, 7, 8, &c. manifestè evincunt. Loquitur enim de subsistentia partiali, quæ perpetuò fundamentalis

mentalis eſt, non modalis & complens. Illa ſuſtentat quamlibet naturæ partem : hæc totam, & tantùm totam, terminat. Illa in homine partim ſpiritualis eſt, partim materialis : quæ ſuſtinet animam, ſpiritualis eſt ; quæ corpus, materialis : hæc in homine reſultat ab anima & corpore, quatenus ſtant diviſa ab omnibus aliis naturis, in ſe unita, & per ſe ſeorſim completa.

Variæ acceptiones diviſibilitatis.

17. Verùm, nè variis Indiviſibilitatis acceptionibus confundamur, Suarius ſ.5. nº. 5. eam ſic diſtinguit : *Ut ergò rem totam declaremus, ſupponimus duobus modis poſſe aliquam rem dici indiviſibilem. Uno modo, quo omnino ex nullis partibus conſtat ; ut Angelus, vel punctus : alio modo, quia licèt compoſita ſit, vel eſt indiſſolubilis, ut ſubſtantia cœli ; vel, ſi diſſolvatur, extrema ex quibus componitur conſervari non poſſunt extra totum : quod interdum in utroque extremo contingit, ut in minimo naturali, & in toto heterogeneo quoad aliquas partes principales ; interdum verò in altero tantùm, ut in brachio, ſi à toto dividatur, quia non manet idem quod antea erat. Omnibus ergò his modis intelligi poteſt ſubſiſtentiam eſſe indiviſibilem : quis autem illorum verus ſit, ſupereſt declarandum.* Verùm præter hæc indiviſibilitatis genera, datur aliud, quod tamen fortaſſe reduci poteſt ad iſtud, in quo extrema diviſa nequeunt conſervari. Conſiſtit in eo, quòd res indiviſibilis nequeat dividi in plures tales. Indiviſibilitas hoc genus in ſubſtantiis appropriatur ſuppoſitalitati, ſive perſonalitati, & non videtur differre ab incommunicabilitate. Perſona enim non eſt diviſibilis in plures perſonas, aut plura ſuppoſita, hoc eſt, perſona non eſt communicabilis ; ſed ſi dividatur, ſuppoſitalitas quæ præfuit deſinit eſſe, ejúſque loco nova ſuppoſita reſultant. Quanquam autem Suarius hoc loco non expreſsè mentionem diviſibilitatis hoc genus facit, eam tamen agnoſcit & explicat Diſp. 5.ſ. 1. nº. 3. eandémque nº. 4. & 5. efficaciter probat.

Subſiſtentia Suarii duo ſignificat.

18. Quòd verò Suarius confusè complicat duas ſubſiſtentias, ex ejus verbis in diverſis locis inter ſe collatis facilè conſtat. Eâdem ſectione, nº. 26. *Subſiſtentia*, inquit, *eſt ſupplementum rei in ratione per ſe ſtantis, & independentis ab aliquo ſuſtentante.* Apertè ibi loquitur de ſubſiſtentia quæ includit negationem ſuſtentationis ab alia re creata, quam ſuprà ad partes naturæ ſpectare probavi : non verò eſſe ſubſiſtentiam complentem,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 87 sur 591

©BIUM

complentem, de qua hic differimus. Idem verò Suarius nº. 59. cogitur distinguere suam confusam subsistentiam in partem essentialem & complementum. Quis non videt hoc verificari non posse de entitate, quæ consistit in sola modificatione, terminatione sive complemento naturæ substantialis? atqui Suarius passim profitetur subsistentiam nihil aliud esse nisi modum, terminum, appendicem & complementum naturæ. Certissimum ergò est ejus subsistentiam ambiguæ significationis esse, & modò plus, modò minus significare. Hoc ulteriùs ei innotuerit qui totum paragraphum 59. perlegerit. *Neque huic incommunicabilitati obstat quòd cùm una aqua, verbi gratiâ, unitur alteri, ex duobus suppositis integris fit unum, atque ità videtur unum suppositum substantialiter uniri & communicari alteri ad componendum unum tertium: hoc, inquam, non obstat; quia cùm dicitur suppositum incommunicabile, intelligitur formaliter, seu cum compositione, id est, manens suppositum: nam si amittat rationem seu complementum suppositi, id quod reliquum est communicari poterit, saltem ut pars toti vel comparti. Atque ità contingit in prædicto exemplo: nam cùm aqua unitur aquæ, utraque amittit aliquem ultimum terminum terminantem & complentem rationem totius, seu totalis substantiæ, quam suppositum significat, & ambæ acquirunt communem terminum in quo uniuntur per modum partium.*

Status divisus ex Suario probatur.

19. Quo loco per *complementum suppositi*, & per *ultimum terminum terminantem & complentem rationem totius*, nihil aliud intendere potest nisi subsistentiam modalem, sive statum ab omnibus aliis divisum, hoc est, statum in se unitum, & per se seorsim completum. Nam paulò pòst subjungit, *Quæ uniuntur non sunt suppositata, sed potiùs, ut uniantur, desinunt esse suppositata; atque ità semper verum est, suppositum, ut suppositum, esse incommunicabile, vel, ut ità dicam, inunibile substantialiter.* Quare ex sententia Suarii, esse suppositum est esse in statu non unibili cum alia natura aut alio suppositò, hoc est, esse in statu diviso. Ratio ejus est, quia quæ uniuntur partes sunt. Idem ergò hîc Suarius, argumento convictus, docet quod ego hactenus asserui. Verùm subterfugium mox molitur, substantias sic unitas non amittere totam subsistentiam. Rectè itaque dixi, ejus subsistentiam confusè includere duas rationes, nempe subsistentiam fundamentalem & modalem. Nam pars subsisten-

tiæ

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 88 sur 591

©BIUM

tiæ quam dicit non amitti ſpectat ad partes naturæ, éſtque ipſa naturæ ſuſtentatio ſuiipſius per ſe; quam ſubſiſtentiam fundamentalem voco, quæ, ut ipſe fatetur, non ſpectat ad ſuppoſitum formaliter. Hæc enim ſubſiſtentia ſecundùm Suarium non minùs ad partes ſpectat quàm ad totum: at verò ratio ſuppoſiti nequaquam parti competit. *Nam* (ut ille eodem loco paulò inferiùs teſtatur) *cùm dicitur ſuppoſitum incompletum, involvitur repugnantia in ipſis terminis ſecundùm propriam ſignificationem eorum: Nam ſuppoſitum non ſignificat niſi ſubſtantiam completam.* Quare ſubſiſtentia quæ partibus convenit nec eſt nec eſſe poteſt de abſtracta ratione ſuppoſiti.

20. Porrò, nº. 60. & 61. diſtinguit ſubſiſtens & ſuppoſitum, & aſſerit rem incompletam poſſe ſubſiſtere, ſed non eſſe incommunicabilem, nec eo reſpectu eſſe ſuppoſitum; & omne ſuppoſitum eſſe rem ſubſiſtentem, ſed non contrà. Formam ergò ſubſiſtentis ponit in negatione inhærentiæ, formam verò ſuppoſiti in negatione unionis cum alio: quæ acceptiones coincidunt cum noſtra diſtinctione in fundamentalem & modalem. Num. 62. *occurrit*, inquit, *ultimò advertendum, dupliciter eſſe poſſe ſubſiſtentiam incompletam, vel ex ſe & intrinſecè, vel ex accidente, &, ut ità dicam, ratione ſtatûs*, &c. Verùm enimvero intrinſeca illa ſubſiſtentia eſt ſubſiſtentia fundamentalis, & extrinſeca eſt illud extra eſſentiam ſpeciei, ſecundùm D. Thomam, quod requiritur ut creatura poſſibiliter ſubſiſtat: id eſt, extrinſeca ſubſiſtentia eſt ſtatus cujuſvis ſubſtantiæ creatæ, quo ea per ſe ſeorſim, ſive ab omnibus aliis diviſa, in ſe unita & completa ſtat: qui ſtatus eſt ſubſiſtentia modalis, ſive eſt modus quo natura ſubſtantialis fit ſuppoſitum. Ego verò exiſtimo per ſubſiſtentiam accidentaliter incompletam Suarium intendere ſolam ſubſiſtentiam fundamentalem, quæ poteſt eſſe vel completa vel incompleta, quemadmodum & natura. Eóque ſenſu hæc diſtinctio ſubſiſtentiæ in completam & incompletam non ſpectat ad ſubſiſtentiam modalem, quæ in ipſo complemento naturæ ſubſtantialis conſiſtit, cui repugnat eſſe ſimul incompletum.

Suarium diſtinguere ſubſiſtens à ſuppoſito.

21. Adhæc, ut diſtinctio noſtra ſubſiſtentiæ in eſſentialem & modalem clariùs eluceſcat, attexere lubet ipſius Suarii diſtinctionem Divinæ ſubſiſtentiæ in eſſentialem & perſonalem.

Duplex ſubſiſtentia in Deo agnoſcitur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 89 sur 591

©BIUM

lem. Disp. 34. s. 1. nº. 3. *Nihilominus etsi non ità certum sit, probabilius tamen ac verius existimamus, illam substantiam singularem quæ communis est tribus personis, ut sic subsistentem esse ex se & essentialiter, habereque unam subsistentiam absolutam & essentialem tribus personis communem. Hæc enim sententia communiter recepta est à Theologis utriusque Scholæ, D. Thomæ & Scoti, & ab aliis etiam. Et modus ipse loquendi magnum fundamentum habet etiam in antiquis Patribus*, &c. Quam sententiam ibidem nº. 3, 4, 5. fusè illustrat & probat. Admiratione dignum est eum potuisse tam acutè discernere duplicem subsistentiam in Deitate, & non cernere consimilem distinctionem in creatura. Dices, Suarium ibidem s. 5. nº. 60. objicere, soli Deo proprium esse habere subsistentiam communicabilem. Respondeo, soli Deo proprium esse habere naturam in se & per se absque compositione subsistentem & completam, simúlque personis communicabilem: omnes verò naturas creatas comparatas ad sua suppositа esse incompletas, & pluribus suppositis communicabiles. Non dicam quin naturæ dicantur completæ in ratione naturæ, quòd nihil iis desit quod ex parte naturæ requiritur ad perfectionem in aliqua specie: interim incompletæ sunt, quòd supponantur nondum terminari complemento suppositalitatis, sed pluribus suppositis communicabiles manere. Ut natura olei sive oleositas, & similiter natura ceræ sive cerositas, dicuntur respectivè completæ ut naturæ: si tamen comparantur ad oleum aut ceram, incompletæ sunt. Etenim oleositas terminabilis est ad oleum, cerositas ad ceram, quæ duo distincta suppositа sunt, & incommunicabilia. Sin oleositas & cerositas uniantur, resultat suppositum quod nec oleum nec cera, sed ex utrisque conflatum est. Quare non repugnat ut naturæ completæ in ratione naturæ communicentur novo suppositо, neque Suarii exceptio hoc respectu est alicujus momenti. Concludendum itaque est duplicem esse subsistentiam, quarum altera fundamentalis, altera modalis est; & utramque Suarium confuso quodam modo atque implicitè agnovisse. Namque in quantum intrinsecam subsistentiam admittit, essentialem necessariò agnoscit. Quod enim intrinsecum est, essentiale, & consequenter naturale, est, seu spectat ad partes naturæ. Essentia enim & natura idem sunt. Agnoscit etiam subsistentiam modalem,

©BIUM

modalem, in quantum complementum reſultans à natura largitur. Quare implicitè & confusè utramque ſubſiſtentiam agnoſcit.

Natura non opponitur ſubſiſtentiæ fundamentali.

22. Dices, ex dictis elucere Suarium aliquo modo diſtinguere ſubſiſtentiam, atque adeò ſe ab ambiguitate vindicare. Reſpondeo, eum perpetuò ſubſiſtentiam, naturæ, ut ei in tota latitudine contradiſtinctam, opponere, adeóque magnam ambiguitatis anſam miniſtrare. Nam, ut ſuprà monſtravimus, ſubſiſtentia fundamentalis neque realiter neque ex parte rei à natura differt, ſed tantùm ratione, & ut inadæquatus ejuſdem conceptus: cæterùm ex parte rei differt à ſubſiſtentia modali. Quare ſi Suarius ſubſiſtentiam fundamentalem cum natura potiùs copulâſſet, à qua tantùm ratione diſcrepat, rectiùs feciſſet. Sed à natura disjungit, & cum ſtatu complente complicat. Dupliciter itaque hîc erratur: perfeitas eſſentialis, quæ nihil aliud eſt niſi inadæquatus ipſius naturæ conceptus, ab hac divellitur, & partibus complementi ejuſdem, à quo ex parte rei differt, adſcribitur. Quæ duo maximam in hac parte Metaphyſicæ, ut dixi, confuſionem pariunt.

Naturam eſſe cauſam ſuppoſitalitatis.

23. Inſuper Clariſſimus Vir, ubi cauſam materialem complementi ſubſtantialis inveſtigat, Diſp. laudatâ, ſ. 6. n°. 9. eam rejicit in naturam ſubſtantialem, adeóque ſeipſum nodo inextricabili implicat. Etſi enim veriſſimum ſit quod aſſerit, modum complentem naturæ ſubſtantialis ab eadem natura tanquam à materiali cauſa dimanare: ſi tamen modus iſte complens cum ſubſiſtentia eſſentiali confundatur, manifeſtam repugnantiam involvit. Etenim revera ſubſiſtentia fundamentalis eſt ipſa materialis cauſa modi complentis ſe: impoſſibile autem eſt ut ſubſiſtentia ea quæ includit negationem ſuſtentationis ab ulla alia creatura, ſuſtentetur nihilominus à natura ſubſtantiali. Etenim non ſuſtentari ab alio, & ſimul ſuſtentari ab alio, manifeſtariam contradictionem inſinuat. Subſiſtentia ſecundùm Suarium, etſi in ſe ſit forma poſitiva, involvit tamen negationem ſuſtentationis ab alio. Quare non innititur naturæ, ſed eſt ultima baſis ſuiipſius, hoc eſt, eſt ultimum ſubjectum, ſeu ultima cauſa materialis. Cauſa enim hoc genus ſeipſam ſuis effectis impertit, ejúſque cauſatio in iiſdem ſuſtentandis exercetur. Effectus enim etiamſi à ſe dimanare dicitur, in ſeipſam tamen recipitur, & tanquam à ſubjecto

©BIUM

subjecto suffulcitur. Unde constat subsistentiam quæ dimanat & sustentatur à natura substantiali, non esse eam quæ dicit negationem sustentationis ab alia creatura : quam rem cùm nullibi explicat Suarius, liquet eum ex hac parte confusum esse.

Hanc non consistere in negatione sustentationis.

24. Hactenus laxo quodam modo sententiam nostram de modali subsistentia proposuimus & probavimus, nec non cum D. Thomæ & Suarii opinione contulimus, iisque quantum rei natura fert conciliavimus. Restat pressiùs agamus, eámque strictiùs confirmemus. Asserui subsistentiam modalem non consistere in tali ratione formali, sive tali forma positiva, quæ in se includit negationem sustentationis ab alia creatura ; sed in tali, quæ includit negationem unionis cum ullo alio. Hoc jam probatur, quòd ad novum suppositum non requiratur nova negatio sustentationis ab alia creatura, quódque in suppositi interitu non necessariò aboletur negatio sustentationis ab alia creatura : Quare talis negatio non est de formali ratione suppositi, neque est id quod suppositum naturæ addit. Nam cùm duæ guttulæ vini jungantur, & conficiant unam guttam majusculam, novum fit suppositum, sed nulla nova resultat negatio sustentationis ab alia creatura ; siquidem alterutra guttula habuit ante unionem eandem negationem sustentationis ab alio quam habet post unionem. Nulla ergò fit mutatio ex parte hujus negationis, & interim fit mutatio suppositi. Quare ista negatio neque est de ratione formali suppositi, neque eam necessariò consequitur. Similiter in unione alterutra guttula perdit suam suppositalitatem, non autem perdit negationem sustentationis ab alio ; & consequenter suppositalitas non consistit in ista negatione, neque in forma positiva in qua ista negatio fundatur. Nam ubi forma positiva exponi potest per negationem, negatio saltem inseparabilis est à tali forma. E contrà, negatio unionis cum alio perpetuò jungitur cum suppositalitate, ità ut hæc mutari nequit quin simul mutetur illa,& vice versâ.Imò illâ solâ mutatâ, & statu indè occasionaliter resultante,hæc unà mutatur. Hinc infero,si suppositalitas mutetur, & nihil præterea,nisi negatio unionis & status divisus eâ negatione intimatus, mutetur, necesse est, vel ipsa ea negatio fit suppositalitas,vel saltem status iste divisus negatione insinuatus,cùm nihil præterea innovari suppo-

ſupponatur. Cùm ergò abſurdum ſit ponere totam rationem ſuppoſitalitatis in pura negatione, neceſſe eſt conſiſtat in ſtatu novo à natura diviſa reſultante.

Animam rationalem in ſtatu ſeparato eſſe perſonam, non in conjuncto.

25. Idem confirmatur, ſi non etiam demonſtratur, quòd anima rationalis in ſtatu conjuncto ſubſiſtat, & non ſit perſona. Dico primò, ſubſiſtere. Differt enim in hoc conditio animæ humanæ ab ea brutorum & formarum materialium. Hæ quippe ſunt per inhærentiam, ſeu per ſuſtentationem & dependentiam à materia, ut Suarius luculenter probat Diſp. 34. ſ. 5. n°. 42, &c. Illa verò, nempe anima humana, in ipſo ſtatu conjuncto ſubſiſtit, nec dependet à ſuſtentatione materiæ, neque educitur è potentia materiæ. Quicquid enim ſic dependet aut educitur, neceſſariò materiale eſt, & non ſpirituale, nec ſeparatim exſiſtere queat. Anima verò rationalis ſpiritualis eſt, & ſeparationem à corpore perferre poteſt: non ergò ſuffulcitur à materia, nec ab ea dependet. Hoc fusè probat Suarius Diſp. dictâ, ſ. 5. n°. 27, 28, 29, 30, &c. quò lectorem refero. Dico, ſecundò, animam rationalem in ſtatu conjuncto non eſſe perſonam. Ratio eſt, quia eſt pars perſonæ. Totus enim homo quatenus componitur ex anima & corpore eſt perſona integra: nulla ergò pars hominis, quòd non ſit totus homo, nec componatur ex anima & corpore, poteſt eſſe perſona humana. Si enim anima eſſet perſona, & totus homo ſimul eſſet perſona, duæ forent perſonæ in eodem individuo homine, pluráque iſtiuſmodi abſurda ſequerentur. Statuendum itaque eſt, in ſtatu conjuncto mentem non eſſe perſonam. Cùm ergò in corpore ſubſiſtat, nec tamen ſit perſona, ex evidentia terminorum ſequitur dari ſubſiſtentiam quæ non eſt perſonalis, & conſequenter ſubſiſtentiam rectè diſtingui in fundamentalem & perſonalem; præſertim ſi illa altera ſubſiſtentia perſonali contradiſtincta rectè vocetur fundamentalis; quod ex ſuprà dictis facilè liquet.

Idem confirmatur.

26. Inſuper quanquam anima rationalis in ſtatu conjuncto non ſit perſona, in ſtatu tamen ſeparato eſt perſona, & tota ratio ſuppoſiti rationalis ei competit. Quod enim Suarius laudatâ ſectione n°. 62. dicit, animæ rationalis ſubſiſtentiam eſſe incompletam, ſive ea conjuncta ſit ſive ſeparata, non intelligendum eſt de animæ ſubſiſtentia perſonali, ſed fundamentali, quæ ſpectat, ut ſuprà monſtravi, ad partes naturæ.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 93 sur 591

©BIUM

Ubi ergò ejus subsistentia dicitur incompleta, intenditur de ea subsistentia quæ includit negationem sustentationis ab alio, cujus respectu à natura non realiter differt. Impossibile enim est ut altera subsistentia, quæ modalis est, sit incompleta, sive in statu conjuncto sive separato. Quod enim consistit in ipso ultimo rei complemento sive termino complente, vel completum est, vel nihil est. Si enim tota ejus entitas sita sit in eo quòd compleat, atque interim non compleat, ejus entitas frustratur, & non est. Rectè itaque Suarius, loco suprà citato, agnoscit subsistentiam incompletam dicere repugnantiam in adjecto. Dicit enim ultimum complementum ad rei perfectionem requisitum non complens. Repugnat enim ut ultima perfectio debita non perficiat. Fuerit enim ultima, & interim ulterior requiretur. Etenim quo sensu vocetur ultima, si non ultimò perficiat? Subsistentia autem modalis sive complens, etiam secundùm Suarium, est ultimus terminus seu ultimum complementum naturæ substantialis, eam claudens & finiens, nè ulli alteri durante se communicetur. Jam verò Suarius, quando dicit subsistentiam animæ rationalis in utroque statu, tam in conjuncto quàm separato, esse incompletam, accipi debet de subsistentia fundamentali, non de modali & complente. Nam in statu conjuncto caret subsistentiâ modali propriâ, unde communicatur alteri (ut ejus pars,) nempe homini; non autem caret subsistentiâ fundamentali, (non enim sustentatur à materia aut ab ulla alia creatura) sed hoc sensu est per se subsistens. Verùm hæc *perseitas* est inadæquatus conceptus ipsius naturæ animæ, & spectat ad ejus partes, non ad illam subsistentiam quæ naturæ opponitur. Non mirum igitur si in statu conjuncto communicetur, & sic incompleta sit. Cæterùm in statu separato subsistentia animæ humanæ non est actu incompleta, sed potentiâ tantùm; quatenus nimirum apta est re-uniri cum corpore. Adsciscit enim sibi, simulac separatur, aliam subsistentiam, nempe eam extra suam essentiam, se complentem atque terminantem. Personalis dicitur, quæ, positis omnibus ad ejus productionem requisitis, necessariò resultat. Verùm ut natura substantialis suam terminationem actu producat, (si simplex sit) nihil aliud requiritur nisi ut non impediatur ex unione cum aliis naturis. Simulac igitur res substantialis stat seorsim ab omnibus

nibus aliis, neceſſariò reſultat complementum, quia non eſt ampliùs pars alterius. Porrò, cùm largiatur Suarius animam ſeparatam eſſe ſuppoſitum, negare nequit quin ſit ſuppoſitum rationale. Anima enim ex ſeparatione à corpore non orbatur ratione. At verò, ſecundùm Suarium & omnes Metaphyſicos, perſona nihil aliud definitur eſſe niſi ſuppoſitum rationale. Cùm ergò is ſit animæ ſeparatæ vigor, ut ſe ſeorſim ab omnibus aliis tueri queat, non dubium eſt quin ſit individuum completum in aliqua ſpecie ſubſtantiæ ſubſiſtens. Inquam, eſt individuum completum. Cùm enim ſit nullius rei pars, neceſſe eſt ſit integra ſeu completa in ſe. Eò enim quòd ſeorſim ab omnibus aliis ſtat, conſtat eſſe nullius partem, (pars enim à toto diviſa deſinit eſſe pars,) & conſequenter neceſſe eſt ſit completa in ſe & per ſe ſeorſim. Nec obſtat quòd apta ſit iterum uniri cum ſuo corpore, cùm de præſenti ſtet actu diviſa ab eodem. Saltem ergò dicendum eſt, eſſe actu ſuppoſitum rationale, hoc eſt, eſſe perſonam: tantùm eſſe potentiâ reducibilem ad ſtatum partis. Cùm ergò anima rationalis in ſtatu conjuncto ſubſiſtat, nec tamen ſit perſona, ſequitur eam ſubſiſtere non per ſubſiſtentiam perſonalem, ſed per fundamentalem tantúm: cúmque eadem anima in ſtatu ſeparato ſit perſona, nihílque aliud mutetur niſi ſtatus ejuſdem, ſequitur, id quod ex non-perſona facit perſonam eſſe mutationem ſtatûs, ídque quod perſona addit naturæ eſſe ſtatum diviſum in ſe & per ſe ſeorſim completum. Anima enim quæ ſeparatur eadem eſt quæ fuit ante ſeparationem: ſed nunc eſt perſona, quia eſt in ſtatu ſeparato; non fuit antea, quia erat in ſtatu conjuncto. Quare eſſe in ſtatu ſeparato, quà per ſe ſeorſim completo, eſt ipſa ratio perſonæ, ſive ipſa perſonalitas.

27. Hæc omnia ulteriùs confirmantur ex myſterio Incarnationis. Omnes fatentur *Verbum* Divinum aſſumpſiſſe naturam humanam, ſive Humanitatem, animam nempe & corpus unita, carnes, oſſa, ſanguinem, &c. non tamen aſſumpſiſſe perſonam hominis. Dicunt igitur perſonalitatem non reſultare ab humanitate Chriſti, ſed hanc præveniri, & perſonalitatis reſultationem ſuſpendi, quia unitur ſubſiſtentiæ Divinæ. Quod enim in ſtatu diviſo perſona foret, alteri unitum, non eſt, ſed fit pars alterius. Quare natura humana aſſumpta, cùm unita ſit *Alia confirmatio.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 95 sur 591

©BIUM

subsistentiæ Divinæ, ineffabili modo Divinitati, & Divinitas ei, communicatur. Non ergò jam terminatur ad merum hominem, neque in natura humana ut ejus ultima perfectione acquiescit; sed fruitur Deitate, cujus solâ subsistentiâ terminatur & completur. Humanitas ergò Christi non à se dimanare facit personalitatem hominis, quia non est ab omnibus aliis divisa: includit quidem totam entitatem naturalem hominis, sed ut partem sui, non ut totam entitatem Theanthropi. Rectè itaque dicunt sancti Patres, creatam humanitatis Christi subsistentiam, nempe personalitatem humanam, (quæ si non assumeretur, ab ea naturaliter resultaret) præveniri & suspendi. Aliqui putant subsistentiam quoque fundamentalem humanitatis suspendi. Sed cùm ea spectet ad naturam humanitatis, non opus est suspendatur. *Verbum* enim Divinum totam naturam humanam, & quicquid ad ejus partes (quatenus personalitati contradistinguitur) attinet, assumpsit. Satis ergò est solam personalitatem hominis in hypostatica hac unione suspendi. Dices, humanitatem Christi à subsistentia *Verbi* sustentari. Respondeo, omnes creaturas à Deo dependere immediatè & sustentari, sed non ut à materiali causa, nimirum non ità ut inhæreant in Deo veluti in subjecto. Verùm Deus ut efficiens tam materiali quàm formali causæ quasi subtervenit, & utrisque in suis causationibus est essentialiter prior & quasi profundior, sed alio modo causandi (viz. perfectiore) operatur.

Objectioni occurritur.

28. Dices, causam primam ordinario quodam modo cum causis secundis in earum sustentatione concurrere; verùm proculdubio *Verbum* Divinum multùm diverso & eminentiore modo cum humanitate assumpta in hypostatica unione concurrere. Respondeo, me non negare quin assumptio humanitatis Christi ad subsistentiam Divinam infinitè differat ab ordinario Dei concursu in sustentatione aliarum naturarum creatarum. Concursus enim ordinarius nullam hypostaticam unionem infert, sed est cooperatio essentialiter superior immediatè naturam substantialem ut causa prima sustentans, similitérque ejus subsistentiam modalem producens. Quanquam enim subsistentia fundamentalis sit ultima basis naturæ substantialis creatæ, seu ima ejus pars; essentialiter tamen subordinatur Deo, & ab eo dependet. Similitérque, etsi subsistentia

©BIUM

ſiſtentia modalis à natura ſubſtantiali tanquam à cauſa materiali dimanet ; nihil tamen prohibet quò minùs à Deo ſimul proveniat tanquam à cauſa eſſentialiter ſuperiore & ſimpliciter prima. Verùm unio hypoſtatica extraordinaria eſt & miraculoſa, nec conſimilis in univerſo reperitur, in qua natura unius immediatè unitur perſonalitati alterius, ità ut humanitas Chriſti immediatè terminatur ſubſiſtentiâ Divinâ, & non producit perſonalitatem humanam. Prævenitur enim, quòd alteri priùs, ut dictum, unitur. Interim putandum non eſt humanitatem Chriſti non includere negationem ſuſtentationis ab ulla alia creatura, & conſequenter non deſtitui fundamentali ſubſiſtentiâ, quanquam hæc aliâ Divinâ infinitè perfectiore quaſi obnubiletur & obſcuretur. Naturalis enim ſuſtentatio ſui ut cauſa ſecunda non impedit operationem cauſæ primæ, præſertim ubi hæc effectum infinitatis cujuſdam participem producere intendit. Quare myſterium incarnationis hoc modo optimè exponitur, perſonalitatem hóminis ab humanitate Chriſti non dimanare, quia hæc Divinæ ſubſiſtentiæ unitur, eâque terminatur, eam expetit, & in eadem acquieſcit.

Quinque requiſita ad ſuppoſitum :

29. Hactenus explicavimus in qua re ratio ſubſiſtentiæ modalis conſiſtit : ſcilicet non conſiſtere in perfeitate eſſentiali, ſed in eſſe per ſe ſeorſim, ſive in eſſe in ſtatu diviſo ab omnibus aliis in ſe completo. Colligere jam ex dictis haud difficulter poſſumus quot & quæ requiruntur ad integram conſtitutionem ſuppoſiti : utpote, 1. ut ſit natura ſubſtantialis ; 2. ut ſit ſingularis ; 3. ut ſit completa ex parte naturæ in aliqua ſpecie infima ; 4. ut ſit unita in ſe ; 5. ut ſit ab omnibus aliis diviſa. Ad perſonam inſuper requiritur [6.] ut ſit intellectiva.

1. naturæ ſubſtantialis ;

Dico, primò, requiri ad ſuppoſitum naturam ſubſtantialem propriè ſic dictam, hoc eſt, talem quæ reſpectu cauſarum ſecundarum ſit ſufficiens ſui internum principium, nec alterius ullius creaturæ ſuſtentatione indigeat. Aliter enim ab omnibus aliis diviſum ſtare nequit. Hinc accidentia, quia ſuffulciuntur à ſuo ſubjecto, nullo modo ad dignitatem ſuppoſiti aſpirare queunt. Imò formæ materiales (utcunque tranſcendenter ſubſtantiales dicantur) non ſunt tales quæ diviſæ à materia ſe ſuſtentare valeant. Carent ergò intrinſecâ &

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 97 sur 591

essentiali perfeitate,nempe subsistentiâ fundamentali. Quare nunquam fiunt suppositа. Denique ipsa suppositalitas, sit licèt modus substantialis, non tamen sustentat se, sed sustentatur à natura substantiali, quam complet, cujúsque modus est.

2. *individua*; Secundò, requiri ad suppositum ut sit res singularis & individua. Quamvis enim substantia in genere sit aliquo modo suppositum,non tamen ità dicitur quatenus est genus sive substantia secunda, sed quatenus in singulis exsistit, & reducitur ad individuationem, nimirum quatenus est substantia prima.

3. *completa*; Tertiò, requiri ut natura ex parte naturæ sit in aliqua specie prædicamenti Substantiæ completa. Natura enim materiæ ob essentiæ defectum, sine forma aliqua eam perficiente, modum complentem sibi adsciscere nequit. Verùm anima rationalis separata, incompleta licèt dicatur si comparetur ad hominem, est tamen suo modo completa in specie animæ; est enim substantia infimæ speciei: materia autem absque forma specifica non est essentialiter completa in aliqua infima specie, & propterea inepta est quæ, ante accessum formæ, modalis subsistentiæ complemento perficiatur. Fateor, si defectus complementi naturæ non sit essentialis, (ut in organi alicujus externi amputatione,) non statim neque necessariò destruitur suppositalitas, neque impeditur dimanatio ejusdem.

4. *unita*; Quartò, requiritur ut natura sit in se unita. Quod enim divisum est in se, non est ens unum, sed ex duobus, si non pluribus, suppositis conflatum. Est ergò aggregatum quid, & ad tot suppositа distincta ex quot aggregatur revocandum.

5. *in statu divisso.* Quintò, requiritur ut natura sit in statu ab omnibus aliis diviso. Quod enim alteri unitur, ei communicatur ut pars ejus, nec fieri potest ut sit suppositum; quòd hoc perpetuò sit omnibus aliis incommunicabile.

Quatuor priora esse communia: quintum esse proprium. 30. Ex hisce requisitis ad absolvendum suppositum, quatuor priora sunt quodammodo partes communes, & quasi materia suppositi; sola ultima est forma, sive ipsa ratio in qua consistit suppositalitas. Partes enim cujusvis corporis similares,putà, lactis, mellis, &c. (etiam quatenus partes) sunt essentialiter per se, (non enim ab ulla alia creatura sustentantur;) sunt etiam individuæ, & exsistunt, (ut per se notum est;) quin &, ex parte naturæ, completæ sunt, (tota enim

©BIUM

enim natura lactis eſt in qualibet parte ejuſdem ;) porrò, inter ſe uniuntur, (nam diviſæ ceſſant eſſe partes:) nihilominus communicantur toti & ſibi invicem, & conſequenter non ſunt ſuppoſita, ſed manent partes, & non includunt formalitatem ſuppoſiti. Cùm ergò in ſe complectantur quatuor priora requiſita ad conſtitutionem ſuppoſiti, nec tamen contineant ipſam rationem ejuſdem, nempe ſuppoſitalitatem, reſtat dicta quatuor priora requiſita eſſe tantùm materiam ſuppoſiti, ſolúmque quintum, ſcilicet ſtatum naturæ diviſum ab omnibus aliis, eſſe formam ſive eſſentiam abſtractam ejuſdem : qui ſtatus naturam ſubſtantialem, alioquin abſtractam, & eatenus incompletam, concretioni debitæ & complemento reſtituit. Solus ergò eſt forma ſuppoſiti.

Ad perſonam requiri inſuper intellectum.

31. Inſuper ad conſtitutionem perſonæ requiritur, non ſolùm quicquid ad ſuppoſitum poſtulatur, ſed & quid amplius, videlicet, ut ſit intellectualis, ſeu rationis particeps. Perſona enim eſt quæ in judicium citari poteſt, & reddere rationem actionum ſuarum. Deus quidem in jus trahi nequit, & propterea hæc pars deſcriptionis ſolis creaturis appropriatur. Verùm ipſe Deus optimè novit pro arbitrio ſuo actionum ſuarum rationem reddere, eóque reſpectu deſcriptionis altera pars ad ipſum Deum extendatur. In foro juridico infantes, pueri, dementes & fatui non æſtimantur perſonæ, nempe legales, ob imperfectionem rationis, neque propterea in jus trahuntur : uxores etiam in multis caſibus non habentur pro perſonis, ſed obſcurantur & latent ſub perſona mariti : ità ut hîc quoque unio cauſa ſit ſuſpenſionis perſonalitatis. Verùm etiamſi perſona, mediante intellectu, diſtinguitur à ſuppoſito irrationali, ratio tamen non propriè ſpectat ad partes ſuppoſitalitatis, ſed ad partes naturæ. Provenit enim ratio à natura animæ, non à ſubſiſtentia ejuſdem, ut per ſe notum eſt. Quare ſuppoſitalitas perſonæ non conſiſtit in ratione, ſed in ſtatu quo ab omnibus aliis dividitur, & fit incommunicabilis. Quin & nomen perſonæ videtur deduci ab eſſendo *per ſe*, nempe ſeorſim ab omnibus aliis ; vel, ut aliis placet, perſonam dici quaſi *per ſe unam*, utpote diviſam ab aliis omnibus. Perſona enim per ſe ſola eſt, & ab omnibus aliis diviſa ſtat. Aliter enim nec in judicium rapi, nec ſententiâ judicis perſtringi, poterit ; ſiquidem non conſtaret de perſona.

32. Qua-

©BIUM

Suppositalitatis causæ.

32. Quatuor suppositalitatis causæ ex dictis haud difficulter colligi possunt. 1°. Forma; quæ ea est quam hactenus asseruimus, status quippe divisus per se seorsim completus. 2°. Materia; quæ est natura substantialis à qua ille status sive modus essendi seorsim dimanat, & in quam excipitur, nec non à qua sustentatur. 3°. Efficiens; quæ est vel unio, vel divisio. Quæ enim uniuntur, ex duobus pluribúsve unum fiunt: quæ dividuntur, ex uno supposito fiunt duo aut plura. Per unionem intelligo efficientem causam seu efficientes unionis; & similiter per divisionem, efficientem seu efficientes divisionis. Insuper intendimus unionem immediatè & primò destruere divisionem suppositorum; suppositа verò, eò quòd non amplius maneant in statu diviso, desinere esse suppositа; ità ut unio destruat suppositalitatem mediante sublatione statûs divisi. Quare statûs divisi mutatio quodammodo intervenit inter unionem suppositorum & destructionem eorundem. Similiter quando nova suppositalitas resultat, intervenit quoque status divisus novus. Si enim duo suppositа aut duæ naturæ jungantur, non necessariò indè resultat certa suppositalitas. Fieri enim potest ut tertia natura aut tertium suppositum se simul insinuet: quo casu non ea suppositalitas quæ à duabus solis exspectanda foret, sed ea quæ à tribus unitis, emergit. Sin duæ naturæ stent ab omnibus aliis divisæ, certò & necessariò sibi propriam fundunt suppositalitatem. Causa ergò quæ proximè attingit hujus productionem ea est quæ immediatè naturam ab omnibus aliis dividit. Nam duæ naturæ unitæ frequenter tertiæ communicantur, neque à duabus exspectata suppositalitas resultat. Verùm natura sive simplex sit, sive ex duabus pluribúsve composita, si satis muniatur nè altera in communionem secum irrumpat, satis instructa est ad suppositalitatis resultationem; hoc est, ut stet per se seorsim completa. Porrò, de causis hisce advertendum est, non omnem unionem aut etiam omnem divisionem semper sufficientem esse ad innovationem statûs divisi. Etenim si massa materiæ magna sit, cujusvis particulæ additio & unio ejus suppositalitatem non mutat; sufficit quippe mutatio ex altera tantùm parte. Necesse enim est, duabus naturis additis, earum altera pristinam suppositalitatem deponat; non autem necesse est altera pars eâ se exuat. Etenim æquum non est ut massæ

maſſæ majoris ſuppoſitalitas minori, ſed ut minoris majori cedat. Quare minoris particulæ ſuppoſitalitas in majorem abſorbetur, & ſuum ſtatum perdit; non contrá. Ratio eſt, quia aliàs ob continuum rerum fluxum, diminutionem, augmentationem,&c. vix ſtabile ſuppoſitum materiale reperiretur. Rectè itaque hæ minores ſuppoſitorum variationes aliis nominibus inſigniuntur, Nutritionis, Abſumptionis,Augmentationis,&c. Similiter ablatio parvæ particulæ à magna maſſa non dicitur ſtatum rei mutâſſe, ſed tantùm diminuiſſe. Interim particula abraſa novum ſtatum acquirit. Verùm ſtatus perpetuò ſequitur unionem ſive confœderationem partium majoris maſſæ ab aliis diviſæ, ad cujus innovationem, ut dixi, non ſufficit quælibet particulæ demptio. Quanquam enim Divus Thomas ponat principium individuationis rerum materialium *in materia ſignata quantitate*; non tamen ità accipiendus eſt, quaſi quælibet particula addita aut ſublata mutaret individuationem majoris maſſæ. Si enim ità intelligeretur, omnes plantæ, omnia animalia, multáque alia individua materialia, eſſent incertæ ſuppoſitalitatis, ob continuam eorum fluxibilitatem. Plantæ enim & animalia, depaſcente jugiter vitali calore,indies abſumuntur, novóque intus aſſumpto alimento reparantur: omniáque ferè alia corpora nobis propinqua exhalationibus, humectationibus, deſiccationibus variis obnoxia ſunt. Dicendum ergò eſt, ſtatum diviſum per ſe ſeorſim completum non eo rigore ſumendum eſſe, ut nè minimam additionem aut ſublationem ferat; & conſequenter per ſtatum diviſum intendimus ſtatum rei ſecundùm maximas & nobiliſſimas ſui partes (ſi diſpares habeat) ab omnibus aliis diviſum, iiſque incommunicabilem. Planta itaque, licèt à parvo ſemine ad ingentem arborem excreſcat, retinet tamen à principio ad finem incrementi eandem ſuppoſitalitatem ſtatúmque incommunicabilem. Senſim enim augetur, & partes permanentes atque confœderatæ, principales nimirum, & proxima vitæ ſubjecta, quolibet momento ſive augmentationis ſive diminutionis multò majores & nobiliores ſunt novis ſive accedentibus ſive recedentibus, atque adeò tam auctio quàm diminutio fit per partes, reſpectu permanentium, non ſpectabiles. Interpretatio durioris iſtius ſententiæ D. Thomæ, quâ dicit materiam ſignatam quanti-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 101 sur 591

©BIUM

tate esse principium individuationis, hîc exspectanda foret, nisi propriùs ad proximum Caput spectaret. Porrò, advertendum est, confœderationem partium naturæ materialis ab omnibus aliis divisæ, in qua consistit status divisus sive suppositalitas, differre in corporibus purè naturalibus, in plantis, & in animalibus. In purè naturalibus, in aliis quidem ad unionem duntaxat confusam, in aliis ad unionem figuratam; in plantis, ad ramificationem; in animalibus, ad perfectam organizationem confœderantur. De quibus fortasse erit alibi occasio dicendi. Interim dico confusam partium confœderationem in omnibus corporibus similaribus cerni; configuratam, in salibus spontè coagulatis, multísque mineralibus, ut in adamante aliísque lapidibus, ut & in mineralibus striatis; ramificatam, in innumeris varietatibus plantarum; organizatam denique, in mira animalium diversitate. Sed hæc de efficiente; ad finalem jam causam festinandum est, eâque verbo expedienda. 4°. Finis suppositalitatis est naturæ substantialis fruitio sui ut suppositi completi. Siquidem à divisione, in partibus, ab aliis omnibus, divisis, oritur terminatio quædam unionis seu confœderationis earundem inter se, scilicet huc usque suam confœderationem & communionem extendi, & non ultrà; hoc est, in hisce solis unitis suas finiri ditiones & compleri. Resultat ergò fruitio quædam hujus complementi in se: hoc est, natura sibi complacet & acquiescit in partibus suis unitis, ut sufficientibus ad integram substantiam complendam, prout sic divisæ ab omnibus aliis stant. Quæ complacentia naturæ, quâ nimirum ea in sua integritate acquiescit, est fruitio sui, & finis suppositalitatis à se dimanantis.

Effectus ejusdem.

33. Effectus proprius qui consequitur suppositalitatem est denominatio suppositi *ut quod*, ab omnibus relationibus, constitutionibus absolutis, facultatibus, operationibus, videlicet ab actionibus, passionibus, cessatione, motu & quiete. Quanquam enim constitutiones absolutæ, facultates & operationes proveniunt à natura ut à principio *ut quo*, rectè tamen tribuuntur suppositio ut ei concreto quod operatur: hoc est, spectant ad suppositum materialiter & subjectivè; ad naturam formaliter & effectivè. Atque hæc sufficiant de priore Quæstione, spectante ad Suppositalitatem seu Subsistentiam modalem, cujus additione natura, quæ aliàs fuit abstracta & incom-

incompleta, fit concreta & completa. Proximo loco considerandaest differentia inter Suppositalitatem & Naturam à qua dimanat.

Cap. V.

An Subsistentia modalis ex parte rei differat à Natura à qua dimanat.

1. HActenus probavimus quidnam illud sit quod suppositum naturæ substantiali addit; esse nempe statum per se seorsim completum: jam supereſt investigemus an hoc complementum, sive hic modus additionalis, sit revera aliquid diversum aut ex parte rei distinctum ab illa. Clariss. Suarius Disp. 34. s. 2. paulò aliter, & satìs quidem appositè, quæstionem movet. Quærit an in creaturis suppositum addat naturæ aliquid positivum reale, & ex natura rei distinctum ab illa. De modo inquirendi parùm sumus soliciti; satìs est, si quoquo modo ad rei quæsitæ notitiam perveniamus. Suarius varias sententias proponit & eventilat. *Prima igitur*, inquit, *est sententia, naturam & suppositum solâ ratione distingui ex modo concipiendi nostro in abstracto vel in concreto. Hæc existimatur esse sententia Aristotelis*, &c. *Atque idem sensisse videntur omnes philosophi quæ nostræ fidei mysteria ignorârunt*, &c. Item paulò pòst, *Fundamentum eorum solum est, quia suppositum, verbi gratiâ Petrus, nihil aliud est quàm hoc compositum ex hoc corpore & ex hac anima, & hoc ipsum est ejus humanitas; & quicquid præter hoc cogitetur in substantia Petri, intelligi satìs non potest, nedum probari aut persuaderi.* *Sententia veterum, negativa.*

2. Verùm hanc sententiam Suarius nº. 5. refutat, & potissimùm ex mysterio Incarnationis. *Sed hæc sententia*, inquit, *quamvìs fortasse solâ ratione naturali non possit convinci falsitatis, tamen, supposito Incarnationis mysterio, defendi nullo modo potest; quia, secundùm fidem, in re ipsa humanitas singularis fuit assumpta & unita hypostaticè Verbo Divino, non fuit autem assumptum suppositum creatum & humanum: ergò necesse est ut in re aliqua intercedat distinctio inter hanc humanitatem & pro-* *Refutatur.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 103 sur 591

©BIUM

prium ſuppoſitum ejus, quandoquidem illa manet in Chriſto, hoc autem minimè. Eadem autem eſt ratio de illa humanitate & de omnibus creatis naturis, præſertim materialibus. Item ea humanitas quæ eſt in Chriſto eſt ſingularis natura creata, & non eſt ſuppoſitum creatum: ergò aliquid illi deeſt quod ſuppoſitum addit ultra naturam ſingularem. Cætera huc ſpectantia apud authorem videantur, qui adeò perſpicuè hanc opinionem erroris coarguit, ut non opus ſit illi quicquam ex hac parte addere.

Scoti ſententia examinatur.

3. Scoti ſententia proximo loco examinatur, qui dicit ſuppoſitum naturæ addere negationem ſuſtentationis ab alio ſuppoſito: quam opinionem Suarius fusè quoque refellit: nos quoque eandem ſuprà rejecimus, non tantùm quòd ponat rationem ſuppoſitalitatis in negatione, ſed vel maximè quòd ponat in negatione ſuſtentationis, & demum in negatione ſuſtentationis ab ullo alio ſuppoſito, cùm diceret, ab ulla alia creatura. Subſiſtentia quidem iſta quæ includit negationem ſuſtentationis ab alia creatura non realiter neque ex parte rei, ſed ratione duntaxat, à natura ſubſtantiali differt: ſuppoſitalitas verò ſeu perſonalitas ab ea natura pluſquam ratione, nempe ex parte rei, diſcrepat. Quanquam enim ſubſiſtentia fundamentalis & ſuppoſitalitas Suario idem ſignificant, ſunt tamen fundamenta negationum clarè diſtinctarum: & conſequenter formæ poſitivæ in quibus iſtæ diſtinctæ negationes radicantur ſunt quoque ſatis diſtinctæ. Formæ ſunt duo genera perfeitatis. Prior includit negationem ſuſtentationis ab alia creatura; poſterior non hanc, ſed aliam; dicit nimirum negationem unionis cum omni alia natura aut ſuppoſito. Jam verò ſuppoſitum non addit naturæ ſubſtantiali negationem ſuſtentationis ab alia creatura, ut ex ſuprà dictis ſatis conſtat, & demonſtrari poteſt, quòd natura ſuſtentationem ſuiipſius retineat, etſi ſuppoſitalitas ejuſdem ſuſpendatur. Humanitas enim Chriſti à nulla creatura ſuſtentatur, neque tamen perſonalitas humana ab ea dimanat. Dices, humanitatem Chriſti à Deo ſuſtentari. Fateor, & non tantùm ordinario modo, quo omnis natura creata à Deo tanquam à cauſa prima efficiente & conſervante dependet, ſed etiam extraordinario, & quidem miraculoſo. Nihilominus tamen hæc præpollens ſuſtentatio Divina non videtur levare principium naturæ, in quo fundatur illa negatio ſuſtentatio-

nis

nis ab ulla creatura. Siquidem negari non poteſt quin ad humanitatem Chriſti quatenus aſſumptam negatio ſuſtentationis ab ulla creatura ſpectet. Quare hæc negatio non fundatur in ratione ſuppoſitalitatis, ſed in natura ipſa. Et quidem hoc quoque abſque miraculo demonſtrari poteſt, quòd in partibus integrantibus talis negatio reperiatur. Caput enim, pes, manus, &c. non ſunt ſuppoſita, continent tamen in ſe negationem ſuſtentationis ab ulla creatura. Quanquam enim dicantur eſſe in toto ut partes integrantes, non tamen à toto ſuſtentantur ut accidentia à ſubjecto, aut ut forma materialis à ſua materia. Habent ergò in ſe fundamentale principium ſuæ ſuſtentationis, & conſequenter includunt negationem ſuſtentationis ab alia creatura. Quapropter ſuppoſitum non addit naturæ hanc negationem, neque per principium ejuſdem à natura ſubſtantiali diſtinguitur.

Negatio unionis à negatione ſuſtentationis diſtinguitur.

4. Supereſt alterius negationis principium expendendum; id ſcilicet in quo fundatur negatio unionis cum omni alio. Hæc negatio ab illa priore manifeſtè diſtinguitur. Illa enim roboris, ſtabilitatis & vigoris eſt, ſuis inniti cruribus, non indigere alienis; hæc ſolitudinis & deſertionis eſt, nulli uniri, ab omnibus aliis dividi. Illa fundatur in *perſeitate* propriè dicta, quæ eſt fundamentalis eſſentia naturæ ſubſtantialis; hæc in perſeitate ſolitaria, quâ res ſtat ab aliis omnibus ſeparata, éſtque ipſe ſtatus diviſus, priore Capite aſſertus. Cùm ergò quod ſuo marte ſuſtentatur poſſit cum aliis vel uniri, vel non uniri, certum eſt eſſe formam diverſam ab illa à qua pendet ſola negatio unionis. Poſitâ perſeitate eſſentiali, non indè neceſſariò reſultat negatio unionis cum alia natura aut alio ſuppoſito. Anima enim humana, etſi eſſentialiter ſit per ſe, poteſt tamen cum corpore humano uniri, quo caſu alii quoque ſuppoſito quàm cùm ſeparata ſit unitur. Quare præter perſeitatem eſſentialem alia forma poſitiva à qua reſultet negatio unionis requiritur. Atque hæc forma nihil aliud eſt niſi ſtatus diviſus. Poſito enim hoc ſtatu, neceſſariò ſequitur negatio unionis cum omni alio, & ſublato, tollitur. Quapropter ſtatus diviſus eſt forma poſitiva in qua fundatur negatio unionis cum alio.

Statum diviſum in ſola negatione non conſiſtere.

5. Dices hunc ſtatum, quòd oriatur à diviſione, non addere naturæ ſubſtantiali formam poſitivam, ſed tantùm negatio-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 105 sur 591

©BIUM

nem unionis cum omni alio ; neque facilè concipi poſſe in qua entitate poſitiva iſta forma conſiſtat. Reſpondeo, revera difficulter concipi hanc entitatem, quòd neque planè realiter, neque tantùm ratione à natura ſubſtantiali differat, ſed modaliter & diſtinctione mediâ ; quódque, ut rectè advertit Suarius, nullam novam entitatem naturæ adferat, ſed ſolummodo præexiſtentem de novo modificet. Eſt ergò eſſentialiter modus, ejúſque entitas in ſola modificatione naturæ ſita eſt. Interim eſt modus poſitivus, & negationem licèt in ſe includat, & negativè facillimè concipiatur, in ſola tamen negatione non conſiſtit, neque ſolâ negatione exprimi debet. Quicquid enim naturæ intra palum diviſionis continetur, idque ſolum, confœderatur. Jam verò naturæ confœderatio ſibi ſoli non tantùm inſinuat negationem unionis cum omni alio extra ſe, ſed ſe hâc ſuâ confœderatione factam eſſe completam in ſe : quæ completio forma poſitiva eſt, & ſufficiens fundamentum negationis unionis cum omni alio. Eò enim quòd ſibi ſoli confœderetur, ſibi ſoli communicatur, ut per ſe notum eſt. Quare reſtat modus declarandus quo natura ſibi ſoli confœderata ipſo facto fit completa. Suppono id completum eſſe cui nulla pars deeſt. Cùm ergò tota natura quæ ſtat ab aliis omnibus diviſa, eodem momento ſibi ſoli ſit unita & confœderata, nulla pars ei debita deeſſe poteſt ; quòd nihil ad naturæ complementum requiratur quod non eidem priùs confœderatur. Acquieſcit enim natura in ſe, ſi nulla pars ſibi confœderata deſit : hoc eſt, ſibi complacet in determinata entitate quam nacta eſt, & extra eam nihil quærit. Quare ratio complens naturam ad extrà negativa eſt, ad intus, poſitiva. Communionem enim terminatam totius naturæ fœderatæ in ſeipſa dicit, ſimúlque extra ſe omnem unionem & communionem negat. Incluſivè eſt confœderatio definita totalis & poſitiva : excluſivè eſt negatio fœderationis cum quavis natura aut ſuppoſito extraneo.

Supponit actum vitalem.

6. Dices, poſitivam ſuppoſiti rationem non conſiſtere in unione, quia partes etiam utcunque incompletæ unionem includunt. Reſpondeo, ſuppoſitalitatem neque conſiſtere in unione neque in confœderatione in genere, ſed in determinatione unionis ſeu confœderationis naturæ ſibi ſoli. Supponitur enim hæc, antequam ei ſuppoſitalitas additur, actu exiſtere ; eſſe

per

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 106 sur 591

©BIUM

per ſe, quatenus per ſe dicit non ſuſtentari ab alia creatura ; eſſe principium energeticum ; uniri ſibi, & eatenus ſibi quoque confœderari : cæterùm determinari ad certam naturam ſolam, eíque ſic confœderari, eſt modus, ſtatus, ſeu actus poſitivus, quem ſuppolitum naturæ addit : atque hoc ſenſu ipſa confœderatio naturam ad definitam ſui communionem determinans, adeóque ſe complens, eſt ipſa ſuppoſitalitas quam ſuppoſitum naturæ addit, ipſúmque principium individuationis, ut infrà videbimus. Natura enim quæ aliàs apta eſt conſociari cum alia natura, ſi ſtet bene diviſa ab omni alia, illico ſibi ſoli confœderatur, ſola ſibi ſufficit, & conſequenter completa fit. Cùm ergò natura, ante talem determinationem, de ſe apta ſive potentialis ſit, & quodammodo indifferens, ad varias determinationes, neceſſe eſt hujus potentiæ complementum actus ſit & forma poſitiva. Non eſt autem forma phyſica, ſive ſubſtantialis ſive accidentalis, nempe non eſt realiter diſtincta à natura quam modificat : eſt tamen forma metaphyſica ſubſtantialis, ſeu eſt actus metaphyſicus ſubſtantialis ; ſed talis, quæ nihil novæ naturæ adfert ſuppoſito, quæque tota in modificatione conſiſtit. Eſt ergò (ut rectè Suarius) *eſſentialiter modus*, hoc eſt, eſt modus & præterea nihil. Hoc interim non impedit quin aliis nominibus ſub alia conſideratione veniat. Quatenus ergò potentiam naturæ determinat, appellatur actus & forma metaphyſica ; quatenus modificat ſubſiſtentiam fundamentalem, ſubſiſtentia modalis ; quatenus complet, complementum & terminus ; quatenus ſit occaſione naturæ ſtantis ſolæ ſive diviſim ab omnibus aliis, ſtatus diviſus ; quatenus ſibi ſoli confœderatur, confœderatio & communio totius determinata audit.

Conſiſtit in confœderatione ſibi ſoli.

7. Occurrit hîc objectio gravis, quæ ſaltem ulteriorem vocis interpretationem meretur : Actionem præſupponere conſtitutum ſuppoſitum, nedum conſtituere : confœderationem verò eſſe actionem quandam, & conſequenter non poſſe ſuppoſitum, quà ſuppoſitum, conſtituere. Fateor actionem non conſtituere ſuppoſitum, adeóque confœderationem hanc terminatam non eſſe actionem, ſed actum naturæ ſubſtantialis ſeipſam ſibi ſoli unientis. Quia verò hæc unio reſpicit naturam, non tantùm quatenus eſt in ſe ſuiipſius principium ſuſtentans, ſed etiam quatenus eſt in ordine ad operationes, nempe

Hic actus exponitur.

©BIUM

nempe quà eſt principium energeticum, ſeu vitâ ſubſtantiali dotatum; non videtur ſatis efficaciter exprimi ſolo nomine unionis, & propterea confœderationem & communionem quoque voco: quâ inſinuatur vitalitas naturæ unitæ, ſive actus vitalis, quo quicquid à ſe non dividitur includit, & quicquid à ſe dividitur excludit, ſibíque ſoli ſufficit. Eſt actus, quia naturæ potentiam ſive indifferentiam ad alias naturas in ſocietatem vitæ ſecum trahendas determinat & actuat, ádeóque ad certam individuationem contrahit: ſed eſt actus ſe ſibi ſoli, ut per ſe ſufficientem & completam, confœderans. Datur ergò confœderatio duplex. Altera actus eſt, & principium actionis; altera, actio ipſa à principio eo oriunda. Illa naturam alioquin interminatam terminat & complet: hæc à ſuppoſito priùs completo provenit; unde dictum vulgare, *Actiones ſunt ſuppoſitorum.* Quicquid autem terminat aut complet ſubſtantiam, eatenus actus, non actio, eſt, quanquam à nobis vix explicari poſſit abſque actione. Utpote prima naturæ fœderatio ſibi ſoli non concipitur ut cauſa efficiens, neque ut finalis, aut ut materialis: reducitur ergò ad actum & cauſam formalem, nempe formam metaphyſicam. In quantum tamen naturam ſubſtantialem vivam ſuíque perceptivam, eámque intimè ſibi præſentem, denotat, dubitari non poteſt quin aliquo modo ſeipſam, ut ab aliis omnibus diviſa ſtat, ſuámque abſque alio in eo ſtatu ſufficientiam, priùs ordine naturæ dignoſcat, quàm in unum completum individuum confluat, aut omne ſuppoſitum naturámve extraneam à ſe excludat. Dicendum ergò eſt, hanc confœderationem non oriri à natura tanquam à cauſa efficiente, quemadmodum actio provenit à ſuppoſito, ſed reſultare ſeu dimanare ab eadem ut à cauſa materiali. Nam ut forma educitur è materia in qua inhæret, quámque informat; ità hic actus confœderationis ſibi ſoli è natura ſubſtantiali dimanans, in eâdémque inhærens, eam ut completam actuat, excludendo ab ejus communione quicquid ei non actu unitur & confœderatur.

Optimè concipitur per analogiam ad actionem.

8. Quanquam verò hic actus non ſit propriè actio, aut etiam forma phyſica, ſed quaſi forma metaphyſica; difficulter tamen à nobis plenè concipitur aut explicatur aliter quàm per analogiam ad actionem confœderationis. Includit enim rem confœderatam, ſed non per modum actionis, atqui

(ut

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 108 sur 591

©BIUM

(ut dixi) per modum actûs. Continet enim in ſe naturam perceptivâ, appetitivâ & motivâ facultatibus imprægnatam. Quare cùm perpetim hæ facultates præſente objecto (quòd naturales ſint) exerceantur, cúmque eadem natura ſibi perpetuò objectivè præſens ſit; neceſſe eſt ut ipſo momento diviſionis ſeſe ab omnibus aliis diviſam cognoſcat, ſuámque ſufficientiam ad completum ſuppoſitum conficiendum unà ſciat, nihílque præterea ad hoc neceſſarium eſſe. Conſentit ergò naturali quadam propenſitate appetitiva huic completioni, ſimúlque motiva ad eandem exſequendam inſurgit, ſibíque ſoli actu confœderatur, atque in completum ſuppoſitum coaleſcit. Dico autem hanc confœderationem non eſſe propriè actionem, ſed formam conſtitutivam ſuppoſiti in ratione ſuppoſiti. Non enim ſupervenit ſuppoſito priùs conſtituto, ut actio propriè dicta, ſed ut cauſatio formalis quæ terminatur ad ſuppoſitum ut formale ſuum cauſatum. Quam tamen cauſationem, ut dictum, propter imperfectionem intellectûs noſtri, (quòd non poſſumus per modum actûs uno conceptu totam entitatem hujus formæ diſtinctè complecti,) inadæquatè per analogiam ad actiones ſive operationes (utcunque in ſe ſit actus ſubſtantialis) exponimus. Hinc ratio facillimè reddi poteſt cur ſancti Patres in myſterio Incarnationis ſuſpendi & præveniri reſultationem perſonalitatis humanæ in humanitate Chriſti conſtanter aſſerunt; quia nimirum ea humanitas non ſibi ſoli confœderatur, ſed aſſumpta ad Divinam ſubſiſtentiam in ea acquieſcit & terminatur.

9. Porrò, confœderatio in extrinſecam & intrinſecam diſtinguenda eſt: quæ diſtinctio propemodum coincidit cum priore. Illa enim eſt actio propriè dicta; hæc, actus. Illa res planè diviſas in ordinem digerit, & vinculo quodam mutuæ neceſſitudinis connectit; hæc res intimè conjunctas unione per ſe ſeu communione intrinſecâ conſociat. Priore modo univerſus mundus confœderatur. Quælibet enim ejus pars loco maximè idoneo ad totius emolumentum digeritur, ità nimirum ut una pars alteri quàm minimè noceat, quàm commodiſſimè proſit. Hoc etiam modo confœderantur homines in familias, in civitates, in regna, &c. Sed non opus eſt plura hoc genus exempla hîc referamus. Poſteriore modo naturæ plurimùm diverſæ coeunt in unum per ſe; ut anima rationalis & corpus

Confœderatio duplex; externa, & interna.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 109 sur 591

©BIUM

humanum. Ratio eſt, quia eorum unio fit per intrinſecam confœderationem, quæ ſufficit ad conciliandam unitatem per ſe. Quanquam enim ſuprà aſſeruimus ſubſiſtentiam modalem eſſe naturæ extrinſecam; nihil tamen aliud indè colligi poteſt, quàm eam, ut placuit D. Thomæ, eſſe extra eſſentiam naturæ, & eo reſpectu dici (comparatè ad eſſentiam) extrinſecam. Verùm præter eſſentiam nihil æquè intimum naturæ reperire eſt ac modum ejus ſubſtantialem, quo contrahitur ad ſuppoſitum, nempe ad certum modum eſſendi & operandi. Intimior itaque eſt naturæ ſuppoſitalitas, ut rectè notat Suarius Diſp. 34. ſ. 7. nº. 18. quovis accidente aut proprietate. Etiamſi igitur ſubſiſtentia modalis rectè dicatur extrinſeca reſpectu ſubſiſtentiæ eſſentialis; ſi tamen conferatur cum confœderatione rerum ab invicem diviſarum, quæ planè extrinſeca eſt, non dubium eſt quin meritò appelletur confœderatio intrinſeca.

Principium individuationis duplex.

10. Aliquid hîc addi poteſt *de principio individuationis*, de quo D. Thomas valde intricatè & confusè loquitur. Quanquam enim generali quodam modo rem tenuiſſe videtur; adeò tamen perplexè & obſcurè in propoſitione & explicatione ejuſdem ſeſe expedit, ut ejus diſcipuli partim in partes abeunt, & ſententias veritati parùm conſentientes proferunt, partim præceptorem deſerunt. Cl. Suarius Diſp. 5. ſ. 3. hanc rem prolixè tractat, ubi omnes propè expoſitores ante ſe efficaciter refutat; neque quidem ipſe D. Thomæ mentem ſtrictè ſequitur, ſed putat ſ. 6. entitatem cujuſque rei, ut eſt principium unitatis ejus, ità eſſe quoque principium indiviſionis ejuſdem in ſe. Quæ ſententia, ſi intelligatur de individuo quatenus opponitur univerſali, adeò certa eſt, ut nihil ferè certius eſſe queat. Neque enim creavit Deus entia univerſalia, neque quidem extra intellectum & res ſingulares omnino creari, aut ſuſtentari, aut eſſe poſſunt: ut contra exiſtentiam idearum univerſalium Scholæ paſſim diſputant. Equidem de entis, aliorúmve generum aut ſpecierum, contractione ad individua, non ſoleo magnopere laborare, cùm ſciam omnia (prout in rerum natura ſunt) facta fuiſſe ab initio ſingularia; intellectum verò noſtrum (ob modum intelligendi per inadæquatos conceptus) è ſingularibus univerſalia abſtraxiſſe. Si ergò quæratur quo modo univerſalia

à nobis

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 110 sur 591

à nobis facta revocentur ad ſingularitatem, puto fieri reſtituendo ea in locum quo intellectus eadem primò acceperat; nempe quod ab intellectu præciditur redintegrando; quo facto illico reducuntur ad primævam individuationem. Quod præciditur eſt realis entitas quam intellectus ſub forma ſimilitudinis eſſentialis abſtrahit, quæ in omnibus individuis ejuſdem ſpeciei generiſve uſque ad ſupremum genus reſpectivè ineſt & deprehenditur. Quare fundamentum rei univerſalis eſt ſingulare in quo ejus conceptus fundatur & individuatur. Neceſſe ergò eſt realis entitas cujuſvis rei exiſtens ſit principium entis univerſalis & individuationis ejuſdem.

Modus quo fiunt univerſalia.

11. Intellectus enim objectum reale nactus, idem ſedulò cum aliis comparat; nempe ſimilitudines eſſentiales & diſſimilitudines venatur. Inventâ eſſentiali ſimilitudine, eam ſolam, præcisâ omni diſſimilitudine, conſiderat, atque adeò conficit inadæquatum objecti conceptum. Hic autem conceptus, in re, nihil aliud eſt niſi ſimilitudo (ut dictum) eſſentialis inter omnia individua alicujus ſpeciei aut generis: quæ, ut præcisè intellectui objicitur, in Scholis vocatur conceptus objectivus, ratio objectiva, & forma objectiva. Realiter, ut dixi, exſiſtit in omnibus individuis ejuſdem ſpeciei aut generis, neque de ejus individuatione dubitare licet: ut, exempli gratiâ, eſſe hominem ſimiliter ineſt in Petro, Paulo, & cæteris hominibus, in quibus ſingulis individuatur. Quilibet enim eorum eſt hic homo, ut per ſe notum eſt. Jam verò conceptus quo intellectus ſic præcisè concipit hanc objectivam rationem appellatur conceptus formalis: eſt enim idea ſive forma objecti in mente concepta. Ex hoc conceptu, præcisâ reali exſiſtentiâ, fit conceptus univerſalis, putà ſpecies humana, ſive homo in ſpecie. Demum, ſi velis reducere hunc conceptum univerſalem, videlicet hominis, ad priſtinam individuationem, redde ei primò realem entitatem quam modò præcideras; conceptus non jam manet univerſalis, ſed fit conceptus formalis, ut priùs: deinde contemplator hujus conceptum objectivum, & habes entitatem in quolibet individuo homine realiter exſiſtentem; nempe, eſt ſimilitudo illa eſſentialis quæ inter omnes homines intervenit. Cùm ergò entitas realis præciſa reddat conceptum objectivum ex individuali univerſalem, eadémque reſtituta ex univerſali individuum denuo conficiat;

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 111 sur 591

©BIUM

ficiat; manifestè sequitur esse principium individuationis. Hâc enim positâ, individuatio conceptûs universalis ponitur, & sublatâ, tollitur.

Individuatio distinguitur in primam, & ultimam.

12. Insuper individuatio creata dividi potest in primam, & ultimam. Illam voco eam quæ incompleta est, & spectat ad entia inchoata; ut partes cujusvis rei: hanc, quæ completa est, & terminat substantias integras. Nam partes, quodvis genus, non minùs individuales sunt quàm substantiæ integræ ex iis conflatæ: imò partes metaphysicè componentes, ut natura & suppositalitas, necnon partes essentiales seu physicæ, ut materia & forma, partes denique elementales, ut elementa in misto, cognominantur principia individuationis substantiarum quas componunt. Sunt enim priores & simpliciores totis ex iis concinnatis, quod sufficit ut eo sensu eorum principia audiant. Quare, ut elementa dicuntur principia misti, materia & forma principia corporis physici; ità compositionis metaphysicæ principia sunt natura substantialis & suppositalitas. Cùm ergò entitas cujusvis rei, ut modò probavimus, sit principium individuationis ejusdem, necessariò fit suppositalitas sit quoque partiale saltem principium individuationis suppositi. Asserit Suarius, & efficaciter probat Disp. 5. s. 6. n°. 14. *modum substantialem, quia simplex est & suo modo indivisibilis, habere etiam suam individuationem ex se, & non ex aliquo principio ex natura rei à se distincto*, &c. Quare ex hac sententia suppositalitas est partiale principium individuationis suppositi; nec aliud à me hîc intenditur. Non enim est principium individuationis naturæ substantialis, neque in hac re mihi cum Suario lis est. Verùm ut natura universaliter sumpta se habet ad naturam individualem, ità suppositalitas quoque universalis ad particularem, & suppositum superius ad inferius. Hoc declarat Suarius Disp. 34. s. 8. n°. 10. item n°. 12. & 13. Etenim non tantùm Socrates & Plato componuntur ex natura & suppositalitate, sed & homo, animal, vivens, mistum, corpus, substantia; nimirum omnis substantia completa cujuscunque generis aut speciei. Ratio est, quia ut naturæ rerum sunt inter se essentialiter similes, ità quoque eodem modo similes inter se sunt suppositalitates. Nam ut hic homo Socrates, & hic homo Plato, &c. similes sunt in ratione hominis, ità alteruter alteri similis est in suppositalitate

poſitalitate conformi & proportionata tali naturæ. Quare linea media in ſerie prædicamentali, quæ ſola ſubſtantiarum completarum eſt, componitur ex natura & modali ſubſiſtentia, quæ ejus principia individuationis rectè nuncupentur. Etenim non tantùm natura, ſed etiam modus ſubſiſtendi, ut ſuprà monuimus, ſumatur actualiter vel potentialiter. Actualiter, quatenus complet individua; potentialiter, quatenus genera & ſpecies. Atque hæc de principio individuationis quatenus individuum opponitur enti univerſali cui ſubordinatur.

Univerſale & ſingulare in re non differunt.

13. Porrò advertendum, conceptum objectivum rei univerſalis & ſingularis in eadem re exſiſtentem non differre realiter neque ex parte rei, ſed tantùm ratione cum fundamento in re. Hoc clarè evincit Suarius Diſp. 5. ſ. 2. n°. 9, 10, 11, &c. item Diſp. 31. ſ. 1. n°. 13. ubi fundamentalem rationem hujus veritatis proponit; *Et hanc* (inquit) *ſententiam ſic explicatam exiſtimo eſſe omnino veram. Ejus fundamentum breviter eſt, quia non poteſt res aliqua intrinſecè ac formaliter conſtitui in ratione entis realis & actualis per aliud diſtinctum ab ipſa; quia hoc ipſo quòd diſtinguitur unum ab alio, tanquam ens ab ente, utrumque habet quòd ſit ens ut condiſtinctum ab alio, & conſequenter non per illud formaliter & intrinſecè differt*, &c. Probat verò paulò infrà (ſ. 6. n°. 1, 2, 3, 4, 5, &c.) eſſentiam actualem ab exſiſtentia ejuſdem non differre realiter: neque quidem modaliter, (n°. 9, 10, 11, 12.) ſed ſolâ ratione cum fundamento in re, (n°. 13, 14, 15, &c.) Non opus eſt ulteriore probatione. Suppoſitâ ergò reali identitate eſſentiæ actualis & exſiſtentiæ, (& conſequenter conceptuum inadæquatorum univerſalis & ſingularis ejuſdem individui,) inferendum eſt, principium individuationis non eſſe conſiderationem entis realiter aut ex parte rei diſtincti ab individuo ipſo cujus eſt. Utpote realis rei entitas, quæ eſt principium individuationis, non realiter aut ex parte rei differt à conceptu ſuo inadæquato objectivo, ſive quà univerſali ſive quà individuali. Atque adeò principium hoc genus & principiatum realiter idem ſunt, & differunt tantùm ut inadæquati conceptus ejuſdem rei. Inſuper ex dictis innoteſcit principium individuationis cujuſvis ſubſtantiæ completæ eſſe metaphyſicè compoſitum ex natura & ſuppoſitalitate: ità tamen, ut in hoc

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 113 sur 591

©BIUM

ſenſu ſuppoſitalitas haud multum contribuat ad individuationem. Cùm enim nequeat dare quicquam quod in ſe non habeat, cúmque ſuppoſitalitatis entitas ſit admodum exilis; fieri non poteſt ut magnum aliquid principio naturæ addat. Accedit, quòd à natura dimanat, ejúſque adeò ratio principii in naturam ut in cauſam ejuſdem ultimò reſolvitur.

Alia diviſio individuationis.

14. Verùm enimvero alio longè ſenſu hæc quæſtio diſputari poteſt. Individuationis enim principium dupliciter accipitur: vel quatenus opponitur univerſali quod contrahit, ei addendo realem entitatem priùs ab intellectu præciſam; vel quatenus opponitur mutationi individuali, & ſic dicit principium permanentiæ ſive identitatis individualis. Individuum enim, quando mutatur, non tranſit in rem univerſalem, ſed in aliud individuum ſive ejuſdem ſive diverſæ ſpeciei. Quare conſideratio individui quatenus nulli alii communicatur differens eſt ab ea quâ contrahitur, & ex conceptu univerſali fit ſingularis. Ad hanc enim requiritur duntaxat additio entitatis realis priùs præciſæ: ad illam verò requiritur inſuper limes ſeu terminus naturam individualem à communione cum aliis naturis coercens. Cæterùm de hoc principio individuationis ſuprà egimus, nimirum quatenus opponitur univerſali: hîc verò conſideramus quatenus contrahit naturæ communicabilitatem, nimirum quatenus ex communicabili incommunicabilem reddit. Natura enim utcunque actu exſiſtens poteſt vel cum alia natura uniri, vel ſeorſim ſtare, ut ex ſuprà dictis liquet, & conſequenter diverſis ſuppoſitis communicari; præſente autem certâ ſuppoſitalitate, perpetuò incommunicabilis manet. Cùm ergò permanentia individualis & incommunicabilitas individui idem ſint, neceſſe eſt ab eodem fonte dimanent: ſed incommunicabilitas individui manifeſtè fluit à ſuppoſitalitate, & conſequenter permanentia individualis ab eadem ſcaturit. Cùm ergò aliud ſit naturam univerſalem ad individualem contrahere, aliud, naturæ ſingularis communicabilitatem terminare & incommunicabilem reddere; neceſſe eſt ſint quoque propria hujus incommunicabilitatis principia. Cúmque ſtante incommunicabilitate individuatio maneat, mutatâ mutetur; certum eſt principium iſtud incommunicabilitatis eſſe quoque ſuo modo principium individuationis, diverſi nimirum generis ab eo quo univerſale

ad

ad ſingulare contrahitur. Hoc enim non ſufficit ad naturæ communicabilitatem terminandam. Quare individuatio duplex eſt: altera reſtringit univerſalitatem; altera terminat naturæ communicabilitatem. Suprà explicuimus priorem: hîc aliquid de poſteriore eſt advertendum.

Singulare & incommunicabile differunt.

15. Dices, nondum ſatis conſtare, rationem individui, quâ opponitur univerſali, eſſe ex parte rei diſtinctam ab ea quâ opponitur communicabili. Videtur enim Suarius Diſp. 5. ſ. 1. n°. 3. rationem individuationis per incommunicabilitatem explicare; quod nullus faceret, ſi putaret communicabilitatem & univerſalitatem eſſe rationes pluſquam ratione diſtinctas. Verba ejus ſunt, *Nulla autem negatio diviſionis ſeu diviſibilitatis excogitari poteſt quæ compleat rationem entitatis individuæ & ſingularis, niſi ea quæ à nobis explicata eſt, ſcilicet, quòd entitas talis ſit, ut tota ratio ejus n n ſit communicabilis multis ſimilibus entitatibus, ſeu, quod idem eſt, ut non ſit diviſibilis in plures entitates tales qualis ipſa eſt*, &c. Et paulò infrà, *Ratio*, inquit, *unitatis per ſe individuæ & ſingularis conſiſtit in entitate, ſuâ naturâ, per ſe una, & prædicto modo indiviſa ſeu incommunicabili.* Reſponderi poteſt, communicabile dupliciter accipi poſſe; & ſimiliter incommunicabile. Nam primò, aliquid communicabile dicitur quòd ſit univerſale, & de pluribus prædicetur; ut homo de Petro & Paulo. Hoc ſenſu, communicabile & univerſale idem ſonant; & eodem, individuum omne ſolum & ſemper eſt incommunicabile; nempe quatenus incommunicabile opponitur univerſali. Secundò, aliquid dicitur communicabile quòd per modum participationis alteri quaſi in poſſeſſionem tradatur. Prædicatur quidem communicabile hoc genus, ſed non directè, ut univerſale, atqui obliquè, concretè & reduplicativé: ut pars eſt totius pars, accidens eſt ſubjecti accidens, natura eſt ſuppoſiti natura. Hoc ſenſu ſola ſuppoſita ſunt incommunicabilia. Accidentia enim, ut dictum, communicantur ſubjecto, partes toti, natura ſuppoſito. Quare ſola ſubſtantia completa, nempe ſuppoſitalitate terminata, eſt hoc ſenſu incommunicabilis. Individuatio enim accidentis, partis, ut & naturæ exiſtentis, incommunicabilis eſt duntaxat, quia non communicatur pluribus talibus qualis ipſa eſt: quæ incommunicabilitas univerſalitati ſolummodo opponitur. Atque hoc ſenſu rectè Suarius per incommunicabilitatem

©BIUM

tatem generalem rationem individuationis exponit. Posterior autem incommunicabilitas, quæ neque accidentibus, neque partibus, neque naturæ, ratione solius exsistentiæ competit, solis substantiis completis sive suppositis appropriatur. Est autem hæc quoque incommunicabilitas individuatio quædam, sed non ea quam suprà primam sive inchoatam, incompletam & interminatam nominavi, (qualis est individuatio accidentis, partium, & naturæ substantialis exsistentis, sed suppositalitate nondum terminatæ ;) verùm est individuatio suppositorum, nimirum completa & completè terminata. Hujus jam individuationis principium alia longè res est ab illa quæ contrahit universale ad singularitatem, nempe est ipsa suppositalitas cujusvis rei. Natura enim substantialis quanquam sit sufficiens principium suæ singularitatis per suam actualem entitatem ; per eam tamen non formaliter, sed quasi materialiter tantùm, hujus principii rationem attingit. Suppositalitas autem sola est proximum hujus individuationis principium. Adeóque habemus istud Divi Thomæ *extra essentiam naturæ*, (sine quo impossibile est ut creatura sit in rerum natura naturaliter,) scilicet statum divisum sive suppositalitatem.

Suppositalitatem esse principium individuationis.

16. Tandem quæstionem de principio individuationis ad nobilem statum perduximus. Non enim hîc ampliùs de principio ratione tantùm à suo principiato distincto agimus, neque de lana caprina aut de re levis momenti contendimus, sed de principio quod ex parte rei à principiato discrepat, quóque posito, individuum completum ponitur, sublato, tollitur : imò quo posito, individuatio, vel in materiæ individualis fluxu, intemerata servatur. Hanc ergò quæstionem priore multò potiorem puto, dignámque in quam altiùs inquiramus. Etenim positâ eâdem numero materiâ, non necessariò idem resultat individuum ; neque, mutatâ materiâ, necessariò sequitur individui mutatio. Similiter nonnunquam eâdem naturâ manente, idem individuum non manet. At è contrà, mutationem suppositalitatis mutatio completæ individuationis inseparabiliter comitatur, & permanet hâc immutatâ. Quibus indiciis evidenter constat, non materiam, non naturam substantialem, sed solam modalem subsistentiam, esse proximum, hoc genus, individuationis principium. Si enim materia esset hoc principium, eâ positâ, poneretur individuum

individuum completum; & ſimiliter ſi natura eſſet idem principium, eâ datâ, ſequeretur individuum completum. Sed aliter multò evenit. Nam, ſolâ ſuppoſitalitate manente eâdem, manet individuatio; ſolâ ſuppoſitalitate mutatâ, materiâ manente naturâve, individuatio mutatur. Quare hiſce aſſertionibus explicatis & probatis, ſatis innotuerit quod intenditur, ſolam ſuppoſitalitatem eſſe hoc genus principium individuationis. Et conſequenter, in ſequentibus his inſiſtendum eſt.

17. Dico, primò, manente materiâ, & naturâ, poſſe mutari ultimam ſive completam individuationem, mutatâ ſolâ ſuppoſitalitate. *Probatur 1°.* Quod ſic demonſtro. Duæ guttulæ aquæ, aut duæ lactis alîúſve liquoris ſimilaris, minimo negotio uniuntur, ut cuivis notum eſt. Unitis verò, ſtatus prior alterutrius diviſus ceſſat, & novus exoritur partibus unitis communis. Manet materia duarum guttularum, manétque natura hujus aquæ individualis: non autem manent duo individua, ſed unum tertium duobus æquivalens & ex duobus reſultans, ab utriſque ſimul ſumptis ex natura rei diſtinctum. Ratio eſt, quia mutatur ſuppoſitalitas, & hæc ſola. Conſtat mutari ſuppoſitalitatem, quòd ſtatus diviſus, qui, ut ſuprà monſtratur, eſt ratio ejus, manifeſtè mutatur. Guttulæ enim priùs diviſæ uniuntur, neque ampliùs à ſe invicem, ſed duntaxat ab omnibus aliis, dividuntur. Quòd autem individuatio mutatur, ex eo patet, quòd erant duo individua, nunc unum tertium fiunt, quod ab alterutro duorum realiter differt. Etenim alterutro eorum ſeorſim duplò plus materiæ continet. Verùm ſi conjunctim conferas duas guttulas & unam majuſculam ex illis conflatam, neque differunt planè realiter, neque ſolâ ratione, ſed diſtinctione mediâ, ſive modaliter. Eadem enim materia eadémque natura novum tantùm eſſendi modum ſibi acquirunt. Differunt ergò ſolùm per novum modum eſſendi, ſive per novum ſtatum diviſum quem nactæ ſunt. Cùm verò novus ſtatus ſive nova ſuppoſitalitas differat tantùm modaliter à natura cujus eſt, neceſſe eſt ubi natura manet eadem, & modus ejus ſubſiſtendi tantùm mutatur, mutatio ſit tantùm modalis: cúmque, mutato ſolo modo naturæ, mutetur individuum, (ut ex dictis oſtenditur) ſequitur novum modum eſſe ſufficiens iſtius novæ individuationis principium. *Idem argumentum illuſtratur.*

18. Advertendum eſt, rationem ſuppoſitalitatis maximè

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 117 sur 591

©BIUM

eluceſcere in hujuſmodi inſtantiis in quibus ea ſola mutatur: ſtrictè ergò in his perpendendum eſt quid accedat, quid recedat, quídque permaneat. Manifeſtum eſt materiam totam totámque naturam aquæ in unione duarum guttularum ejuſdem præexſtitiſſe, & adhuc permanere; ſed erat priùs in duas guttulas diviſa, nunc diviſio ceſſat, unio ſuccedit, & cum unione mutua entitatis communicatio, tum inter ſe, tum toti: quin & tota maſſa ſtat diviſa ab omnibus aliis materiis, naturis aut ſuppoſitis. Sibi ergò ſoli confœderatur, non quidem per viam actionis, atqui per viam actûs; hoc eſt, per reſultationem determinati principii idealis ſuiipſius, ut ſubſtantiæ individuæ ab omnibus aliis ſatis diviſæ, adeóque in ſe completæ, & à ſe appetendæ atque tuendæ. Principium enim ideale internâ quadam & objectivâ unione naturæ ſubſtantiali deſponſatur, ejúſque tres primas facultates, perceptivam, appetitivam & motivam, informat, actuat, & quaſi ſatiat. Quia verò ſe ſatis ab omnibus aliis diviſum repræſentat, nulli extra ſe communicatur, ſibíque ſoli unitur, necnon ſibi ſoli ſufficit. Atque hæc de prima aſſertione.

Probatur 2°. 19. Dico, ſecundò, fieri poſſe ut, manente materiâ, tam natura quàm ſuppoſitalitas, atque unà individuatio, mutentur. Probatur inſtantiis hujuſmodi. Æquis portionibus aqua & vinum, aut alia diverſa miſcibilia, commiſceantur. Materia tam aquæ quàm vini manet; natura utriuſque infringitur & contemperatur; ſuppoſitalitas & individuatio mutantur. Verùm proxima cauſa mutationis individuationis non referenda mutatæ naturæ, ſed mutatæ ſuppoſitalitati. Mutaretur enim individuatio etiamſi natura eadem permaneret: ut conſtat ex inſtantiis prioris aſſertionis cum his collatis. Quare in exemplis his quoque ſola ſuppoſitalitas eſt cauſa proxima & principium completæ individuationis. Nam alioquin natura, materia, partes & accidentia dicantur ſuo modo individua; ſed incompleta ſunt abſque ſuppoſitalitate. Et quidem hæc incompleta individuatio ab illa realiter differre videtur, quòd, hâc immutatâ manente, illa mutetur.

Probatur 3°. 20. Dico, tertiò, ut manente materiâ mutari poteſt individuatio, ità fluente eâdem individuatio manere poteſt. Sciendum eſt, duo eſſe individuorum genera, quorum alterum

ad

ad eſſe permanens, alterum ad eſſe in continuo fluxu, determinatur. Ad primum genus ſpectant non tantùm ſubſtantiæ immortales, ſed & corpora quæ maximè durabilia & fixa putantur, ut lapides, mineralia, metalla, & ſimilia: quanquam ex his quoque plurima (imò omnia ſaltem attritioni, ſi non) exhalationibus obnoxia ſint. Ad poſterius, ea quæ continuæ fluxioni materiæ ſubjiciuntur; cujuſmodi ſunt ea omnia quorum calor inſitus humiditatem jugiter depaſcitur, ut omnes plantæ, omnia animalia. Huc quoque referas fluvios, flammas, thermas, fermentantia, & omnia quæ ſuâ naturâ continuæ diſſipationi apta nata ſunt. Poſterius genus, ut plerumque prius nobilitate vincit, ità ſtabilitate eidem cedit. Inter ea quæ maximè conſpicuum materiæ fluxum aſſiduè patiuntur ſunt fluvius, ignis, flamma lucernæ, & ſimilia. Fluvius continuo lapſu aquarum ſe in oceanum effundit, & intra menſis ferè ſpatium tantam aquæ vim quantam in ſuis alveis continet, & fortè majorem, exonerat: interímque idem manere fluvius perhibetur. Nam ut effluit quà mare ſpectat; ità quà terram, novo ſubindè affluxu è fontibus & rivulis ſcaturiente redintegratur. Manet ergò idem individuus fluvius, etiamſi tota ejus materia multoties in anno evacuetur & innovetur. Quare neceſſe eſt aliunde quæramus hujus individuationis principium. Similiter flamma lucernæ continuus quaſi fluvius flammæ eſt, & jugiter abſumit oleum aut ſevum quo nutritur. Materia enim flammæ quolibet momento novis exhalationibus alitur & renovatur. Etſi verò materia ejus perpetim mutetur, putatur tamen eadem numero flamma, donec extinguitur, permanere. Hujus quoque individuationis ratio ab hac aſſertione petenda videtur. Plantæ ex parvo ſemine in vaſtam molem, putà arboris, excreſcunt: ità ut earum prima ſtamina non ſunt milleſima pars plantæ ad ſummum ſuum incrementem provectæ. Accedit quòd prima illa ſtamina indies plùs minúſve attenuantur & abſumuntur; ità ut vix milleſima pars primorum rudimentorum ad ſenium uſque plantæ perdurat. Interim individuatio ejus à primis ejuſdem rudimentis ad extremam adeptam magnitudinem eadem continuatur. Denique, eadem res non minùs, quin potiùs magis, conſpicua eſt in animalibus, præſertim calidioribus & nobilioribus. In homine, ex obſervatione Sanctorii, in

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 119 sur 591

©BIUM

ſua Medicina ſtatica, duæ circiter libræ indies per inſenſilem tranſpirationem diſſipantur. Non ergò ſperandum ut eadem individua materia ab initio ad finem vitæ permaneat; pauculæ fortaſſe particulæ magis terreſtres, ut in oſſibus, &c. maneant, cæteræ omnes deflagrantur. Si igitur ritè perpendamus quantilla ſint prima embryonis rudimenta ad hominis adulti molem collata, & dein ſubducamus quod indies vi caloris abſumitur, facilè inferamus vix millies milleſimam partem materiæ quæ conſtituit virum integrum à primis embryonis rudimentis profluxiſſe. Cùm ergò nihilominus individuatio eadem maneat, neceſſe eſt ea ab alio fonte quàm ab identitate materiæ promanâſſe.

Objectioni occurritur.

21. Graviſſima hîc objectio occurrit, Si dentur ſuppoſita in continuo fluxu, ſtatum diviſum non eſſe rationem ſuppoſitalitatis. Quod enim eſt in ſtatu diviſo neque acceſſionem neque diminutionem materiæ vel minimam, abſque innovatione ſtatûs, admittit. Reſpondeo, in naturis quidem perpetuis adeò rigidè accipi ſtatum diviſum ac hîc intenditur. Verùm in caducis non in eo rigore accipi debere, ſed admittere augmentationem & diminutionem, modò ſenſim & ſine ſenſu fiat: imò in his, reſpectu permanentiæ individuationis, magis attendendum eſſe ad confœderationis modum quàm ad diviſionem factam. Dices, ſtatum ergò diviſum non eſſe ſuppoſitalitatem. Reſpondeo, ſtatum diviſum non tantùm dicere negationem unionis cum omni alia natura aut ſuppoſito, ſed & rationem poſitivam, quæ modum individualem ſive legem confœderationis includit; & hunc modum, quo poſitivè completur natura, & determinatur ad eſſe & operari, eſſe ipſam poſitivam rationem ſuppoſitalitatis, vel ſaltem inadæquatum conceptum ejuſdem, & poſitivum principium individuationis. Manet itaque individuum quamdiu individualis modus confœderationis manet; hoc mutato, mutatur. Actus enim ſive modus confœderationis includit ideam ſive characterem individui; qui quidem, de omni momento, requirit negationem unionis cum omni alia natura; ſed, diverſis temporibus, non neceſſariò adſtringitur ad hanc aut illam individuam materiam, neque ad hanc vel illam materiæ quantitatem, ſed modò augetur, modò minuitur, aut ſimul, reſpectu diverſarum particularum, augetur & minuitur: eâ tamen lege, ut quicquid de

©BIUM

de novo recipiatur in ſocietatem individualem priùs dometur & ſubigatur, ſive coquatur in naturam & genium ſubigentis. Suſcipit ergò ideam domantis, cui deinceps unitur, & quaſi identificatur. Eâ quoque lege, ut quicquid rejiciatur ab hac confœderatione exuat ſe priore ideâ, & in momento quo rejicitur aliam induat. Verùm ut hæc magis diſtinctè intelligamus, opus eſt in naturis perpetuis & mutabilibus ſeorſim expendamus, & in his, quòd in aliquot genera diſcriminentur, ſecundùm ea ſigillatim conſideremus.

Status diviſus in perpetuis rigidè ſumendus.

22. In naturis perpetuis ſtatus diviſus adeò rigidè permanere ſupponitur, ut nè minimam vel acceſſionem vel diminutionem abſque innovatione individuationis perferre poſſit. Ratio eſt, quia determinatur ad permanentiam irrefragabilem. Non enim confœderatur ad durationis ſeriem ſecundùm ætates variabilem, cui naturalis terminus præfinitur, ſed ad ſeriem carentem omni termino, & conſequenter etiam omni proceſſu aut variatione eò versùs tendente. Ridiculum enim eſt putare ſubſtantias perpetuas, quales perhibentur Angeli, decurrere per ætates, & paulatim ad acmen perfectionis conſcendere. Sic enim proceſſu temporis neceſſariò ad ſenium vergerent, & ſpe perpetuitatis fruſtrarentur. Quare agnoſco in individuis perpetuis ſtatum diviſum reſtringi ad omnes vel minimas particulas, ſive materiales ſive entitativas, ità ut nè minima excidere queat, aut de novo addi, quin novum individuum exoriatur. Hinc quoque inferre licet, diſtinctionem individuationis in primam & ultimam, ſeu in inchoatam & completam, minùs neceſſariam eſſe in individuis perpetuis quàm in corruptibilibus. In illis enim, ut prima eſt perpetua, ità & ultima, neque ab ulla naturali cauſa ab invicem ſeparabiles ſunt: (quod fortaſſe cauſa fuit cur nonnunquam D. Thomas de diſtinctione naturæ & ſuppoſiti in Angelis minùs ſolicitus fuit; quanquam in aliis locis ſatis certò ſtatuat naturam abſque aliquo extra eſſentiam ejus realiter eſſe non poſſe, & ſic ſuppoſitalitatem ut neceſſariam ad individuationem complendam etiam in Angelis requirat:) in his verò, manente individuatione primâ perpetuâ, ultima mutabilis ſeu corruptibilis deprehenditur. Similiter in perpetuis, non multùm refert diſtinguamus nécne negationem unionis cum omni alio ab actu naturæ confœderatæ eam ſuſtentante. Per-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 121 sur 591

©BIUM

petuò enim & pari paſſu ſe mutuò comitantur, neque ab invicem ullo modo ſejungi queunt. In individuis verò corruptibilibus res longè aliter ſe habet, & idea totam individui continuationem repræſentans non rigidè omnem unionem cum nova materia reſpuit, neque totam ab initio ſibi indultam pertinaciter retinet; ſed paulatinam & inſenſilem mutationem admittit. Cùm verò ratio regulæ certiùs à perpetuis quàm à mutabilibus deſumitur, ratio generalis ſtatûs diviſi ſive ſuppoſitalitatis ab illis potiùs quàm ab his deducenda fuit, in his autem limitatio potiùs rigidæ regulæ exſpectanda. In quantum enim mutabilia ab abſoluta perpetuitate recedunt, in tantum etiam à ſtatu diviſo accuratè eodem excidunt. Norma itaque abſoluta ſtatûs diviſi ab eo quatenus in perpetuis cernitur deſcribenda eſt. Atque hæc habui de ſtatu diviſo dicenda quatenus in individuis perpetuis reperitur.

Non in caducis.

23. In individuis mutabilibus non adeò rigidè ſumendus eſt, ſed paulatinam, ut dixi, ſenſimque factam materiæ ſive diminutionem ſive additionem admittit. Ipſa enim individuatio in his quodammodo fluxilis eſt, & minùs certæ terminationis. Quanquam enim (habitâ ratione naturæ rerum fluxibilium) dicitur manere eadem; hæc tamen identitas non eſt accurata, ſed aliquali variationi ſubmittitur. Si verò ipſa individuatio non ſit exquiſita, non exſpectandum eſt, ſuppoſitalitas, quæ proxima ejus cauſa eſt, penitùs immutabilis maneat: ſed ſaltem in genere tenendum, id quod ſpectabilem mutationem non incurrit, *idem* reputandum eſſe. Sunt interim nonnulli hujus mutationis quaſi fines & limites, quos ſuppoſitalitates & individuationes manentes eædem non tranſgrediuntur, quorum præcipuos (quòd ſcitu digni ſint) hîc paucis explicabimus.

Limites ejuſdem individuationis.

1. Continuitas.

24. Primò, Idem ſuppoſitum ſive individuum completum nunquam eſt in ſe aut à ſe diviſum. Verùm hoc ad generaliſſimam rationem entis, quatenus eſt unum, ſpectat. Nihil tamen impedit quin etiam deſcendat ad ſuppoſita. Quicquid enim ineſt generi omnibus ſpeciebus competit. Sed in ſubſtantiis materialibus requiritur porrò, ut quod idem eſt, ſit ſibi continuum. Nam continuitas in materialibus eſt ad unitatem quantitativam neceſſaria. Quare particulæ quæ à majore

jore maſſa quoquo modo ſeparantur novam acquirunt ſuppoſitalitatem & individuationem ; quanquam majori maſſæ ea innovatio non propterea tribuenda ſit. Si enim in diviſione non ſpectabili permanentia alterutri parti ſit adſcribenda, non dubium eſt quin majori maſſæ debeatur. Diviſio enim non ſpectabilis dicitur, cùm id quod à majore maſſa auferatur, ad eandem collatum, vix ſatìs proportionatum aut conſideratu dignum ſit : ut ſi quis è mari ſitulam aquæ hauriat, aut guttulam è ſitula. Nam individuatio non ſupponitur mutari in mari ob ablatam ſitulam, aut in ſitula ob perditam guttulam ; quia tantilla variatio in mutationi obnoxiis non eſt ſpectatu digna. Nihilominus particula ſeparata novam individuationem novámque ſuppoſitalitatem nanciſcitur ; quòd poſtquam dividitur nequeat participare de ſuppoſitalitate majoris maſſæ, & conſequenter opus habeat novâ ſibi propriâ.

25. Secundò, Quod in unitatem cum altero admittitur perdit ſuppoſitalitatem & individuationem propriam ; ſed ſi ſit portio non ſpectabilis comparata ad maſſam cui additur, non facit mutationem individuationis in ea, ſed eidem cedit, in eámque quaſi abſorbetur, tantúmque perdit propriam individuationem. Non enim expedit ob tantillam additionem in mutabilibus innovationem aſſeramus. Inducimus enim, hoc admittendo, non ferendam incertitudinem in modo loquendi & concipiendi de iſtiuſmodi rebus. Indies enim propemodum omnia mutarentur, & nova nomina nováſque periphraſes poſtularent. Quare ut in ablatione non ſpectabili res non mutatur, ità neque in additione conſimili. Sufficit enim in inæqualibus hujuſmodi unionibus, ſi unius ſaltem partis individuatio pereat. Ut, exempli cauſâ, in oceanum guttula aquæ injiciatur ; an propterea putanda ſit oceani ſuppoſitalitas aut individuatio mutari ? 2. *Additio & ablatio nè ſit ſpectabilis.*

26. Tertiò, Idem ab omnibus aliis quibuſcum non identificatur eſt aliquo modo diviſum. Eſt autem diviſio multiplex, naturæ & continuitatis, actualis & potentialis ; ut alias differentias hîc mittamus. Quod actu non continuatur alteri, nequit eſſe idem durante diſcontinuitate. Sic alimentum, quamdiu actu non unitur corpori alito, non admittitur in ſocietatem individuationis cum eodem. Quod continuatur 3. *Eſſe diviſum ab omnibus aliis.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 123 sur 591

©BIUM

tur alteri, ei communicatur in generali ſaltem ratione materiæ; non autem neceſſe eſt communicetur ratione inferioris naturæ: ut pars ſphacelo correpta communicatur corpori animalis, ſed dividitur à natura ejuſdem, quia nec vivit, nec ſentit. Videtur autem hæc diviſio potentialis reſpectu continuitatis, ſed actualis reſpectu naturæ. Similiter excrementa ſanguinis nondum ſecreta, reſpectu naturæ ſanguinis, defuncta ſunt; ſed ei continuantur reſpectu dimenſionis, donec actu ſecernuntur.

Hactenus propoſuimus limites individuationis quatenus unione & diviſione præfiniuntur: ſuperſunt adhuc duæ multò potiores regulæ, quæ ſumuntur ab individuali actu confœderationis naturæ, & ab idea quâ idem actus informatur.

4. *Manente naturæ ſcopo, manet individuum.*

27. Quartò, Igitur ſuppoſitalitas & individuatio manet eadem quamdiu primarius ſcopus actûs confœderatæ naturæ manet idem: ceſſante verò primario naturæ ſcopo, ceſſat ſuppoſitalitas & individuatio ejuſdem. Primarius naturæ ſcopus omnibus corporibus communis conſiſtit in præſervatione particularis formæ, quâ conſtituuntur, cujúſque diviſione à ſe eorum individuatio diſſolvitur. In corporibus in ſpecie, putà ſimilaribus, quà talibus, natura confœderata præcipuè intenta eſt conſervationi unitatis ſuiipſius in interiore & maxima ſuæ molis parte. Patitur itaque particulas ſuperficiales faciliùs abſtergi aut abradi quàm interiores, & multò magìs quàm totam maſſam dividi. Sic enim individuationem perderet; ſed ob particulæ non ſpectabilis ablationem minimè interit. Inſuper, in fluidis ſcopus quodammodo oppoſitus eſt ei in terminatis. In illis partes confœderantur ad liberam ſuiipſius quoquoversùm diffuſionem; ut in aqua: in his, ad determinatam & fixam inter ſe poſituram partium; ut in glacie. Porrò, in corporibus organicis ipſius partium ſtructuræ maxima habetur ratio: ſed omnia organa non ſunt paris neceſſitatis aut pretii. Hinc minùs ad vitam neceſſaria violari poſſunt abſque totius individui interitu: ut ramo arboris detruncato, aut pede animalis abſciſſo, non ſtatim individuum deſtruitur: ſed ſi organum ad vitam planè neceſſarium penitùs vitietur, totum corruit. In plantis verò primarius ſcopus non tam reſpicit certum organum, quàm individualem vegetationis rationem: & ſimiliter in animalibus primus ſcopus

pus non eſt hoc vel illud organum, ſed hæc vel illa determinata animalis vita, quâ durante individuatio ejus permanet, ceſſante, deſinit. In homine hic ſcopus ulteriùs protenditur, nimirum ad unionem corporis cum anima rationali. Hæc enim, manente vitâ, corpori unitur; eâdémque extinctâ, à corpore ſeparatur.

5. Manente ideâ ut ejuſdem rei, manet individuum.

28. Quintò, Manet idem individuum quamdiu retinetur eadem idea individualis à generante ab initio impreſſa. Individualis enim hæc idea à principio ad finem durationis individui continuatur. In ipſo quidem inſtanti determinationis naturæ ſubſtantialis ad certum ſuppoſitum neceſſariò reſultat actus quo ea ſibi ſoli confœderatur. Hic actus ſupponit ideam rei eo actu productæ. Fruſtrà enim dicitur natura confœderari, ſi neſciat id in quod confœderatur. Suppoſitum, & conſequenter individuum, productum, eſt id in quod confœderatio terminatur. Hoc ſi natura percipiat, habet ejus ideam; ſin non percipiat, in idem non confœderatur. Etenim confœderatio eſt actus vitæ, & conſequenter perceptivus ſui & effectûs à ſe producti. Actus enim perceptivus ſupponit ideam quâ objectivè terminetur. Individualis hæc idea à principio ad finem durationis individui continuatur. Quanquam enim materia ſenſim mutetur; nova tamen, quæ in locum prioris ſufficitur, priuſquam admitti poteſt, domatur, & cogitur ſuſcipere ideam individui domantis. Similiter materia ſeparata in actu abitûs deponit ideam prioris individui, & novam ſuſcipit.

Ideam poſſe rem anticipare.

29. Quæres quomodo idea vocetur eadem, cùm non dimanet ab eadem materiali cauſa à qua primò profluxit. Reſpondeo, in prima determinatione naturæ ad individuum caducum reſultare ideam, non ſolùm actualem præſentis ſtatûs, ſed & potentialem futuri; ſed cum aliquali variatione ex parte decreti naturæ requiſita. Natura enim confœderata non tantùm actu determinatur de præſenti, ſed & potentialiter ſeu aptitudinaliter de futuro. Quare naturæ ſic determinatæ idea non tantùm repræſentat præſentem individui rationem, ſed etiam futuram, in quantum contineri dicatur in præſenti cauſa. Hoc igitur reſpectu dicitur nonnunquam idea, individuum, reſpectu actualis ſtatûs ejuſdem, anticipare, & concurrere, ut cauſa exemplaris, ad ejus conſummationem &

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 125 sur 591

permanentiam; ut cernere est in individuis organicè formatis, in quibus idea ad ipsam formationem concurrit: ità ut pullus in ovo sit actu pullus quoad intentionalem naturæ confœderationem, & quoad ideam secundùm quam ea pullum formatura est: ità ut idea conspiret ut causa exemplaris ad formationem rei quam ipsa repræsentat. Concedendum itaque est, ideam in prima naturæ determinatione resultantem prædefinire necessarias individui variationes, quatenus à natura ejusdem dependent, neque propterea eas æstimari debere novas individuationes; cùm individuum tale non rectè diceretur manere idem, si non subiret tales mutationes. Cùm enim ex naturæ decreto animalia destinantur ad aliqualem variationem secundùm ætates, & ad quotidianam dissipationem nonnullarum particularum vi caloris, nec non ad instaurationem earundem per assumptum alimentum; nisi hæc ità in decursu vitæ eveniant, non fuerit idem individuum quod ab initio à natura intendebatur. Dicendum itaque est, primam rei ideam repræsentare non solùm actualem naturæ statum, verùm etiam potentialem. Nam individuum mutabile potentiâ priùs est quàm actu, & eo respectu idea ejus idem anticipat: ut ovum fœcundum actu continet ideam futuri pulli; pullus verò adhuc potentialis est, necdum actu formatur. Quare idea pulli prima seriem & processum totius vitæ pulli continet, nempe naturalem variationem ad ejus continuationem necessariam in antecessum repræsentat. Quare idea eadem totalis quæ individuum, quatenus actu est, exhubet ut in actu, quatenus in potentia est exprimit ut in potentia. Est enim ejusdem individualis naturæ repræsentatio, sed cum aliquali variatione secundùm ætates, &c. ut dixi. Verùm distinguendæ sunt ideæ quæ à natura mediante solâ causâ uniente aut dividente resultant, ab iis quæ vi generantis in actu productionis veluti sigilla efficaciter imprimuntur. Hæ enim antevertunt actualem individui statum, & ut causa exemplaris ad ejus formationem concurrunt: illæ simul cum actuali divisione aut unione è natura spontè dimanant. Dicendum itaque est, posse ideam in materia ritè dispositа, nempe seminali, antevertere statum formatum plantæ aut animalis à natura respectivè intentum.

Divi Thomæ sententia exponitur.

30. Videtur autem sententia Divi Thomæ maximè ab hac opinione

opinione averſa, ubi aſſerit in materiæ ſignata quantitate individuationem principiari. Reſpondeo, primò, Divum Thomam, ubi loquitur de ſignata materiæ quantitate ut de principio individuationis, non ità accipiendum eſſe, quaſi vellet materiam eſſe hoc principium in ſpiritibus rebúſque immaterialibus,iis nempe quæ materiâ carent. Quid enim abſurdius fingi poteſt, quàm ut aliquid dicatur intrinſecum principium iſtius rei in qua non eſt, imò & à qua tantopere diſcrepat? ut ſpiritus ſit hic ſpiritus,quia fundatur in hac materia à qua nullo modo dependet? Quaſi materia poteſt eſſe principium ſpiritûs, aut det ei actualem exſiſtentiam. Quare materia non intenditur eſſe principium individuationis, niſi in materialibus. Hæc ergò Divi Thomæ aſſertio de ſolis materialibus intelligenda eſt.

31. Dico, ſecundò, Divum Thomam, ubi loquitur de ſignata materia, non intendere, eam eſſe principium individuationis completæ, de qua modò locuti ſumus, ſed primæ & incompletæ: quo ſenſu veriſſimus eſt. Realis enim entitas materiæ eſt principium individuationis ejuſdem, (ut ex ſuprà dictis de individuatione quatenus opponitur univerſali liquet,) non autem eſt principium individuationis quatenus ea opponitur communicabili modo ſuprà expoſito. Etenim iſtud extra naturæ eſſentiam, quod ad cujuſvis rei entitatem realem ſecundùm Divum Thomam neceſſariò requiritur, eſt hoc genus principium. Eò enim quòd requirat ut ſit extra eſſentiam naturæ, conſtat nihil aliud eſſe niſi ſuppoſitalitatem, prout hactenus expoſuimus. Cæterùm ubi Divus Thomas reſtringit materiam per ſignatam quantitatem, non mihi veriſimile eſt voluiſſe eum, quantitatem eſſe principium individuationis ſubſtantiæ materialis, ſed potiùs per ſignatam quantitatem intendiſſe quantitatem entitativam, hoc eſt, certam ſive ſignatam materiæ portionem, ſive ea ab aliis omnibus diviſa ſit, ſive ſecús. Nam partes hoc ſenſu non minùs individuæ ſunt quàm tota, & quælibet materiæ portio ſignata eſt individualis, & exſiſtit. Verùm hæc individuatio communicabilis eſt diverſis individuis completis, ut ex quotidiana rerum mutatione patet, in qua materia, quoad individuationem primam eadem manens, quoad ultimam ſeu completam ſubindè mutatur: imò non tantùm naturam individua-

Ulterior expoſitio.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 127 sur 591

©BIUM

lem, ſed & frequenter ſpecificam, necnon genericam, variat; ità ut materia fœni fit equus, & equi, ſcarabæi. Interim in hiſce omnibus mutationibus materia retinet ſuam individuationem incompletam ſive primam; quam, cum Divo Thoma, agnoſco pendere à ſola ſignata portione materiæ. Una enim materiæ portio non fit individua per aliam, ſed quælibet individuatur per ſuam realem entitatem; ut Suarius Diſp. 5. ſ. 6. n°. 2. clarè demonſtrat. Porrò, credibile eſt Divum Thomam per materiam intellexiſſe materiæ maſſam, & præſertim corporum ſimilarium. Hæc enim ſignata materiæ quantitas facilè inſinuat: quin & corporum diſſimilarium. Nam horum quoque partes per aſſignationem diſcriminari poſſunt, & quælibet pars ab altera per aſſignationem ſuæ dimenſionis diſcriminata diſtinctum incompletum individuum eſt. Jam verò materiæ maſſa non excludit formam ſubſtantialem, modò materialis ſit, quæ ſimiliter diviſibilis eſt per aſſignatas portiones ejuſdem. Rectè ergò videtur Divus Thomas, quanquam ſubobſcurè, de principio individuationis utrumque genus, de incompleto & completo, ſtatuiſſe.

Integra deſcriptio ſuppoſitalitatis.

32. Supereſt tantùm, coronidis loco, integram Suppoſitalitatis definitionem ſeu deſcriptionem proponamus. Suppoſitalitas ſeu Subſiſtentia modalis eſt ſtatus naturæ ſubſtantialis ab omnibus aliis diviſus, in ſe completus, continens actum confœderationis ſibi ſoli, ideámque indè reſultantem, quibus ad certum individuum completum & incommunicabile ſub aliqua ſpecie & ſerie generum in prædicamento Subſtantiæ determinatur, ſive actu contrahitur. Partes hujus definitionis ſuprà fusè expenduntur, nec opus eſt earum ulteriori explicationi hîc inhæreamus.

CAP.

Cap. VI.

Diviſio Naturæ ſubſtantialis. Natura materialis diſtinguitur in completam, & incompletam. Corpus phyſicum à materia differt. Unius corporis una eſt forma materialis.

1. HActenus tractavimus de Subſiſtentia fundamentali & modali, & oſtendimus illam ad naturam ſubſtantialem, hanc ad naturæ complementum ſpectare; hanc quoque ab illa modaliter, ſive diſtinctione mediâ inter realem & rationis, differre. Juſta quidem methodus proximo loco poſtulat ut procedamus ad ulteriorem explicationem Naturæ ſubſtantialis. Quanquam enim ſubſiſtentia fundamentalis (de qua ſatis dictum eſt) ſit primus hujus naturæ inadæquatus conceptus; non tamen ſequitur eam ſolam nomine naturæ ſubſtantialis conſiderandam eſſe. Natura enim hæc, ut ſuprà non ſemel monui, dirimitur in duas conſiderationes, ſive in duos inadæquatos conceptus, qui quidem inter ſe neque realiter, neque modaliter, ſed tantùm ratione cum fundamento in re, differunt. Nam principium ſubſiſtendi & operandi non ſunt duo principia ex parte rei diſtincta, ſed idem diverſis modis conſideratum. Natura enim, ſi ſpectetur in ordine ad eſſe proprium, vocatur Subſiſtentia fundamentalis; ſin in ordine ad operationes, eſt Natura energetica. Nihilominus tantiſper differenda hujus tractatio, dum paucis aperuerimus primas aliquot Naturæ differentias, primâque adeò principia phyſica; nè ſcilicet in futuro diſcurſu laboremus ambiguitate iſtorum terminorum. Non enim animus eſt in his quicquam κατὰ ἀκρίβειαν tractare, ſed curſoriè voces ſaltem ab æquivocatione liberare.

Tranſitio.

Dividitur natura in fundamentalem & modalem.

Illa in per ſe ſubſiſtentem, & energeticam.

2. Dividitur itaque Natura ſubſtantialis creata in immaterialem, & materialem. Illa ſpirituum eſt, nempe Angelorum, Dæmonum & Animæ rationalis; hæc, corporum. De priore non animus eſt plura addere, de poſteriore pauca advertere. Natura corporea dividitur in completam, & incompletam. Illa corporum eſt; hæc, principiorum ejuſdem, materiæ quippe & formæ phyſicæ. Natura enim corporis compoſita eſt ex

In ſpiritualem, & materialem.

In completam, & incompletam.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 129 sur 591

©BIUM

ea materiæ, & ea formæ. Natura verò materiæ, ut & formæ, seorsim sumptæ, alteram tantùm partem naturæ corporis complectitur; & consequenter alterutra est incompleta. Rectè itaque natura in completam & incompletam dividitur. Insuper incompleta dupliciter dicitur; vel quia deficit ex parte naturæ, vel ex parte suppositalitatis. Natura priore modo incompleta insufficiens est ex parte sui ad completum constituendum suppositum in ullo genere, specie infima, aut individuo, in prædicamento substantiæ. E contrà, natura ex parte naturæ completa est, si totam essentiam alicujus generis, speciei infimæ, aut individui (quatenus ad id genus, eam speciem, aut individuum respectivè comparatur) in se contineat: ut, exempli causâ, natura substantiæ in genere est completa in ratione substantiæ, quanquam hæc ratio sit tantùm inadæquatus conceptus respectu animalis aut hominis. Genus enim exprimit partem duntaxat naturæ speciei. Nam Socrates, quà substantia, tantùm inadæquatè concipitur, nec tota ejus ratio nomine hujus substantiæ exprimitur. Interim natura hujus substantiæ est completa in genere substantiæ: Etenim in se complectitur quicquid ad essentiam sive naturam substantiæ in genere requiritur. Et similiter natura animalis completa est in genere animalis; sed incompleta, si comparetur ad naturam hominis aut equi. Non enim expresè totam alterutrius naturam, sed inadæquatum duntaxat eorum conceptum dicit. Secundò, dicitur natura incompleta quatenus abstrahit à modali subsistentia. Atque hoc respectu quælibet natura, quamvis ex parte naturæ sit completa, comparata tamen ad suppositum est incompleta, quia caret suppositalitate sibi debitâ.

Natura dicitur incompleta dupliciter.

3. Porrò, hinc colligere possumus genuinam differentiam inter corpus physicum & materiam. Hæc incompleta est, illud completum. Verùm difficile admodum est explicatu quid, supra materiam, forma materialis corpori physico in genere addat. Non me latet, dictu facillimum esse, corpus physicum in genere, præter materiam, includere formam physicam; verùm ista forma vix explicabilis est. Ratio enim formæ in materiæ contractione ad speciem inferiorem consistit: atqui forma corporis æquè latè patet ac ipsa materia. Nam, ut non datur corpus absque materia, ità, ex hac sententia,

Forma corporis in genere exponitur.

©BIUM

tia, neque datur illud abſque forma, neque forma abſque illo. Adeò ut corpus, materia & forma materialis, in hoc modo loquendi ſunt ejuſdem latitudinis, & hæc non contrahit aut determinat illam: neque facilè dici poteſt quodnam munus hujuſmodi forma circa corpus in genere exerceat, aut quid entitatis materiæ addat. Nam profectò materia corporis includit naturam materialem in genere, exſiſtentiam ejuſdem, & ſubſiſtentiam fundamentalem, quâ ea, omnes formarum mutationes ſubiens, ſuam individuationem incompletam ſibi coævam perpetuò conſervat. Quicquid autem, præter hæc, forma corpori addit, videtur ad aliquam ſpeciem corporum, non ad corpus in genere, ſpectare. Quidditas enim formæ, ut dictum, conſiſtit in contractione ſive determinatione materiæ; neque obvium dictu eſt quid commune oppoſitis ſpeciebus in ſe complectitur.

Diſtinguitur genus in ſimile, & ſimiliter diſſimile.

4. Manet ergò adhuc difficultas de ratione quam forma corporis in genere à formis inferiorum abſtrahit. Cùm enim formæ inferiores oppoſitæ ſint, earum prima ratio conſiſtit in diſſimilitudine: verùm communis ratio cujuſque rei à ſimilitudine petenda eſt. Reſpondeo, duo eſſe genera communium rationum, quanquam hoc Logici nondum ſatis adverterint. Primum ducitur à ſimilitudine eſſentiali, ſecundum à ſimili diſſimilitudine eſſentiæ. Oppoſita enim in hoc conveniunt, quòd ſunt ſimiliter oppoſita, ſive ſimiliter diſſimilia. Ea verò quæ poſteriore hoc modo dicuntur genera non conveniunt in ratione primò communi, ſed in primò diverſa. Reducuntur autem, & quaſi poſtliminiò ad communitatem (quòd ſint ſimiliter diverſa) revocantur. Quare hujuſmodi genera haud multùm quidditatis ſibi arrogant, & conſequenter haud multum entitatis rebus quibus tribuuntur impertiunt. Utplurimum loco *quidditatis* (ſi fingere vocem ad *hujus* imitationem liceat) *quoddítatem* ſuam ſubjectis duntaxat adferunt. Cùm ergò formæ ratio communis ſit iſtiuſmodi genus, non exſpectandum eſt ut ſpectabilem aliquam *quidditatem* corpori in genere addat; ſed ſatis eſt, ſi *quoddítatem* formæ ei attribuat, ità nempe ut indè, *quòd* corpus in genere habet formam, rectè dicatur. Minimè itaque mirandum eſt ſi forma corporis in genere tam exilem entitatem ei impertiat, & tota ferè ſcientia naturæ corporis in genere pendeat à cognitione materiæ ejuſdem,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 131 sur 591

©BIUM

ejuſdem, addendo tantùm quòd habet formam ; ſcilicet, quòd in ſe includit generalem quandam rationem formæ materialis, ſine alia expreſſione ulterioris quidditatis ejuſdem.

Formas ſubordinatas in eodem individuo non differre.

5. Porrò, tenendum eſt, formam corporis in genere non realiter neque ex parte rei à formis materialibus ſpecierum corporis in eodem individuo differre, ſed tantùm ratione cum fundamento in re ; nempe, differre ut conceptum inadæquatum univerſalem legitimè ab inferioribus abſtractum. Ut enim corpus in genere ſe habet ad ſpecies ſibi ſubjectas, ità quoque materialis forma ejuſdem ſe habet ad formas ſpecierum. Corpus autem in genere, quatenus in aliqua ſua ſpecie continetur, differt tantùm ut inadæquatus conceptus ab illa ſpecie ; & ſimiliter forma materialis in genere à formis materialibus ſpecierum tantùm ut inadæquatus conceptus diſcriminatur. Etenim ſi forma generis & ſpeciei realiter diſcreparent, impoſſibile foret quin genus ad ſpeciem contractum ab eadem realiter diſtingueretur. Quæ enim diſtinguuntur per formas realiter diſtinctas, realiter differunt. Statuendum itaque eſt, formas materiales ſubordinatas ejuſdem rei non realiter differre, ſed tantùm ratione cum fundamento in re. Non ergò hîc adſtruimus formam corporeitatis, quam Suarius efficaciter impugnat Diſp. 13. ſ. 3. nº. 12, 13, 14, 15, &c. neque pluralitatem formarum materialium aſſerimus, quam idem author Diſp. 15. ſ. 10. ſtrenuè refutat. Subordinatæ enim formæ materiales, quatenus in eodem individuo exſiſtunt, funduntur tantùm in gradibus eſſentialibus ſubordinatis ejuſdem formæ.

An formæ ſuperiores maneant, deſtructis inferioribus.

6. Nihilominus non refractariè negavero poſſe nonnullos gradus inferiores in ſerie perire, manentibus ſuperioribus, ſed cum aliquali mutatione, ut dicetur. Cùm enim interficitur animal, non propterea mixtura & temperamentum partium neceſſariò deſtruitur. Quanquam enim formæ ſpecierum & generum, quatenus abſtrahuntur ab individuis ut conceptus univerſales, ab iiſdem non realiter aut ex parte rei differunt, ut dictum : quatenus tamen realiter in ſuis individuis ut gradus diſtincti exſiſtunt, ſunt tanquam partes ejuſdem totius, & in nonnullis earum gradibus inferior ſive particularis deſtruatur, manente ſuperiore ; imò in aliquibus ratio individualis pereat, ſalvâ ſpecie : ut ceræ maſſa in duas æquales portiones

portiones dirempta perdit completam individuationem, retinendo ſpeciem & individuationem primam. Similiter cùm lignum virens fit aridum, perdit gradum vitæ vegetativæ, non perdit exſiſtentiam primam aut naturam mixti. Ratio eſt, quia gradus formarum inferiores, ut nobiliores ſunt ſuperioribus, ità majore cum difficultate præſervantur,& minore impugnatione perduntur. Neque obſtat quod aſſerit clariſſimus Suarius, impoſſibile eſſe ut forma ſuperior abſque inferioribus ſubſiſtat. Intelligendus enim eſt de formis univerſalium; nempe vel ſpecierum,quæ nequeunt exſiſtere extra ſua individua, vel generum, quæ neceſſariò priùs ad ſpeciem infimam quàm ad individua contrahenda ſunt. Interim gradus eſſentiales ejuſdem formæ materialis formaliter abſtracti realiter diſtinguuntur. Ut,exempli causâ,ſenſibilitas, vegetabilitas & mixtura ſunt gradus diſtincti ſpectantes ad formam Bucephali, in quo realiter exſiſtunt, necnon realiter differunt. Et quidem forma Bucephali includit formam equi, formam animalis,vegetabilis,mixti,&c. qui gradus concurrunt ad conficiendam formam Bucephali ; non quidem ut plures formæ realiter diſtinctæ, ſed ut gradus unius & ejuſdem. Sicut ergò hoc album & hoc dulce (de hoc ſaccharo dicta) idem ſignificant ſubjectivè ; ſed ſi formaliter abſtrahantur, dicunt naturas realiter diverſas : ità forma vegetabilis, ſenſibilis & miſta unam loquuntur formam, ſubjectum omnium horum attributorum ; verùm ſi conſiderentur ſub abſtractione formali, realiter inter ſe differunt. Naturæ enim vegetationis & ſenſationis realiter inter ſe diſcrepant. Cùm verò ſint fundamenta abſtractionis formarum univerſalium ſubordinatarum, ut formæ ſenſitivæ, vegetativæ & miſti in Bucephalo,non differunt, quia idem ſubjectum includunt, nimirum formam Bucephali, quæ ſimul in ſe complectitur naturam ſenſitivam,vegetativam, & miſti. Quare formæ ſubordinatæ per abſtractionem univerſalem ſeparatæ ſolâ ratione differunt. Contemplantur enim eandem formam, ſed diverſimodè, videlicet ut ſubjectum diverſorum graduum eſſentialium;& conſequenter dicunt inadæquatos duntaxat conceptus ejuſdem. Interim hi gradus, ſeorſim à ſubjecto ſive formaliter conſiderati, clarè diſtincti ſunt. Pereunte itaque formâ Bucephali, forma equi,forma animalis & forma vegetativa unà pereunt ; manet

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 133 sur 591

©BIUM

miſtura, & temperamentum partium ſimilarium. Nihilominus vel in hoc caſu forma miſti aliquo modo manere, aliquo modo mutari, dicatur.

Aliquo modo manere, aliquo modo non.

7. Primò, Manet quoad individuationem primam, non quoad individuationem ultimam ſive completam. Mutatur enim ſuppoſitalitas, ſcilicet prior naturæ confœderatio ſibi ſoli diſſolvitur. Natura enim miſti non jam confœderatur ampliùs naturæ vegetativæ aut ſenſitivæ, ut priùs, ſed ſibi ſoli, nempe ſoli naturæ miſti. Sed miſtum idem eſt quoad individuationem interminatam ſive primam. Materia enim numerica non mutatur, nec elementorum inter ſe proportio aut mixtio. Quare neceſſe eſt aliquo modo maneat eadem individualis entitas. Non autem manet quoad ſuppoſitalitatem aut individuationem completam; & conſequenter manet tantùm quoad individuationem primam, nempe eodem modo quo materia prima ſub omni mutatione dicitur eadem perſiſtere.

Ulterior explicatio.

8. Secundò, Manet res formæ miſti, non ut forma generica Bucephali, ſed ut fuit pars formæ individualis ejuſdem, & in eo fundamentum formæ genericæ. Etenim forma materialis dupliciter diviſibilis eſt, in partes eſſentiales, & integrantes: utraque diviſio in Bucephalo exemplificatur. Natura enim formæ ejus continet partes ſive gradus eſſentiales, ut eſſentiam miſti, vegetativam, ſenſitivam, &c. quæ partes in hoc equo individuales ſunt, & in eodem vivo eædem ſunt ſufficiens fundamentum reſpectivè abſtrahendi formas genericas miſti, viventis, animalis. Defuncto equo, unà intereunt fundamenta abſtractionis formæ animalis & viventis. Fundamentum verò abſtractionis formæ miſti aliquo modo ſupereſt, ſed inſufficiens ut ab eo abſtrahatur eadem forma generica miſti quæ priùs. Nam natura miſti ab illis aliis vegetationis & ſenſationis jam actu diviſa ſibi ſoli confœderatur, & ſit duntaxat ſufficiens fundamentum abſtrahendi aliam formam individualem & ſpecificam miſti ſub aliquo genere ejuſdem. Forma etiam Bucephali continet partes integrantes, ut partes ſimilares diverſi generis, quæ, ſublatâ vitâ, unionem perdunt; & quia natura miſti cujuſlibet earum ſibi ſoli confœderatur, deſiliunt in diverſa individua & ſpecies miſti. Atque adeò abſque formarum materialium pluralitate ſubordinatæ

©BIUM

natæ generum, ſpecierum & individuorum formæ exponuntur.

Omnes formas ſuperiores non eſſe ſimiliter ſeparabiles.

9. Sed quæres, cur non omnia prædicata eſſentialia ſint ſimiliter ab invicem ſeparabilia. Reſpondeo, nonnulla horum adeò arctè inter ſe vinciri, ut inferius exſolvi nequeat abſque deſtructione ſuperioris: ut gradus ſpecificus equi nequit perire ſalvo gradu ſenſitivo; neque facilè gradus ſenſitivus, ſalvâ vitâ animali. Ratio eſt, quia cauſa quæ poteſt deſtruere ſenſationem neceſſariò lædit ipſam conſtitutionem vitalem: imò cerebrum, principium ſenſationis, eſt etiam aliquo modo ad vitam animalium neceſſarium. Siquidem in reſpirantibus motus animalis requiritur ad reſpirationem; in piſcibus non reſpirantibus, ad motum iſtum quo colluuntur branchiæ, ſine quo circuitus ſanguinis in iis feliciter peragi nequit; in omnibus animalibus, ad alimentum intus ſumendum. Putant aliqui imperfectiora animalia, ut lumbricos in duas æquales partes tranſverſim diſſectos, ſeorſim vivere poſſe. Verùm vix credibile eſt partem caudæ propinquam diu ſupereſſe poſſe, ſive ob defectum oris, quo nutriatur; ſive ob defectum capitis, quo regatur. Utcunque hoc ſaltem ex inſtantia data evincitur, aliquandiu vitalem conſtitutionem animali ſupereſſe poſſe, & haſce conſtitutiones non eſſe ſimpliciter inſeparabiles. Dantur autem genera & ſpecies in quibus ſpecies non addit generi facultatem eſſentialem planè novam, ſed tantùm genericas facultates modificando ſpecificat: ut equus non addit animali novam facultatem ſupra ſenſitivam & motivam, at ſolummodo has modificat. Impoſſibile ergò eſt ut hæc modificatio pereat, permanentibus interim facultatibus ſenſitivâ & motivâ. Idem enim ſubjectum quod ſuſtentat motivam & ſenſitivam dictas, quoad eandem ſui rationem modificationem earundem ſuffulcit; & conſequenter non ſunt ſeparabiles. Sed hæc ſufficiant de Corpore in genere, ejúſque collatione cum ſua Materia & Forma.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 135 sur 591

©BIUM

Cap. VII.

De Materia prima.

Variæ acceptiones materiæ.

1. Cæterùm ad naturas incompletas, Materiam quippe & Formam, reſpiciamus. Materia quidem aliquando accipitur pro materia completa, nempe pro corpore ſimilari, aut pluribus ſimilaribus contextis aut contexendis: quo ſenſu includit formam phyſicam, & ſolummodo opponitur formæ organicæ: de qua à nobis tractatur in Prolegomenis Anatomicis præfixis Anatomiæ Hepatis cap. 6. Non autem eſt materia phyſica de qua hîc agimus. Materia enim hæc incompleta eſt, & opponitur formæ phyſicæ, cujus adventu completa fit, & cum ea componit corpus phyſicum. Variis autem acceptionibus adhuc ſubjicitur, quæ non leves in Philoſophia ambiguitates, necnon errandi occaſiones, pariunt. Quare operæpretium fuerit illas paucis hîc diſtinguamus. Primò igitur, diſtinguitur materia in *integre* & *inadæquatè conceptam.*

Materia integre concepta quid.

2. Materia *integre concepta* non eò dicitur tota ſive integra, quaſi non eſſet incompleta, ſed quòd totam rationem materiæ, quà incompletæ, uno conceptu complectatur. Magni atque frequentiſſimi uſûs eſt hæc acceptio vocis. Ubicunque enim mentio fit materiæ abſque alia limitatione, primæ, ſecundæ, vel formatæ, de materia integre concepta intelligi debet. Conceptus autem materiæ, (ut & cujuſvis ſubjecti) ſi reflexè conſideretur, triplex eſſe poteſt; vel objectivus, vel formalis, vel univerſalis. Conceptus objectivus eſt ipſa materia quatenus in omni corpore realiter exiſtit. Conceptus formalis ipſa idea eſt, quâ conceptus objectivus in intellectu repræſentatur. Conceptus univerſalis præcîdit ab exiſtentia actuali, & fit genus omnium materiarum. Nam pars ipſa, utcunque incompleta, poteſt eſſe totum univerſale, quatenus ut genus de omnibus partium generibus aut ſpeciebus prædicatur. Quiſquis autem de materia indefinitè loquitur, intelligendus videtur de materiæ conceptu objectivo, quo ſolo ſenſu realiter in natura exiſtit. Porrò, quando dicimus materiam integram, non ſemper intendimus univerſam materiæ maſſam,

maſſam, ſive molem, ſed integram entitatem iſtius portionis materiæ de qua ſermo eſt. Si ergò de univerſa materia loquamur, aut ſi de majore aliqua aut minore parte ejuſdem, perpetuò totam naturam, rationem atque entitatem ejuſdem nomine materiæ reſpectivè intelligimus. Hanc enim vel ſine limitatione materiam voco, vel materiam communem, vel materiam adæquatè ſive integre conceptam. Eadem eſt quam dicunt omnes formas omnéſque mutationes, Protei inſtar, ſubire.

3. Hanc Ariſtophanes inſinuare videtur nomine *Empuſæ*, in *Ranis*. Æquum enim erat ut Xanthias ſervus, cum Dionyſio ad inferos deſcenſurus, in tranſitu principium mortalitatis ſive mutationis ceu ſpectrum cerneret. *Comparatur Empuſa.*

Ξαν. Καὶ μὰ τὸν Δία θεῖον μέγα.
Διο. Ποῖόν τι; Ξαν. δεινὸν, παντοδαπὸν γὰρ γίγνεται.
Τοτὲ μὲν βοῦς, γυνὴ δ' ὀρεὺς, τοτὲ δ' αὖ γυνὴ
Ὡραιοτάτη τις. Δι. πᾶ 'στι; φέρ' ἐγὼ αὐτῷ ἴω.
Ξαν. Ἀλλ' ἠκέτ' αὖ γυνή 'στιν, ἀλλ' ἤδη κύων.
Δι. Ἔμπουσα τοίνυν γ' ὤφι. Ξαν. πυρὶ γὰρ λάμπεται
Ἅπαν τὸ πρόσωπον, καὶ σκέλος χαλκοῦν ἔχει.
Δι. Νὴ τὸν Ποσειδῶ, καὶ βολίπινον θάτερον.

Xan. *Et per Jovem video prægrandem belluam.*
Bac. *Qualem?* Xan. *Horribilem, quæ in omnes ſe variat modos.*
Nam modò fit bos, modò mulus, rurſum fœmina
Quædam ſpecioſiſſima. Bac. *Ubi ea eſt? Ego inibo eam.*
Xan. *At jam non amplius eſt mulier, ſed fit canis.*
Bac. *Erit ergò quoddam ſpectrum.* Xan. *Igni tota facies*
Refulget, & crus alterum eſt illi æneum.
Bacch. *Ità per Neptunum, & ſtercoreum crus alterum.*

Communem rerum Materiam ſub ſpecie larvæ cujuſdam omnifariàm mutabilis repræſentat. Belluam vocat horribilem, quòd ſubjectum omnis mutationis, adeóque ipſius mortis, æſtimetur. Modò bos, modò mulus, modò fœmina perpulchra, modò canis, modò ignis, &c. Sed lepidè quidem alterum pedem æneum, alterum ſtercoreum finxit, ut illinc materiæ ſtabilitatem ex parte naturæ perpetuæ, hinc fragilitatem ſive corruptibilitatem ex parte naturæ formalis, inſinuaret.

4. Cæteroquin alii poetæ multò apertiùs Materiam deſcribunt *Chaos.*

©BIUM

bunt nomine Chaos, & præ aliis Ovidius, qui eam l. 1. Metamorph. sic obumbrat :

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto Naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos ; rudis indigestáque moles ;
Nec quicquam nisi pondus iners, congestáque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

Ut verbo dicam, hæc acceptio vocis non solùm subjectum istud stabile quod in omni mutatione permanet, verùm etiam ipsam mutabilitatem variósque apparatus, omnes nimirum dispositiones quas subit materia, quibúsque innumeris propè diversis formis accommodatur, imò & ipsum statum ejusdem sub istis omnibus, complectitur. Hoc sensu materia comparatur Proteo, quòd mirum in modum se transformet, quidvis patiatur, quidvis fiat, omnes cruciatus, omnes impetus & vexationes causarum violentarum eam impugnantium, modò unius, modò alterius dominio se submittendo, patienter perferat. Hanc sortem materiæ optimè exprimit subtilissimus Baconius Vicecomes Verulamii in suo *Novo organo*, l. 2. nº. 58. ubi eandem *motum Antetypiæ materiæ* vocat, *qui*, inquit, *inest in singulis portionibus ejus, per quem planè annihilari non vult : ità ut nullum incendium, nullum pondus aut depressio, nulla violentia, nulla denique ætas aut diuturnitas temporis possit redigere aliquam vel minimam portionem materiæ in nihilum ; quin illa & sit aliquid, loci aliquid occupet, & se, (in qualicunque necessitate ponatur) vel formam mutando, vel locum, liberet ; vel (si non detur copia) ut est subsistat ; neque unquam res eò deveniat, ut aut nihil sit, aut nullibi.* Motus Antetypiæ non videtur reddendus per motum sive mutationem solius figuræ, sed per motum sive mutationem rationis exemplaris sive ideæ naturæ. Figuræ enim mutatio nihil aliud insinuat nisi variationem quandam positionis partium inter se ; quæ non sufficit ad exprimendam totam materiæ quam in istis conflictibus subit innovationem. Mutat enim formam ceu ideam legémque specificam essendi & operandi, nempe genium, indolem, naturam additionalem & complentem : huic interim substratam quandam entitatem substantialem & materialem pertinaciter retinet, neque hâc se spoliari sinit.

5. Verùm

©BIUM

In tres inadæquatos conceptus dividitur.

5. Verùm qui hanc materiam totam accuratè cognoſcere cupit, eam in ſuos inadæquatos conceptus reſolvat, eoſque diligenter perpendat; demum verò omnes in unum recolligat; adeóque adæquatum totius materiæ conceptum nactus fuerit. Dividitur itaque materia tota in tres inadæquatos conceptus, in materiam primam, ſecundam, & formatam.

Materiæ primæ perpetuitas monſtratur.

6. Materia prima eam ſignificat quà perpetuam & immutabilem, unà cum omnibus perpetuis conſtitutionibus ad ſe ſpectantibus. Quicquid enim in materia perpetuum eſt, ad partes materiæ primæ pertinet. Rectè ergò dicitur ſubjectum immutatum & permanens in omni mutatione. Nihil autem includit quod non eſt perpetuum & inviolabile. Hoc facillimè evincitur, quia quod primum eſt, ſupponit nihil eſſe ſe prius: quod verò mutatur, ſupponit aliquid exſtitiſſe prius, quod nimirum erat ante mutationem. Si igitur quod præceſſerat mutationem deſinat eſſe, deſinit eſſe primum: ſin perſiſtat eſſe, & eſſe primum, quamdiu ſic perſiſtit, manet immutatum. Cùm enim primò mutetur, fit novum, & ſupponit aliquid ſe antiquius, nec dici poteſt ampliùs eo reſpectu primum. Quare materia prima, in quantùm prima eſt, neceſſe eſt ſit quoque perpetua, & nulli innovationi obnoxia. Ad hunc inadæquatum materiæ conceptum ſpectant ea omnia quæ naturæ materiæ neceſſariò inſunt. Revocantur autem ad ſex capita: 1. ad exſiſtentiam; 2. ad ſubſiſtentiam fundamentalem; 3. ad naturam energeticam, ejúſque tres primas facultates, perceptivam, appetitivam, & motivam; 4. ad potentiam receptivam formarum; 5. ad molem materiæ; 6. ad ejus rationem eſſendi ſubjectum accidentium materialium, nempe alicujus extenſionis, ut & alicujus continuitatis & diviſibilitatis.

Ejus exſiſtentia.

7. Primò, Exſiſtentia materiæ probatur ex ipſa actuali entitate ejuſdem. Nam eſſe actu & exſiſtere idem ſonant. Vel ergò dicendum eſt, materiam primam non eſſe actu, ſive nihil eſſe; vel, eſſe actu aliquid, & exſiſtere. Si ergò probemus dari in natura materiam primam, eo ipſo probabimus eam exſiſtere: de qua re conſule Suarium Diſp. 13. ſ. 8. n°. 7, 8. Probatur autem dari materiam ex mutatione corporum, ut evidenter evincit idem Suarius ibidem ſ. 1. n°. 4, 5, 6, &c. item ſ. 4. n°. 2, 3, 4, 5, &c. quò refero lectorem. Iſtud modò

©BIUM

dò advertendum, individuationem materiæ primæ non esse ultimam sive completam, sed primam & incompletam. Illa enim præsupponit subsistentiam modalem, quam suprà probavi esse proximam individuationis completæ causam, ultimúmque complementum, seu terminum consummantem naturas substantiales. Individuatio itaque materiæ primæ istiusmodi est quæ naturis partibúsque substantialibus contingere queat; & consequenter est individuatio incompleta, quæ ulteriore terminatione opus habet ut in esse suo naturaliter permaneat, quam assequitur sub forma substantiali.

Subsistentia.

8. Secundò, Subsistentia materiæ fundamentalis ex eo satis evincitur, quòd materia prima sit ens per se subsistens. Corpus enim naturale (quod componitur ex materia & forma) manifestè substantia est, & suo marte subsistit, nec ab alio sustentatur. Vel ergò hoc roboris mutuatur à materia sua, vel à forma materiali: sed non habet à forma, & consequenter à materia. Materia enim non sustentatur à forma, sed contrà, forma inhæret in materia, & ab ea tanquam à causa materiali suffulcitur. Constat materiam non sustentari à forma, quia illa perpetua est, hæc corruptibilis. Quis enim sani judicii admittat id quod perpetuum est sustentari à re corruptibili? Formæ materialis corruptibilitas ab omnibus agnoscitur: materiæ verò perpetuitas innotescit, quòd per solam creationem incipiat, pérque solam annihilationem destruatur; ut Suarius Disp. 13. s. 4. nº. 16. luculenter demonstrat. Cùm ergò in sana philosophia non admittatur annihilatio, materia necessariò perpetua fuerit. Idem quoque quotidianâ experientiâ confirmatur, quòd indies observemus formas corporum perire, novas educi; materiam, ut subjectum mutationis perenne, manere. Fieri ergò nequit ut entitas materiæ per inhærentiam pendeat à forma; quin potiùs necesse est hujus entitas per inhærentiam ab illius dimanet.

Ejus subsistentiam non esse modalem.

9. Ubi verò dicimus materiam primam per se subsistere, intelligi debet de subsistentia fundamentali, non de modali. Fateor in hoc subtilissimum nostrum Metaphysicum Suarium confusum esse, quòd non satis distinguat subsistentiam fundamentalem à modali. Utcunque non videtur omnem subsistentiam materiæ primæ negare; tantùm non determinat an ea quam ei largitur sit subsistentia fundamentalis, an modalis; sed

ſed alio modo eam diſcriminat, nominando ſubſiſtentiam partialem. Quæ verba, ſi intelligantur de ſubſiſtentia modali ſive de ſuppoſitalitate, contradictionem in adjecto involvunt. Suppoſitalitas enim eſt ultimum rei complementum ſubſtantiale, quod Suarius ipſe fatetur; ut & contradictionem implicare, ſuppoſitalitatem incompletam ſeu partialem ponere. Quare cùm Suarius materiæ primæ ſubſiſtentiam partialem attribuat, neceſſariò intelligendus eſt de ſubſiſtentia fundamentali, quæ quidem ſola incompleta ſeu partialis eſſe poteſt, idque dupliciter, vel ex parte ſubſiſtentiæ, vel ex parte naturæ. Materiæ ſubſiſtentia ex parte ſubſiſtentiæ dicitur incompleta, vel quia eſt pars integralis, vel quia eſt pars elementalis, vel quia alteri ſubſiſtenti à ſe planè diverſo unitur. Primo modo partes materiæ integrantes ſuam habent partialem ſubſiſtentiam, nempe fundamentalem. Per ſe enim quælibet earum ſubſiſtit, neque ex parte ſuſtentationis una dependet ab altera, aut à toto. Non enim una pars inhæret in alia aut in toto, ſed hoc reſpectu quælibet ſibimetipſi ſufficiens fulcrum eſt. Modalem autem ſubſiſtentiam, quà partes, non habent. Hoc enim reſpectu pendent à complemento totius; ut ex ſuprà ſuo loco dictis ſatis conſtat. Secundo modo materiæ elementorum in miſto incompletæ ſunt. Retinent enim fundamentalem ſubſiſtentiam, ſed quælibet earum privatâ ſive propriâ ſuppoſitalitate modali deſtituitur. Tertio modo in ſolo homine materiæ ſubſiſtentia incompleta eſt, quòd in ſolo homine formâ materiæ addita per ſe ſubſiſtat. Ubi autem duæ diſtinctæ ſubſiſtentiæ creatæ uniuntur, ſimúlque alterutra ſibi ſuam diſtinctam naturam reſervat, ex ipſa unione utraque fit pars totius indè reſultantis, & durante unione neutra retinet completam ſubſiſtentiam. Si enim ſeorſim completè ſubſiſterent, non efficerent unum totum, ut per ſe notum eſt. In aliis compoſitionibus corporum, materiæ ſubſiſtentia fundamentalis non eſt incompleta ex parte ſubſiſtentiæ, ſed tantùm ex parte naturæ. Forma enim materialis non addit materiæ primæ partialem ſubſiſtentiam. Hoc ſatis probat Suarius Diſp. 34. ſ. 5. n°. 34, 35, 36, 37, 38, 39, &c. Cùm ergò materiæ primæ ſubſiſtentia ſola ſufficiat ad complendum corpus in ratione fundamentalis ſubſiſtentiæ, manifeſtum eſt, eam ex parte talis ſubſiſtentiæ non eſſe incompletam, ſed tantùm ex parte naturæ. Additâ enim formâ

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 141 sur 591

mâ ſubſtantiali, quæ tantùm naturam materiæ complet, nihílque ſubſiſtentiæ addit, ea redditur completa. Quare ſubſiſtentia materiæ primæ non eſt incompleta ex parte ſubſiſtentiæ, niſi quatenus pars vel integrans, vel elementalis, vel cum alia parte ſimiliter ſubſiſtente compoſita. Demum ex dictis inferendum eſt, entitatem materiæ primæ non tam vilem aut ignobilem eſſe ac olim à nonnullis putabatur. Quippe continet in ſe naturam non tantùm actualem, ſed & ſubſtantialem ſeſe ſuo marte ſuſtentantem.

Materiæ natura energetica.

10. Tertiò, Natura materiæ conſiderata quatenus eſt principium energeticum, utcunque claudicans & defectivum, tres fundit facultates, ſed ſimiliter imperfectas, *perceptivam*, *appetitivam*, & *motivam*. Quòd materia has in ſua ratione contineat, ex eo liquet, quòd ſit ens actu, actúque per ſe ſubſiſtens, nec ſit per inhærentiam in alio, ut modò monſtravimus. Quare eſt objectiva ratio ſive idea ſuiipſius. In quantum enim actu & poſitivè eſt, eſt actu & poſitivè cognoſcibilis. Habet ergò ideam propriam ſibi coævam, qualíſque eſt ejus entitas, talis eſt etiam ejus idea; nempe eſt actualis, poſitiva, & rei per ſe ſubſiſtentis. Non ergò cognoſcitur per ideam alienam, aut per negationem alterius, ut non ens; ſed in ſe, & per ſeipſam, ut intimè ſibi præſentem. Ipſa enim eſt ſufficiens objectiva ratio ſuiipſius, præſertim ubi intimè unitur facultati perceptivæ. Quod verò ſubſiſtit, à fortiore operatur; quódque operatur, percipit. Nam principium fundamentale ſubſiſtendi & operandi non ſunt duo realiter aut ex parte rei diſtincta, ſed tantùm inadæquati conceptus ejuſdem. Poſitâ ergò ſubſiſtentiâ materiæ, unà ponitur ejus natura energetica; datâ hâc, ponitur perceptiva. Neque enim abſque perceptione datur appetere; neque abſque appetitu, movere; aut abſque hoc, operari. Poſitâ ergò naturâ energeticâ, rectè inferuntur ejus tres primæ facultates; & eò magis, quòd materia incompleta ſit, nec ad extrà operetur. Si igitur ſit omnino operativa, ab intus agit. Se ergò percipit, ſe amat, ſe tueri nititur. Cùm enim facultas ejus perceptiva rationi objectivæ ſive ideæ ejuſdem ſit intimè præſens, neceſſariò percipit quicquid ea ratio repræſentet; actualem quippe ſuam entitatem quatenus per ſe ſubſiſtentem, eámque quà bonam & amabilem. Quare neceſſariò

Ejus perceptio aſſeritur.

sariò quoque hanc suam entitatem appetit sive amat. Cúmque ista idea repræsentet materiæ subsistentiam ut naturaliter perpetuam, hâc fruitur, omníque studio & industriâ hanc vindicat, nec ullâ violentiâ se annihilari permittit.

Non esse principium mutationis.

11. Verùm materia prima non solùm perfectiones suas, sed etiam defectus & carentiam formæ, quâ perfici debeat, noscit: percipit nimirum suam aptitudinem sive potentiam ad ulteriorem perfectionem formalem, quàm quâ fruitur, suscipiendam. Hinc fortasse dicitur à Peripateticis formam appetere, & à nonnullis stigmate insatiabilis appetitûs notatur, intérque causas mutationis & vicissitudinis rerum naturalium numeratur. Quanquam verisimile potiùs sit, eos metaphoricè in istiusmodi locutionibus accipiendos esse. Utcunque sit, materia prima non appetit mutationem, neque ejus appetitus causis mutabilitatis (nisi per causam intelligere velis causam sine qua non, quæ reipsa non est causa,) rectè accenseri debet. Appetit quidem formam, quâ ejus nuditas sive naturæ defectus suppleatur: non autem formæ innovationem, nisi quatenus ab agente potentiore subjugatur, adeóque veterem formam deponere, novámque admittere, cogitur. Attamen neque hoc spectat ad partes materiæ primæ, sed secundæ. Quare neque materiæ primæ, neque quidem secundæ, appetitus propriè loquendo est causa mutationis, aut causa corruptionis rerum mutabilium. Quanquam igitur appetitum in proprio sensu materiæ primæ attribuo, non tamen eò hoc facio, ut indè deducam causam mutabilitatis rerum; sed profectò, si perceptiva materiæ advertat suam formæ carentiam, necesse est eandem quoque appetat. Carentia enim in subjecto ejusdem perceptivo est sufficiens fundamentum appetitûs.

Materiæ facultates esse incompletas.

12. Porrò, ut ipsa materia prima in natura sua incompleta est, ità quoque ejus primæ facultates sunt incompletæ. Percipit quidem sibi deesse formam, quâ compleatur, sed non percipit quali opus habeat. Si enim discerneret certam particularem formam ut sibi congruam, non esset indifferens ad omnes: materia autem sub conceptu primæ ad nullam certam formam determinatur, & consequenter nec quidditatem specificam nec qualitatem formæ absentis & desideratæ scit aut cogitat: tantùm percipit aliquam formam sive additionalem

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 143 sur 591

©BIUM

lem naturam ſibi deeſſe, quâ ſua natura incompleta ſarciatur. Dices hunc materiæ appetitum non eſſe perpetuum, quia, ſimulac adeſt forma, hic appetitus ſatiatur & eſſe definit. Reſpondeo, inadæquatum materiæ primæ conceptum nullam includere formam. Quanquam enim materia adæquatè concepta rectè dicitur unâ formâ ſpoliari, & aliâ ſubindè imprægnari; intellectus tamen, dum concipit materiam primam, quicquid caducum eſt ab ejus conceptu facilè præcîdit: quo fit ut materia præcisè ſic concepta perpetuò informis ſit, & tantùm in potentia ad formam. Dices, in re materiam nunquam eſſe informem, & conſequenter fruſtrà fingi ab intellectu hunc conceptum. Reſpondeo, dari ſufficiens fundamentum in natura, cur intellectus conceptum materiæ ab omni forma ſic præcîdat: nimirum, quòd nulla detur forma in ſpecie quæ à materia actu ſeparari nequeat. Quapropter, non obſtantibus hujuſmodi objectionibus, concedendum eſt, perceptivam materiæ facultatem incompletam eſſe: quo dato, ſequitur appetitum quoque eſſe incompletum; cùm perceptiva appetitivæ objectum miniſtret, & utraque, illa dirigendo, hæc imperando, motivam excitet. Si quid amplius ad confirmandas haſce facultates hîc deſideretur, ex infrà dicendis de ſubſtantiæ natura energetica petendum eſt. Natura enim materiæ, ut ex dictis liquet, ſubſtantialis eſt. Si ergò tres primæ facultates ad naturam ſubſtantiæ in genere ſpectent, ut infrà oſtendetur, neceſſe eſt pertineant quoque ad naturam materiæ primæ.

Materiam non eſſe puram potentiam.

13. Quartò, Potentia materiæ ab omnibus agnoſcitur; ſed aliqui ipſam entitatem materiæ nihil aliud eſſe prædicant niſi puram potentiam. Suarius verò ex Scoto, Diſp. 13. ſ. 5. n°. 2, 3, 4, 5, 7, 8. rectè diſtinguit actum in entitativum & formalem; & aſſerit materiam in ſua entitate includere actum entitativum & metaphyſicum, non verò formalem ſeu phyſicum. Fateor itaque materiam primam poſſe in ſenſu Suarii verè dici puram potentiam, quanquam modus loquendi durior ſit: ſed nihil aliud intelligitur, niſi eam non includere formam phyſicam in ſua propria entitate; alioquin verò actu tum exiſtere, tum fundamentaliter ſubſiſtere, ut declaravimus. Utcunque mihi, qui materiæ entitatem non tam vilem ac olim habebatur putem, minùs arridet iſte modus loquendi, materiam.

materiam esse puram potentiam. Facilius enim & magis appositè id quod volumus exprimi potest, dicendo materiam primam esse informem, vel esse in potentia ad formam. Idem propemodum dicendum est de Suarii expressione, quâ dicit materiam ipsam esse potentiam. Verùm ipse sibi interpres est, potentiam tunc valde latâ acceptione sumi, Disp. 42. s. 3. n°. 10. *Ex quibus*, inquit, *constare potest, realem potentiam seu physicam latissimè patere: nam in universum dici potest, & solet, de quacunque vi agendi, aut de capacitate recipiendi; quo modo non tantùm de accidentibus, sed etiam de substantiis dicitur. Nam in Deo est potentia activa, & in materia est receptiva.* Idem quoque asserit Disp. 43. sect. 1. Ego verò potentiam paulò aliter distinguere soleo: eam nempe divido in potentiam cum suo fundamento concretam, & ab eodem abstractam. Potentia concretè sumpta, sive activa sive passiva, perpetuò involvit aliquid absolutum in quo fundatur; & potest esse vel substantia, vel accidens. Sunt enim aptitudines quæ immediatè profluunt à substantiis, & aliæ ab accidentibus. Ut potentia agendi divina, & potentia recipiendi materiæ primæ; quæ non fundatur medio accidente, sive in Deo, sive in materia, sed immediatè in substantia. Verùm potentia calefaciendi fundatur in accidente, quod concretè connotat; scilicet in calore, vel consimili motu agentis. Potentia abstractè sumpta nihil planè absolutum dicit; sed vel relationem qualificantem, vel qualitatem relativam: perinde autem est utrovis modo dixeris. Hoc sensu materiæ potentia nihil aliud est nisi aptitudo ejusdem ad formam recipiendam. Non negavero quin hæc fortasse aptitudo fundetur immediatè in ipsa substantia materiæ; tres tamen primas facultates ei valde conformes & officiosas esse. Eò enim quòd materia percipiat sibi deesse formam ad suam naturam complendam, consequenter eam appetit, & lubenter eandem amplectitur; imò paulò minùs ei indulget quàm si esset nativa ejus essentia seu natura. Hoc tantùm interest: nativam essentiam perpetuò retinet; additionalem & complentem, quamdiu adest, pari jure ac si esset congenita agnoscit, amat, fovet; sed ab agente potentiore victa, se eâ spoliari sinit. Quia enim materia est naturaliter apta ad recipiendam & sustentandam formam, hæc, quamdiu adest, naturalis illi fit, & pars essentiæ sive naturæ

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 145 sur 591

©BIUM

additionalis ejuſdem. Quare natura materiæ adæquatè concepta diſtinguenda eſt in nativam, & adventitiam. Illa conſtituit materiam quà primam & perpetuam; hæc eam quà incompletam parte quadam additionali complet.

An potentia materiæ ab entitate ejuſdem differat.

14. Dices, Suarium expreſsè affirmare, locis modò laudatis, potentiam materiæ non differre ſive realiter, ſive ex parte rei, ab ipſa ejus entitate ſubſtantiali. Atque hoc ipſum eundem efficaciter probare Diſp. 30. ſ. 8. nº. 3, 4, 5, 6. Cùm ergò tota entitas materiæ primæ ſit potentia paſſiva, quid amplius ſperandum eſt de tali entitate, quæ omni actualitate privatur? Reſpondeo, ſecundùm Suarium potentiam hoc ſenſu latè & quidem concretè ſumi. Includit enim non ſolùm aptitudinem materiæ ad ſuſcipiendam formam, ſed & ſimul fundamentum ejuſdem aptitudinis, quod nihil aliud eſt niſi ipſa entitas ſubſtantialis materiæ, quæ per ſuam ſubſiſtentiam fundamentalem formam materialem immediatè ſuſtentat. Nam, ut rectè Suarius, materia immediatè ſuſtentat formam, ut ejus proxima cauſa materialis: neque mihi cum eo in hac re lis eſt. Diſtinguo enim potentiam, ut modò, in concretè & abſtractè ſumptam. Illa, ut rectè Suarius urget, ipſa entitas eſt materiæ primæ, quæ immediata cauſa materialis formæ eſt; ídque tam reſpectu primæ eductionis, quàm reſpectu ejuſdem jam eductæ ſuſtentationis: hæc, ut dixi, eſt relatio quædam tranſcendentalis interveniens inter abſolutam materiæ entitatem ceu fundamentum, & formam poſſibilem ceu terminum ejuſdem. Alioquin verò generaliſſima hæc materia, ſi ad certam formam in ſpecie coaptanda ſit, ulteriorem determinationem requirit; ut ex infrà dicendis clariùs patebit. Hæc autem determinatio inter materiam, & formam ut aliquid illam formaliter conſtituens, aut in ſpeciem componens, intervenire non intelligitur: ſed tantùm ut præparans, & vitalem materiæ actum excitans, quo ejus cauſalitas generalis, ſeu potentia ad certam in ſpecie naturam additionalem & complentem, hoc eſt, ad certam formam educendam, immediatè determinetur.

Materiæ dignitas vindicatur.

15. Verùm ſi quis hinc vilitatem materiæ primæ inferre ſperet, toto cœlo erraverit. Quanquam enim materia ſit eſſentialiter potentia, formáque ſit actus ei ex adverſo reſpondens; hæc tamen materiæ expreſſio eſt tantùm inadæquatus ejuſdem

ejuſdem conceptus, nec totam materiæ entitatem expreſsè dicit. Omnia enim materiæ attributa ſuprà explicata, exſiſtentia, ſubſiſtentia, natura energetica fundens tres facultates, ſunt ſimiliter inadæquati ejuſdem conceptus. Etſi enim quilibet conceptus inadæquatus confusè includat totam entitatem materiæ, unum tamen duntaxat modum concipiendi eandem explicitè continet. Non ergò exſpectandum eſt ut tota dignitas materiæ primæ inadæquato illo ejus conceptu, quo vocatur potentia, exprimatur; ſed ut quilibet alius conceptus ſimiliter inadæquatus aliquam ejuſdem rationem præcisè repræſentet. Aliter ergò nomine exſiſtentiæ actualis, aliter nomine ſubſiſtentiæ, aliter nomine naturæ energeticæ, aliter denique nomine potentiæ, materia conſideratur. Actualis materiæ entitas exprimitur exſiſtentiâ; perfectas, ſubſiſtentiâ; ordo ejus ad ſuas operationes, naturâ energeticâ; cauſalitas, ſeu ordo ad formam materialem, potentiâ. Hæc ergò nomina varios materiæ conceptus inadæquatos referunt, & eandem licèt rem, non tamen eodem modo, repræſentant.

16. Porrò, ipſe conceptus materiæ nomine potentiæ deſcriptus non planè ignobilis eſt. Dicit enim ipſam cauſalitatem materiæ, quâ concurrit materialiter ad eductionem & ſuſtentationem formæ. Hoc luculenter probat Suarius loco ultimò citato. Hinc infero, materiam quodammodo dare eſſe formæ; nempe hanc eſſe quaſi materiæ fœtum, quem è ſuo ſinu oriundum, nè aliàs in nihilum continuò recidat, in eodem uſque & uſque fovet & ſuffulcit. Forma itaque pendet à materia tanquam à cauſa materiali; non viciſſim materia à forma. Formæ enim cauſatio non terminatur ad materiam, ſed ad compoſitum; nec in ullo ſano ſenſu eſt materiæ cauſa. Materiæ autem cauſatio terminatur primò ad formam, & mediante hâc, ad compoſitum. Ubi ergò dicunt Philoſophi *formam dare eſſe*, intelligendi ſunt, (ſi velis eos eſſe veraces,) eam dare eſſe compoſito, non materiæ. Magna igitur hinc dignitas materiæ colligitur, eſſe genuinam matrem & nutricem formæ materialis. Hinc enim formæ dignitas quodammodo ad materiam (quæ eam, quamdiu eſt, ſuſtentat & à nullitate vindicat) redundat. Ipſe Suarius, qui affirmat materiam eſſe eſſentialiter potentiam, ſubjungit loco ſuprà laudato, nº. 7. exſiſtentiam requiri ad hanc potentiam

Eam eſſe formæ cauſam.

©BIUM

tiam ſeu cauſalitatem materiæ, ut ei intrinſecam: idémque efficaciter probat. Potentia ergò materiæ non eam privat omni actualitate, ut ſuprà ſuggeritur.

Quid ſit educi è potentia materiæ.

17. Hinc vulgares iſti modi loquendi, *Forma materialis educitur è potentia materiæ*, ſeu *fit ex traduce*, aut *redit in potentiam materiæ*, optimè exponuntur: ſcilicet, ſi per potentiam materiæ intelligamus materialem ejus cauſalitatem. Formam enim materia in ſua potentia continet, ut cauſa in ſua cauſalitate, ſeu virtute cauſandi, continet cauſatum. Materia enim eſt materialis cauſa formæ, ejúſque cauſalitas ſive ratio cauſandi eſt ipſa potentia materiæ, de qua loquimur. Quare quia materia eſt cauſa formæ, forma dicitur *contineri in potentia materiæ*. Neque quicquam aliud per iſtas formulas loquendi intelligi debet. Sed hæc de potentia materiæ.

Moles materiæ æſtimatur.

18. Quintò, Materiæ moles ſubſtantialis videtur quoque alius materiæ primæ inadæquatus conceptus. Non dubium eſt quin hæc moles eadem nunc ſit quæ fuit ab initio, eadémque permanſura ſit in perpetuum: verùm ſi quâ dubitari de ea licet, ex eo eſt, quòd quis putet eam non eſſe ſubſtantialem, ſed accidentalem. Suarius Diſp. 40. ſ. 2. quærit, *utrùm quantitas molis ſit res diſtincta à ſubſtantia materiali & qualitatibus ejus*. Et in tota iſta Sectione ſatagit de refutatione Nominalium, aſſerentium quantitatem molis non differre à ſubſtantia materiæ. Unde quis inferat Suarium non agnoſcere molem ſubſtantialem. Quin potiùs textu 19. apertè dicit, à quantitate materiæ, quà diſtinctâ ab ejuſdem ſubſtantia, provenire molem corpoream. Ejus verba ſunt, *Eſt ergò in materiali compoſito una entitas* (quo nomine intelligit quantitatem) *ſimplex, quantum ad eſſentialem compoſitionem, & realiter diſtincta à tota ſubſtantia & à qualitatibus propriam realitatem habentibus, (quod dico propter figuram, quæ ſolùm eſt modus quantitatis;) à qua entitate provenit formaliter hæc moles corporea, ratione cujus corpora occupant loca extenſa.* Verùm utcunque Suarii ſententia in hac re videatur meæ adverſa; ejus tamen, vel hîc, nequeo ſatis laudare ingenuitatem, qui apertè textu 8. fatetur ſententiæ ſuæ veritatem naturali ratione ſufficienter demonſtrari non poſſe. Item textu 12. largitur Nominalibus eorum reſponſionem, *& ſententiam ſic explicatam non poſſe facilè evidenter impugnari ſiſtendo in pura ratione naturali.*

Quare

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 148 sur 591

Quare eo duntaxat ſcopo hanc ſententiam proponit & defendit, ut philoſophiam ſuam ſententiæ eorum Theologorum qui defendunt Tranſubſtantiationem in Euchariſtia officioſam & conformem reddat.

Eam differre à quantitate.

19. Interim ego non nego Suario, quin detur quantitas in materia quæ realiter à ſubſtantia materiæ diſcrepet; neque in hoc ad partes Nominalium peniùs accedo. Etiamſi enim molem ſubſtantialem materiæ agnoſco, non tamen propterea dari quantitatem accidentalem ab iſta mole diſtinctam prorſus nego: ut mox videbimus. Aliud enim eſt dicere, dari molem ſubſtantialem; aliud, nullam dari in materia quantitatem accidentalem: ſimiliter aliud eſt dicere, molem materiæ non eſſe diſtinctam à ſubſtantia ejuſdem; aliud, quantitatem molis non eſſe diſtinctam ab eadem. Nam quantitas molis eſt accidens, moli ut ſubjecto ſuperveniens. Moles ipſa autem eſt ſubſtantia, ſeu inadæquatus ſubſtantiæ materialis conceptus. Non enim tantas partes accidenti tribuo, ut largiatur materiæ ſuæ corpulentiam: quin potiùs, quia materia eſt naturâ ſuâ corpulenta, eſt idoneum ſubjectum quantitatis. Non permitto quantitati inſoleſcere, & præſcribere legem materiæ; ſed æquum eſt illa potiùs huic morem gerat. Non putandum eſt materiam ſuam molem à quantitate mutuari; ſed quantitatem talem eſſe qualis eſt, quia moles materiæ talem conſtitutionem accidentalem ut ſibi proportionatam poſtulabat. Quare ubi Suarius loquitur de quantitate molis, affectionem concretè cum ſubjecto conjungit; ità ut per quantitatem intendat affectionem, & per molem, ejus ſubjectum: & qui Suarium ſic interpretari velit, mecum conciliaverit. Propterea verò quòd diſtinguat partes materiæ in entitativas ſeu ſubſtantiales, & quantitativas, hæc ejus interpretatio facilè admitti poteſt: imò cùm aſſerat & fuse probet ſ. 4. nº. 7, 8, 9, &c. extenſionem partium ſubſtantiæ, quoad entitatem, non poſſe eſſe effectum quantitatis; neceſſe eſt unà agnoſcat dari molem ſubſtantialem, ut à me aſſertam. Ipſa enim extenſio partium materiæ quoad entitatem hæc ipſa moles eſt, quæ ſibi proportionatam extenſionem accidentalem ſive quantitativam aſciſcit.

Diſtinguere ſpiritum à corpore.

20. Hoc ipſum confirmatur ex differentia, quæ paſſim in Scholis decantatur, inter materiam & naturam purè ſpirituam; lem;

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 149 sur 591

©BIUM

lem ; quæ tam vaſta eſt, ut, ex communi conſenſu Scholaſticorum, ſimpliciter impoſſibile ſit, materiam in ſpiritum, aut hunc in illam, tranſmutari. Conſiderandum ergò eſt, quid iſtud ſit propter quod tantopere mutuam tranſmutationem averſantur. Proculdubio non eſt mera quantitas accidentalis quæ hîc impedimento eſt. Accidens enim non involvitur in intima eſſentia ſubjecti, neque repugnantiam implicat ſi à ſubjecto amoveatur. Si ergò ſolâ quantitate accidentali materia & ſpiritus diſcrepent, câ ſeparatâ, materia fuerit ſpiritus, nec mutua tranſmutatio fuerit impoſſibilis, ſed ſatis facilis. Porrò, materia & ſpiritus, ſi ſolâ quantitate diſcriminarentur, accidentaliter tantùm diſtarent. Oportet autem vel materia vel ſpiritus aliquam eſſentialem, & conſequenter ſubſtantialem, rationem quâ ab invicem diſtinguantur includat : ſed profectò difficile admodum eſt talem differentiam poſitivam ex parte ſpirituum aſſignare ; ſiquidem quidditatem ſpiritûs poſitivè concipere vix poſſumus. Hinc dividimus ſubſtantiam in materialem, & immaterialem. Spiritum ergò concipimus & diſtinguimus à materia per negationem ſolummodo materialitatis. Quapropter poſitiva differentia quærenda eſt in materia. Si autem percurramus omnes alios inadæquatos conceptus materiæ, non inveniemus ſubſtantiale diſcrimen, donec ad conceptum molis deventum ſit. Materia exſiſtit ; ſimiliter & ſpiritus : illa ſubſiſtit ; hic pariter : illa naturâ energeticâ gaudet ; hic itidem : ad potentiam quod attinet, ea licèt non reperiatur in ſpiritibus, non tamen eſt primaria differentia inter materiam & ſpiritum, quia deſumitur à cauſalitate materiæ, ſeu à materia conſiderata quatenus eſt in ordine ad effectum, nempe formam. Nam potentia materiæ & cauſalitas ejuſdem idem ſignificant, ut ſuprà probavimus. Hæc igitur differentia diſtinguit materiam à ſpiritu reſpectu cauſationis, non per eſſentiam conſtitutivam ipſius materiæ. Quærimus ergò adhuc eſſentialem differentiam inter materiam & ſpiritum : ſed nulla apparet, donec recurramus ad molem ſubſtantialem. Dicendum ergò eſt, materiam eſſentialiter à ſpiritu diſtingui per ſuam ſubſtantiæ molem ; & conſequenter, dari ſubſtantialem materiæ molem.

Quid ſit moles.

21. Sed quid intelligi debet per hanc molem ? Vox videtur

tur insinuare aliquid corpulentiæ, crassimenti, densitatis & ponderis, aut aliquid per modum principii eorundem. Verùm, ut ex dictis constat, moles substantialis non est quantitas aut qualitas materialis, sed earum principium, seu ipsa ratio materiæ ob quam talia accidentia de se fundit. Consistit autem, ut aliqui putant, in ipsis partibus substantialibus seu entitativis materiæ, quatenus una earum includit negationem cujusvis alterius, nimirum quatenus *una non est alia*. Atque hoc ipsum Suarius quoque asserit s.4.nº.12. item nº. 17. & alibi. Hæc quidem sententia iis satisfacere potest qui existimant materiam ex eo tantùm à natura spirituali differre, quòd illa habeat partes distinctas, hæc nullas. Dicunt enim spiritum esse totum in toto, & totum in qualibet parte. Ut in cubo oblongo [A|B|C] supponatur spiritus coextensus. Totus ergò est in A, totus in B, & totus in C. Hoc in natura infinita facilè admitti potest, quia sufficit concipere ejus entitatem ut superantem omnem captum finitum: Verùm rem finitam sic concipere, & multiplicare in tres rationes totales, in re easdem, sed loco dissitas, reducere videtur intellectum ad quandam repugnantiam in seipso. Non possumus enim concipere eandem finitam rem simul in diversis locis: dividitur enim à se. Siquidem est in A: & in quantum simul est in C, distat à se in A per totum B. Quare distat à se, & dividitur à se. Quod repugnat unitati cujusvis entis. Cùm ergò cogitem spiritum finitum, eum concipio ut habentem partes entitativas, quarum una non est alia, sed absque mole materiali: & consequenter, quanquam materia habeat similiter partes entitativas, quarum una non est alia; eæ tamen non sufficiunt ad eandem distinguendam à spiritu.

22. Dici ergò potest, molem materialem in eo consistere, quòd tales habeat partes quæ possunt sibimet invicem allidere, sive impingere & obsistere; neque possunt sese mutuò penetrare absque aliquali renitentia sive reluctatione, nec accumulari in uno aliquo spatio absque condensatione sive incrassatione. Hisce enim notis substantia materialis à spirituali clarè distinguitur. Spiritus enim, seu substantia spiritualis, nihil talis corpulentiæ aut crassimenti secum gerit. Unus ergò spiritus non allidit alteri, aut etiam materiæ; sed pars unius partem alterius, sive spiritûs sive corporis, nullo negotio pertransit: *Molis effectus formalis.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 151 sur 591

©BIUM

ſeſe denique in ſeipſos contrahunt, & pro arbitrio expandunt, abſque aucta ſive denſitate ſive raritate. Adeóque ſubſtantialis moles, prout hîc deſcribitur, materiam à ſpiritu ſatis diſcriminat.

Nominales refutantur.

23. Dices, Nominales aſſerere molem materiæ conſiſtere in eo, quòd habeat partes extra partes, nempe entitativas extra alias ſimiliter entitativas. Reſpondeo, habere partes extra partes eſſe terminos ambiguos. Vel enim partes dicuntur extra partes, quia non ſunt de præſenti intra alias, quanquam intra eas eſſe poſſunt: vel, quia intra eas eſſe non poſſunt. Priori modo partes extra partes nihil aliud ſonant quàm unam partem eſſe ab alia diſtinctam, ſive unam non eſſe aliam. Eò enim quòd una pars non ſit alia, poteſt vel eſſe intra aliam, & interim ſervare ſuam propriam entitatem, nec cum ea quacum unitur confundi; vel, eſſe extra aliam, & ſe per ſeipſam ſuſtentare. Quo ſenſu tam partes, modò extra partes, mox poſſunt in ſeipſas contrahi, aut occultari intra alias; quàm partes intra alias latentes poſſunt ſe explicare, & ſeorſim extra alias ſtare: ſcilicet utrovis modo mediante motu vel condenſationis, vel rarefactionis. Poſteriori modo partes extra partes inferrent ſubſtantialem materiæ impenetrabilitatem; quæ dubito an conſiſtere queat cum variis naturæ phænomenis, præſertim iis condenſationis & rarefactionis, de quibus hîc non eſt agendum. Tantùm aſſerimus, habere in hoc ſenſu partes extra partes nec requiri ad rationem ſubſtantiæ in genere, neque ad diſtinctionem materiæ à ſpiritibus. Primò, non requiritur ad rationem ſubſtantiæ in genere, quia alioquin omnis ſubſtantia haberet hoc modo partes extra partes; ſed ipſi Nominales hoc negant. Tales enim partes Angelis non adſcribunt, ſed admittunt eos poſſe penetrare corpora. Quin & ad plenam ſubſtantiæ deſcriptionem requireretur ihiuſmodi clauſula, eam habere partes extra partes impenetrabiles; quod nemo hactenus aſſuerit. Secundò, non requiritur ex parte materiæ, ad ejus diſcriminationem à ſpiritu, habere partes impenetrabiles, ut patet ex paragrapho ſuperiore, quo ſpiritus à materia ſatis diſcriminantur abſque conceſſione impenetrabilitatis hujus. Addere hîc poſſumus aliam quandam diſcriminationem inter materiam & ſpiritum, reſultantem quidem à ſuprà memoratis, ſed propiùs accedentem

dentem ad gradualem quandam penetrabilitatem: nempe materiæ molem, quò frequentiùs multiplicatur in eodem ſpatio, eò novæ materiæ acceſſum ægrius admittere, tandémque ad eam denſitatem pervenire quæ omnimodum alterius materiæ ingreſſum reſpuat. Exiſtimo enim materiæ ſubſtantiam non eſſe capacem infinitæ multiplicationis ſive congeſtionis in eodem ſpatio: ſed; ut in expanſione datur ultima raritas quam materia ferre poteſt; ità in contractione molis in ſeipſam, datur ultima incraſſatio & denſitas quam materia admittere vult. Verùm hæc adhuc regula reſpectu prioris partis ejuſdem carere ſuâ limitatione videtur. Dico igitur, materiam non perpetuò magis vel minùs penetrabilem eſſe pro ſola majore vel minore ratione denſitatis & raritatis, niſi cætera omnia intelligantur paria. Multa enim alia, præter molis multiplicationem & explicationem reſpectu loci, ad penetrationem ejuſdem facilem vel difficilem reddendam concurrunt: ut materiæ penetraturæ familiaritas, ſimilitudo, congruitas, utilitas, & quicquid vim illecebræ habet reſpectu recipientis. Hinc cera repellit liquores maximè penetrantes, aquam fortem, Regiam, ſpiritum vitrioli, oleum nitri, ſalis; verùm ultro ſe offert amplexui olei, aut pinguedinis cujuſvis utcunque craſſiuſculæ. Sed de his alibi.

24. Ex dictis innoteſcit, molem in ſua ratione continere non tantùm partes quarum una non eſt alia, ſed & tales quæ aliquid includunt per modum principii alicujus ſubſtantialis, craſſimenti ſeu corpulentiæ; quod tribus effectibus ſive indiciis manifeſtatur: 1°. in occurſu partium, colliſione ſeu attritione; 2°. in actu penetrationis, luctatione & labore; 3°. in multiplicatione, replicatione ſeu explicatione reſpectu ſpatii, denſitate & raritate. Quibus effectis materiæ moles, ut dictum, à ſubſtantia ſpirituali manifeſtè diſcernitur. Verùm notandum eſt, ubi dicimus materiæ molem eſſe principium horum effectuum, vocem accipi pro principio aptitudinali ſeu potentiali, non pro actuali. Impoſſibile enim eſt ut eadem materia ſimul ſive actu ſit principium denſitatis & raritatis, &c. Vel dicere poſſumus, principium hoc loco accipi pro remoto ſeu ultimo, non pro proximo. Moles enim materiæ in ſua ratione nihil mutabile aut caducum complectitur: colliſio autem & attritio partium materiæ, penetratio

Moles includit aliquid per modum craſſimenti.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 153 sur 591

©BIUM

tratio magis vel minùs laborioſa, condenſatio & rarefactio, variationi obnoxiæ ſunt, & conſequenter non immediatè ſpectant ad materiam primam. Moles tamen ejuſdem eſt earum primum ſeu ultimum principium, ſed non proximum, ut dictum. Sed hæc de mole materiæ. De qua fortè nonnihil infrà ulterius dicetur.

Materiam eſſe ſubjectum accidentium ultimum.

25. Sextò, Ratio eſſendi ſubjectum accidentium materialium aliquo modo convenit etiam materiæ primæ. Verùm ipſo limine ſubjectum, quo modo diſtinximus principium, ſcilicet in ultimum ſeu remotum, & intermedium ſeu proximum, diſtinguendum eſt. Ultimum ſubjectum idem propè ſignificat quod primum: modus verò ſignificandi nonnihil variatur. Quod enim in methodo concipiendi analytica ultimum eſt, in ſynthetica eſt primum. Hinc materia prima & ultima in re idem ſunt, ſed ordo concipiendi invertitur. Optimè igitur competit materiæ primæ, quà primæ, eſſe primum ſive ultimum ſubjectum accidentium: differt autem ſubjectum ultimum ab intermedio ſeu proximo. Forma enim materialis eſt nonnullorum accidentium ſubjectum proximum, aliorum materia ſecunda, aut etiam formata, aliquorum quoque ipſum accidens.

Probatur.

26. Verùm ſola materia prima eſt ultimum omnium accidentium materialium ſubjectum. Quicquid enim immediatè tribuitur materiæ ſecundæ, ultimò tribuendum eſt primæ. Subſtantialis enim ratio materiæ, quâ omnia materialia fundamentaliter ſuſtentantur, propriè ſpectat ad materiam primam. Nam, ut ſuprà probavimus, ſubſiſtentia fundamentalis eſt huic materiæ propria. Forma enim materialis ſuo marte non ſubſiſtit, ſed à materia ſuſtentatur. Materia ſecunda mutuatur conceptum ſubſiſtentiæ à prima. Subſiſtentia enim materiæ primæ & ſecundæ non ſunt duæ ſubſiſtentiæ, ſed una inadæquatè concipiendo diverſificata. Quare ſubſiſtentiæ conceptus primò ſeu ultimò ſpectat ad materiam primam; deinde transfertur ad ſecundam. Quicquid ergò immediatè aſcribitur materiæ ſecundæ, ultimò ſuſtentatur à prima, ut quæ ſubſiſtentiam ſuam fundamentalem materiæ ſecundæ quaſi mutuò dat. Accidentia verò, quanquam dicuntur ſubjecta proxima aliquorum accidentium, ſeſe tamen nequaquam ſuſtentare poſſunt aliter quàm ſuffulciuntur à materia prima. Ratum itaque ſit, omnia materialia ultimò ſubjectari

©BIUM

jectari in materia prima. Verùm de hiſce hactenus nulla videtur controverſia inter Metaphyſicos. Omnes enim agnoſcunt nihil eſſe poſſe ultimam baſin ſuſtentandi aliud, quod ſeipſum ſuſtentare nequeat.

Aliquorum eſſe ſubjectum immediatum.

27. Verùm aliter multò de ſubjecto accidentium Metaphyſici diſputant, & quærunt an materia prima poteſt eſſe immediatum eorum ſubjectum. Ego nullus dubito quin materia prima ſe perpetim percipiat, amet, & tueri nitatur, necnon haſce actiones in ſe perpetuò foveat. Cæterùm neque de hoc lis hîc movetur. Sed revocant totam quæſtionem ad quantitatem, ejus nimirum extenſionem, continuitatem, & diviſibilitatem; præſumentes, cætera accidentia materialia harum fortunas eſſe conſecutura. Quoad extenſionem, de ea Suarius Diſp. 14. ſ. 3. quæſtionem fusè tractat. Duas opiniones directè oppoſitas adfert: priorem negantem, quam nempe rejicit; poſteriorem affirmantem, cui magis favet. Veruntamen videtur mihi nonnihil confundere accidentia quæ ſpectant ad materiam adæquatè conceptam, cum iis quæ ad primam præcisè referenda ſunt. Nam materiæ diſpoſitiones ad formam (quibus potiſſimùm inſiſtit, ut videre eſt ibidem nº. 26, 27, 28, &c.) non ſpectant ad materiam primam, ſed ad ſecundam. Similiter accidentia quæ eadem manent in demortuis quæ fuerant in vivis, partim materiæ formatæ, partim ſecundæ, tribuenda ſunt. Exiſtimo igitur Suarii mentem non fuiſſe, hæc & hujuſmodi accidentia ad materiam primam immediatè aſcribere; ſed eum potiùs materiam in hac Diſputatione latiùs accipere, nempe pro eadem quatenus adæquatè concipitur, & ſub notione ſua primam, ſecundam, & formatam, complectitur. Quo ſenſu ei planè aſſentior, ad materiam adæquatè conceptam pertinere omnia accidentia communia, quantitatem, diviſibilitatem, continuitatem, contiguitatem, denſitatem, raritatem, duritiem, mollitiem, & ſimilia. Atque hoc quidem clarè evincunt argumenta ab eo allata ſ. 3. à nº. 10. ad 25. item à nº. 35. ad 50. ad quæ loca ex hac parte lectorem relego. Verùm enimvero diſpoſitiones ſeu præparationes materiæ ad formam, aliáque accidentia terminata, materiæ primæ ſub iſto præciſo conceptu non immediatè aſcribenda ſunt. Nihil enim propriè ad materiam primam ſpectare poteſt quod non eſt perpetuum: at hi apparatus

©BIUM

ratus ad formas varii ſunt, & multis modis ſubindè mutantur, prout ipſæ formæ diverſæ diverſos exigunt, ut per ſe notum eſt; & conſequenter proximè ſpectant ad materiam ſecundam, non ad primam. Cui aſſertioni communis Philoſophorum conſenſus adſtipulatur. Similiter accidentia quæ eadem in defunctis, quæ fuerant in vivis, manent, inſunt in compoſito ut quod; ſed formaliter, ſeu ut quo, in materia formata. Quare non migrant de ſubjecto in ſubjectum, quia in eodem ſubjecto formali inſunt in defuncto quo erant in vivo. Inerant enim compoſito gratiâ materiæ; manent ergò diſſoluto compoſito, quia manet eadem materia. Nam materia, ut inquit Suarius, eſt eorum ſubjectum inhæſionis, quanquam compoſitum ſit ſubjectum denominationis, ibidem textu 35.

Eſſe immediatum quantitatis ſubjectum.

28. Nondum igitur conſtat an materia prima, quà prima, ſit ullius quantitatis immediatum ſubjectum. Nam profectò quantitas terminata mutabilis eſt, & eo nomine ad materiam primam pertinere nequit. Si ergò nulla detur alia quantitas præter terminatam, inferamus materiæ primæ nullam quantitatem immediatè inhærere. Verùm quantitas videtur varias acceptiones admittere. De quantitate quatenus pro mole ſubſtantiali ſumitur ſuprà diximus: materiæ copia eidem valde affinis eſt, ſi non eadem. Nam ut tota moles materiæ quæ fuit ab initio in hunc uſque diem durat; ità tota materiæ copia abſque vel minima diminutione ab initio ad præſens tempus continuatur; & utraque ſimiliter perpetuò permanſerit; quin & utraque materiæ ſubſtantiam dicit. Ipſæ enim partes ſubſtantiales ſeu entitativæ materiæ eâdem copiâ & mole nunc ſunt quâ olim fuerant; nec partes quæ mole eædem dicuntur, aliæ ſunt ab iis quæ copiâ eædem audiunt. Eſto ergò copiam & molem eandem materiæ ſubſtantiam denotare: molem verò eam dicere quatenus principium eſt corpulentiæ, reſiſtentiæ, denſitatis, gravitatis, &c. copiam verò eandem, quatenus tota ſufficit ad ſtructuram univerſi, aut quatenus hæc vel illa ejuſdem portio ſufficit, ſuperflua eſt, aut deficit, reſpectu alicujus operis ex ea conficiendi. Quare neque moles neque copia materiæ dicunt quantitatem accidentalem, ſed ipſam ſubſtantiam. Superſunt duæ aliæ ſignificationes quæ fortaſſe accidentia denotant, nimirum quantitas

titas terminata, & interminata: ſed illam, ut corruptibilem, à materia prima modò repulimus: de hac reſtat ut aliquid dicamus.

Quantitas interminata aſſeritur.

29. Quantitatem interminatam non malè Suarius ex Averroe deſcripſit Diſp. 14. ſ. 3. nº. 10. *Eſſe inquit in materia dimenſiones interminatas, illi coævas, & in re ipſa ingenerabiles & incorruptibiles, ſolúmque accidentaliter mutabiles. Per dimenſiones autem interminatas nil aliud intelligit quàm ipſam quantitatem, quæ, quantum eſt ex parte materiæ, nec certam aliquam denſitatem, nec raritatem, nec definitum terminum magnitudinis, nec peculiarem aliquam figuram poſtulat: & ideo ſicut materia de ſe informis dicitur, ità quantitas, ut illi coæva, dicitur interminata; quanquam reipſa ſemper habeat aliquem terminum juxta exigentiam formæ vel actionem agentis. Juxta hanc varietatem terminorum, figurarum vel diſpoſitionum, accidentaliter mutatur, quamvìs in entitate ſua eadem ſemper perſeveret.* Zabarella quoque hanc quantitatem ex Averroe, ſed aliis verbis, depingit, l. 2. de Materia prima cap. 6. *materiam primam, ſecundùm ſe & ante receptionem formæ, eſſe quantam, & habere tres dimenſiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, tanquam accidens perpetuum & inſeparabile; eas tamen nullis certis terminis circumſcriptas, ſed interminatas, quæ poſtea à diverſis formis varios terminos recipiunt, prout variæ naturalium corporum naturæ requirunt,* &c. Hanc ſententiam Averrois Zabarella cap. 8. pluribus argumentis vindicat, quæ conſulentur. Duæ videntur opinionis partes. Prima eſt poſitiva; materiam perpetuò habere aliquas dimenſiones, nec poſſe eò redigi, ut ſit ſive in puncto mathematico, ſive infinitè diſpergatur. Secunda eſt negativa; materiæ dimenſiones, quoad terminationem, non eſſe perpetuò eaſdem, ſive immutabiles. De quibus ſigillatim dicendum eſt.

Quantitatem terminatam eſſe mutabilem.

30. Quòd materia prima perpetuò ſibi aliquas dimenſiones retinet, ex eo evincitur, quòd, ut ſuprà explicui, in maxima cujus capax eſt expanſione, ſemper in ſua ſubſtantiali entitate aliquid per modum craſſimenti aut farcimenti inſinuet, ità ut quò frequentiùs in aliquo ſpatio multiplicetur, eò magìs idem infarciat, & ità demum repleat, ut nihil materiæ amplius intrudi poſſit. Hinc, ut dixi, determinatur ad maximam & minimam expanſionem cujus capax eſt, neque

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 157 sur 591

©BIUM

poteſt in infinitum expandi, neque in infinitum contrahi aut accumulari in eodem ſpatio. Nunquam igitur reducitur, aut reduci poteſt, ad punctum mathematicum, ſed ſemper aliquid ſpatii, modò plus, modò minus, occupat, quatenus magis vel minùs incraſſatur vel attenuatur. Neceſſe ergò eſt ut aliquas dimenſiones ſibi perpetuò aſciſcat, neque iis ſe penitùs ſpoliari ſinat. Verteretur alioquin in ſpiritum; nempe quotieſcunque multiplicaretur in eodem ſpatio, nihil infarctionis aut repletionis adferret. Enimvero in hoc ſenſu dari plenum & vacuum exiſtimo. Plenum, in quod nihil amplius materiæ immitti poteſt: & vacuum, quod materiæ craſſimento non eò uſque farcitur, quin plus excipiat. Intelligo autem in ſumma condenſatione materiam eſſe plenam ſui & ſaturatam, nec ulteriùs incraſſari aut denſari poſſe. Ultima hoc genus denſitas nobis nota cernitur in auro puro. E contrà verò, in ultima attenuatione materiam eſſe valde jejunam, & ſuo modo vacuam; (non quòd contineat ſpatiola in quibus nihil eſt, ſed quòd multò plus farciminis admittere poſſit.) Maxima fortaſſe materiæ tenuitas cernitur in lumine, ſi modò lumen ſit ſubſtantia: alioquin forſitan in æthere aut flamma. Jam verò ſi materia neque in infinitum expandi, neque ad punctum mathematicum contrahi queat, neceſſe eſt maneat ſub aliqua dimenſione intermedia; quod erat probandum. Huc etiam faciunt argumenta à Zabarella loco laudato pro Averroe adducta, quæ à lectore videantur.

Terminatio quantitatis non provenit à forma, ſed à motu materiæ.

31. Altera pars opinionis ſtatuit, materiæ primæ dimenſiones non eſſe ità terminatas ut perpetuò maneant eædem & invariabiles. Quanquam enim, ut rectè advertit Zabarella cap. 8. quantitas (in quantum denotat ſolummodo habere dimenſiones) eſt perpetua, & ingenerabilis atque incorruptibilis, (ut quæ non habeat contrarium, à quo corrumpatur;) terminus tamen quantitatis faris facilè corruptibilis eſt. Ipſe enim Zabarella, capite laudato, argumentum quartum ſic concludit, *Neque poteſt interire quantitas; ergò æterna eſt, & ſoli ejus termini mutari & interire poſſunt.* Ratio autem cur quantitas ipſa ſit perpetua è ſuperiore paragrapho petenda eſt; quòd nimirum moles materiæ neque diffuſione in infinitum diſpaletur & evaneſcat, neque contractione ad punctum mathematicum revocetur, ſéque adeò ſuis dimenſionibus

sionibus exuat. E contrà, ratio cur terminus quantitatis mobilis seu mutabilis sit, est, quòd pluribus motibus contrariis exponatur. In motu expansivo, terminus motûs est dimensio quàm antea fuit major. In motu condensationis, terminus est quàm antea fuit minor. In motu divisionis, terminus communis dissolvitur, & novi termini finientes exoriuntur. In motu unionis, sive in redintegratione continuationis, termini finientes divisi in terminum communem absorbentur. In motu positionis partium inter se, terminatio quantitatis secundùm partes perpetuò variatur, utcunque secundùm totum forsitan permaneat. In compressione, ut in impressione sigilli, non tantùm figura nova exoritur, sed & nova dimensio corporis, in qua illa fundatur. In motu mixturæ, mutua subitio elementorum vitiat priores eorum dimensiones. In augmentatione ac diminutione, termini dimensionum manifestè variantur: in nutritione, per intus assumptum alimentum similiter. In distensione, flexura, distorsione, termini quoque violantur. In colliquatione, coagulatione, congelatione, induratione, in congregatione similari, in disgregatione hostili, plurimisque aliis istiusmodi alterationibus, terminus dimensionum impugnatur. Denique, in omni ferè motu (excepto motu sphæræ in suo loco, aut corpusculi, si fingas, in vacuo,) vix evenire potest quin vel corpus movens, vel circumstans, vel occurrens, aliqualem dimensionum alterationem perpetiatur. Mihi ergò inferendum est, materiæ primæ dimensiones esse interminatas: nempe determinatos dimensionum terminos non spectare ad istum inadæquatum materiæ conceptum quo dicitur prima seu perpetua. Essent enim, si eo modo ad eum spectarent, immortales.

Interminatam quantitatem exsistere.

32. Adhuc errores nonnulli circa hanc rem cavendi sunt. Zabarella l. 2. cap. 9. videtur afferere, quantitatem interminatam spectare ad materiam; terminatam, ad formam. Ait enim formam, respectu quantitatis interminatæ, extendi ad extensionem materiæ; sed contrà, respectu quantitatis terminatæ, hanc extendi ad extensionem illius. Quæ explicatio ex parte clausulæ posterioris cautè intelligenda est, nè in apertum errorem incidamus. Etenim datur rarefactio & condensatio in multis corporibus tam post adventum formæ,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 159 sur 591

©BIUM

quàm ante eundem ; ut cernere eſt in omnibus corporibus à calore ad frigus tranſeuntibus : imò & in omnibus plantis & animalibus augmentatio à parvis rudimentis ad magnam molem, manente interim eâdem formâ, ſenſim promovetur. Forma itaque non abſolutè terminos, aut præfinitos limites, materiæ præſcribit ; ſed hi à ſolo materiæ motu dependent & exoriuntur. Quanquam enim quantitas quantitati non ſit contraria, terminus tamen quantitatis motibus ſubjicitur. Et hinc fortaſſe eſt quòd Ariſtoteles ponit motum ad quantitatem. Terminus enim à quo materiæ extenſio recedit opponitur ejuſdem termino ad quem : ut trina dimenſio parva, in eadem materiæ proportione, eſt terminus oppoſitus dimenſioni magnæ ; & ſive à majore ad minorem ſive à minore ad majorem terminum itur, contrariis reſpectivè motibus, hinc rarefactione, illinc condenſatione, materia agitur. Impoſſibile autem eſt ut ulla quantitas terminata mutetur abſque novo materiæ motu. Quare ſolus materiæ motus eſt immediata ſeu proxima cauſa terminatæ quantitatis.

Exiſtentia diſtinguitur, & Zabarella exponitur.

33. Porrò, quoad differentiam quantitatis interminatæ à terminata, qui Zabarellam minùs attentè auſcultat, facilè in errorem labitur. Ille enim, ut materiam primam negat exſiſtere; ità & quantitatem interminatam, eſſentiam, non exſiſtentiam, quantitatis denotare autumat. Cæterùm ut hoc rectè intelligatur, advertendum eſt quantitatem interminatam reſpectu integræ dimenſionis cujuſvis materiæ eſſe conceptum inadæquatum. Quantitas enim quælibet integre concepta eſt perpetuò ſub aliqua terminatione : & hoc reſpectu, quod aſſerit Zabarella, impoſſibile eſſe ullam quantitatem ſeorſim ab omni terminatione actu exſiſtere, verum eſt. Interim nihil prohibet quin ea concipiatur præcisâ omni terminatione. Poſſumus enim conſiderare materiam ut actu habentem aliquas dimenſiones, aliquam longitudinem, latitudinem & profunditatem, non ſimul conſiderando certam ac determinatam longitudinem, latitudinem, aut profunditatem ejuſdem ; hoc eſt, conſiderare quantitatem actu inhærentem in materia exiſtente, ſimul omittendo vel præcidendo conſiderationem terminationis ejuſdem. Dicimus jam, pace Zabarellæ, quantitatem ſic conceptam actu exſiſtere, ſed inadæquatè ſeu incompletè à nobis concipi. Actu exſiſtit ; quia perpetuò

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 160 sur 591

perpetuò inhæret in materia prima actu exſiſtente, éſtque ipſi coæva. Sed pertinaciter negat Zabarella materiam primam exſiſtere. Verùm nihil aliud probat quàm quod omnes fatentur, materiam primam nimirum non exſiſtere ſeparatim à forma. Atque hoc ipſum videtur mihi ipſe Zabarella ſatis inſinuare, ſi non apertè confiteri, cap. 5. his verbis, *Ad primam, neganda eſt propoſitio major: ea namque vera eſt ſolùm de eſſentia rei, ac de mentali abſtractione, at non de exſiſtentia actu, ac de ſeparatione reali.* Ex hac reſponſione Zabarellæ colligo eum à communi ſententia de exſiſtentia materiæ primæ non tantopere recedere ac primâ fronte putetur; ſed potiùs modo loquendi, quàm reipſa, ab aliis differre. Exſiſtentia enim, ut ſuprà monui, duplex eſt, incompleta, & completa. Illam Zabarella paſſim nomine eſſentiæ, hanc exſiſtentiæ, agnoſcere videtur. Exſiſtentiam enim, loco citato, reali ſeparabilitate tanquam termino convertibili exponit, & eſſentiam mentali abſtractione ab exſiſtentia diſtinguit. Quæ ergò conjunctim exſiſtunt, ſeu, ut ipſe loquitur, coexſiſtunt, quando præcisè concipiuntur, eſſentias vocat, & rebus ſeparatim exſiſtentibus contradiſtinguit. Concedendum eſt Zabarellæ, eorum exſiſtentiam quæ apta nata ſunt ſolùm concretè ſive conjunctim cum aliis exſiſtere, ſeu coexſiſtere, eſſe incompletam & partialem. Si ergò velit Zabarella hanc incompletam exſiſtentiam nomine eſſentiæ exprimendam eſſe, non tam de re, quàm de modo loquendi, ab aliis diſſentit. Verùm iſtum Zabarellæ loquendi modum non eſſe admittendum, plurimis conceptibus objectivis facillimè evincitur, & ſpeciatim ex ipſo objectivo materiæ primæ conceptu, ut ſtatim dicetur. Fateor Zabarellam revocare materiam primam ad conceptum univerſalem; quo reſpectu neque ſententiæ noſtræ conciliari, neque quidem ex parte ſui ſatis excuſari, poteſt. Patet enim materiam primam eſſe genus omnium corporum: ſed Philoſophus, alioquin ſatis argutus, hîc minùs acutè advertit, quamlibet nimirum objectivam rationem triplicem admittere conceptum, objectivum, formalem, & univerſalem; conceptúmque objectivum, etiam generis generaliſſimi, non abſtrahere ab exſiſtentia, ſed eſſe rem realiter in natura exſiſtentem; conceptum verò univerſalem ſolummodo ab exſiſtentia abſtrahere. Verùm Phyſicus conſiderat materiam quatenus

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 161 sur 591

©BIUM

est pars, non quatenus totum universale; & consequenter non quà genus, sed quà conceptus objectivus realiter existens. Hæc verò ejus opinio, materiam esse genus in prædicamento corporum, communi propè Philosophorum consensu explodi-tur; supráque materiæ existentiam vindicavimus, nec opus est diutiùs hîc hæc aqua hæreat. Datâ jam existentiâ materiæ primæ, quà sumitur pro conceptu objectivo, necessariò sequitur quantitatem in eadem perpetuò inhærentem similiter existere.

Interminatum esse inadæquatum conceptum.

34. Dices, interminatam quantitatem non separatim existere à terminata. Fateor utramque conjunctim seu concretè existere; sed datur sufficiens fundamentum in natura cur intellectus interminatam seorsim consideret. Quanquam enim cum aliqua terminata sit conjuncta, potest tamen, præcisâ terminatione, sola concipi. Nam primò, Illa pars vel inadæquatus conceptus totius quantitatis quâ materiæ dimensiones terminantur mutabilis est, & indies variatur; altera autem, quæ dimensiones absque terminatione contemplatur, est perpetua, & materiæ primæ coæva. Ut ergò intellectus id quod perpetuum est à corruptibili sejungat, dimensiones nudas præcisâ terminatione considerat. Porrò, Nudæ dimensiones absque terminatione spectant ad inadæquatum conceptum materiæ primæ; terminatio verò ad conceptum materiæ secundæ, aut formatæ. Quare separatam considerationem merentur, ut quæ ad diversa subjecta, prout hæc inadæquatè concipiuntur, spectant. Tertiò, Cùm omnis terminatio quæ cuivis quantitati contingat ab eadem realiter & actu separetur; à fortiore sequitur, dari sufficiens fundamentum cur intellectus separatim speculetur. Ultimò, Si quis turrim aut aliud corpus à longinquo conspiciat, videt esse corpus, & habere trinam dimensionem; sed determinatam longitudinem, latitudinem ac profunditatem planè ignorat. Si ergò sensus quantitatem interminatam, ignotâ adhuc terminatione ejusdem, dignoscat; quantò faciliùs acies intellectûs illam ab hac discriminet & distinctè contempletur?

Objectioni occurritur.

35. Dices, Si eadem quantitas realiter in natura existens integrè concepta sit terminata, sed inadæquatè, interminata, tota componitur ex partibus contradictoriis; quippe ex actu-

ali

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 162 sur 591

ali quantitate ſimul interminata & terminata; adeóque eadem quantitas ſibimet ipſi contradixerit. Reſpondeo, novum non eſſe neque inauditum, entitatem compoſitam continere partes quarum una includit negationem alterius: ut homo eſt partim materialis, partim immaterialis, necnon partim mortalis, partim immortalis. Quantitas ſimiliter integre concepta partim interminata, partim terminata eſt: interminata, quà perpetua; terminata, quà caduca. Eadem ergò quantitas, ſed non ſecundùm eaſdem objectivas rationes, eſt interminata & terminata. Ea enim quantitatis integræ pars ſeu ratio quæ dicitur interminata non eſt ſimul terminata; nec ea quæ dicitur terminata eſt ſimul interminata. Quare materia ſecundùm unam ſui partem ſeu rationem vocatur interminata; ſecundùm aliam, terminata. Quemadmodum enim ſubſtantia completa componitur ex natura ſubſtantiali & ſubſiſtentia modali; ità quantitas tota componitur ex natura quantitatis perpetua, & modo ſeu termino, eandem complente, mutabili. Dantur enim accidentium modi quibus terminantur & complentur, non minùs quàm ſubſtantiarum: & ut natura ſubſtantialis differt modaliter à ſua ſubſiſtentia terminante; ità quoque quantitatis modus complens diſcrepat modaliter, hoc eſt, ex parte rei, à natura ejuſdem. Quare ut natura ſubſtantiæ & ſuppoſitalitas veram efficiunt compoſitionem; ità natura quantitatis & terminatio ejuſdem compoſitionem perpetrant; & minimè mirandum ſi uni parti componenti negetur quod alteri aſſeritur. Porrò, ut natura ſubſtantiæ deponere poteſt ſuam ſuppoſitalitatem, & novam ſibi acquirere, abſque ſuiipſius mutatione, ut ſuprà oſtendimus; ità natura quantitatis ſe ſuo exuat termino, novúmque induat, abſque ſui corruptione. Ultimò, ut natura ſubſtantiæ abſque termino ſuppoſitalitatis ſupponitur exſiſtere, & nihilo minùs eſt interminata; ità natura quantitatis, etiamſi merito ſubjecti ſupponatur eſſe actualis & exſiſtere abſque terminatione, abſque ea tamen interminata ſupereſt. Quòd verò terminatio à natura quantitatis modaliter ſeu ex parte rei differt, ex eo innoteſcit, quòd naturam, futuram alioquin incompletam, compleat, quódque, manente naturâ incompletâ, corrumpi queat, non contrà. Quare terminatio quantitatis eſt

modus

©BIUM

modus ejuſdem, & modaliter à natura quantitatis diſcrepat.

Argumentum contra Nominales. 36. Hinc ſpectabile argumentum contra Nominales deſumi poteſt, quantitatem materiæ primæ interminatam non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens. Quod enim de ſe incompletum eſt, & completum fit addito ſolo accidentali termino complente, non eſt ſubſtantia. Subſtantia enim incompleta non fit completa ſolo accidentali complemento addito. Alioquin ipſa entitas ſubſtantialis quatenus facta ſit completa componeretur ex ſubſtantia & accidente, quòd minimè ferendum. Attamen certum eſt, terminum quantitatis, quo ſolo ea, aliàs incompleta, in ratione quantitatis completur, eſſe accidens; & conſequenter interminata pars quantitatis accidentalis quoque fuerit. Nam interminata quantitas eſt quaſi materia totius quantitatis completæ, & terminus eſt quaſi forma & actus ejuſdem; & conſequenter ſunt ejuſdem rationis, vel utraque pars ſubſtantialis eſt, vel utraque accidentalis. Jam verò, ut dixi, terminus quantitatis evidenter accidentalis eſt. Manente enim ſubjecto ſubſtantiali integro, hic terminus adeſſe vel abeſſe, hoc eſt, mutari, poteſt: ut cera digitis variè compreſſa, ſubindè dimenſionum terminos, longitudinem, latitudinem & profunditatem immutat; ſubſtantia interim ſpeciem intemeratam ſibi ſervat. Inferendum itaque eſt, præter ſubſtantialem molem dari in materia prima quantitatem interminatam, accidentalem, perpetuam & materiæ coævam.

Continuitatem & diviſibilitatem materiæ eſſe interminatas. 37. Porrò, ut materia prima reſpectu extenſionis, ità & reſpectu continuitatis, interminata eſt. Etenim, præter extenſionem, aliqua continuitas materiæ perpetuò convenit. Siquidem ut eſſe extenſum aliquas partes extra alias ponit; ità eſſe continuum ponit extenſi unitatem, quæ eſt continuitas quædam. Unitas enim quantitatis continuæ ſeu extenſionis materialis ipſa continuitas eſt. Cùm ergò materia prima nunquam diſcerpitur in puncta mathematica, neceſſe eſt aliquid continuitatis ſibi perpetuò reſervet. Quòd autem non ſic diſcerpitur, conſtat, quia eſt diviſibilis in partes ſemper diviſibiles; punctum verò mathematicum eſt indiviſibile. Quare aliqua continuitas materiam primam perpetuò comitatur. Dices, hanc continuitatem non differre ab extenſione.

Sed

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 164 sur 591

Sed contrà eſt, quia illa permanere poteſt, hâc mutatâ; ut in condenſatione & rarefactione: & versâ vice, hæc ſalva eſſe quit, ſolutâ illâ; ut pomi diviſi partes, ſimul ſumptæ, æquales quoad magnitudinem extenſionis pomo integro ſunt; ſed continuitas manifeſtè perditur. Quare continuitas & extenſio diſtinctæ affectiones materiæ ſunt. Verùm ut extenſio datur interminata, ità & datur continuitas conformis. Quemadmodum enim extenſio ideo interminata dicitur, quòd ejus termini innumeris variationibus obnoxii ſint: ità continuitas, quòd in omni puncto aſſignabili dividi queat, non eſt terminata: ſcilicet, terminata continuitas & ſimul perpetua, quòd ſupponat partes extra partes, planè impoſſibilis eſt. Quapropter cùm continuitas, quæ ad materiam primam pertinet, ſit perpetua, interminata eſt, ſeu à terminatione eam non conſiderando præcidit. Nulla enim terminata continuitas eſt perpetua, cùm materia in omni puncto ſuæ extenſionis ſit diviſibilis. Quantitas igitur materiæ primæ dupliciter interminata eſt; nempe quà extenſa, & quà continua. Illa actuali extenſione, hæc actuali diviſione, terminatur. De poſteriore erit fortaſſe ulterior occaſio differendi infrá. Atque hæc de primo inadæquato materiæ conceptu, ſive de Materia prima.

Cap. VIII.

De Materia ſecunda, & formata.

1. HActenus proſecuti ſumus primum inadæquatum materiæ conceptum: ſuperſunt duo alii ſimiliter inadæquati, nempe Materiæ ſecundæ, & formatæ. Non putandum eſt materiam primam, ſecundam, & formatam, tres dicere ſubſtantias, ſed unam & eandem diverſimodè conſideratam, nimirum tres ſtatus ejuſdem materiæ: ſtatum nudum ſive informem, ſtatum præparationis ad formam, ſtatum informatum. Fateor materiam primam non eo ſenſu vocari informem, quòd ſeorſim ab omni forma oſtendi queat; ſed quòd detur objectiva ratio in rerum natura realiter exiſtens, in qua ſatis

Eas eſſe inadæquatos conceptus.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 165 sur 591

©BIUM

fundatur conceptus materiæ ab omni forma præciſus. Qui quidem conceptus totum ſubſtantiæ materiæ conſiderationem ad ſe rapit, & eo nomine prolixam ſuprà tractationem promeruit. Cæterùm quia parùm eſt quod materia ſecunda & formata ei addunt, prioris Capitis tædium hujus brevitate compenſandum eſt.

Dari materiam ſecundam.

2. Dari Materiam ſecundam non dubium eſt: cùm quotidianâ experientiâ conſtet, res, quæ mutantur, non ſine præviis alterationibus & ſenſim ad eas mutationes diſponi, nec unam rem quaſi incantamento aut miraculosâ metamorphoſi in aliam immediatè transformari. Hinc eſt in proverbio, *Ex quolibet ligno non fit Mercurius*; nec quælibet materia aptè diſponitur ad quodlibet opus. Aliæ atque aliæ plantæ in diverſis locis faciliùs naſcuntur, feliciùs germinant, & ad majorem proceritatem excreſcunt, fructúſque uberiores edunt; ibi nimirum ubi iis ſuppeditantur alimenta copioſa ſuis naturis congrua & familiaria ſive ſimilia. Similia enim ſimilibus nutriuntur; & quò ſimiliores res inter ſe ſunt, eò faciliùs invicem tranſmutantur. Quæ omnia ſatis probant requiri materiæ præparationem ſeu debitum apparatum, priuſquam nova forma introduci queat; & conſequenter, dari materiam ſecundam.

Quid addit primæ.

3. Sed proximo loco inquirendum eſt, quid materia ſecunda primæ addit. Non profectò novam aliquam ſubſtantiam, aut novam naturam ſubſtantialem; ſed conditionem quandam ad mutationem prærequiſitam. Quam propterea, ſi lubeat, vocare poſſumus cauſam, principium, ſeu vermem corruptionis & mutabilitatis. Materiam primam ſuperiore Capite ejúſque potentiam ab imputatione principii corrùptionis vindicavimus: ſed potentiam materiæ ſecundæ, quæ mutabilis eſt, & omni mutationi quaſi præficitur, ab hac labe eluere non poſſumus. Potentia enim quæ tribuitur materiæ primæ communis ſeu indifferens eſt omnibus formis, & conſequenter eſt quoque perpetua: potentia verò ſeu aptitudo ſecundæ appropriatur formæ certi generis aut ſpeciei, quæ multifariàm eſt variabilis. Quare materia ſecunda in ſe continet vermem, nempe principium corruptionis. Hoc enim principium, quaſi vermis, præſentis formæ radicem corrodit, eâdémque operâ aditum formæ ſubſecuturæ ſternit. Ejus quoque

que proceſſus gradualis eſt, & ſenſim repit, nec deſiſtit donec vetus forma expugnetur, & nova introducatur. Hinc materia ſecunda in tres gradus diſtinguitur, in remotam, propinquam, & proximam. Materia remota continet prima rudimenta mutationis, quæ videntur cum ipſa nova forma ſe in compoſitum clanculùm intromittere; ſed adeò obſcura ſuæ præſentiæ veſtigia exhibent, ut vixdum conſpicuis notis diſcernantur. Materia mutationi propinqua manifeſtis indiciis interitum formæ præſentis minitatur, & unà conjectandi anſam de natura formæ futuræ præbet: ſed & hæc ulteriùs adhuc gradibus variatur, in quantum magis vel minùs à forma futura diſtat. Materia proxima totam vim vermis exhaurit. Etenim prioris formæ interitum, & novæ introductionem, immediatè præcedit. Quicquid ergò materia ſecunda addit primæ, id totum ſimul & actu complectitur; totum quippe prævium materiæ proceſſum ab una forma ad aliam.

4. Ut verò paucis declaremus in qua re hic vermis ſeu principium mutationis conſiſtat; exiſtimo non conſiſtere in re poſitiva, quà tali, ſed vel in cauſa defectiva, vel ſaltem in accidentali; ut in impotentia quadam materiæ ſe & formam ſuam defendendi, & appetitu ſeipſum propagandi. Eò enim quòd materia ſui auctionem ambiat, & proximam ſibi aſſimilare nitatur, neceſſariò præviæ alterationes exſurgunt: cùm verò ejus impotentia harum primis inſultibus non ſatis obſtinatè reſiſtat, fit ut demum dometur, & formâ præſente ſpolietur. Naturaliter enim nihil in inſtante, ſed ſenſim & per prævias alterationes motúſque, tranſmutatur. Forma enim motu imprimitur, ut infrà latiùs docebitur. Eſt ergò terminus motûs, & ut motu inducitur, ità motu iterum expellitur. Etſi enim materia ad certam formam, tanquam ad genuinam ſuam naturam, de præſenti determinatur; eidem tamen non adeò firmiter unitur, quin motu contrario eâdem ſpoliari poſſit. Etenim materia etiam præſente formâ mobilis eſt, & apta quæ ſe ſenſim extraneis agentibus ſubmittat: imò etiam ab intus nonnunquam iis motibus regitur qui in exitum lethalem naturaliter deſinunt. Duo itaque generalia cauſarum genera mutabilitatis materiæ aſſignari queunt; unum externum, alterum internum. Illud irritum foret, niſi hoc illi ſuo modo auſcultaret. Sed de utroque pauciſſima

Principium mutationis.

Duæ cauſæ notantur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 167 sur 591

©BIUM

Externa. advertenda. Cauſæ mutationis externæ non videntur primò intendere deſtructionem corporum in quæ agunt, ſed perfectionem. Id enim moliuntur, ut ea ſibi aſſimilent, & ſuam perfectionem iis impertiant: ex accidente verò formam præſentem, quâ fruuntur, quæque obſtat quò minùs nova forma iis implantetur, unà expugnant. Agentia naturalia, corpora intra ſphæram activitatis ſita ſibi aſſimilare nituntur: cúmque omnia hæc eâdem indole prædita ſint, fit ut quod potentius eſt in imbellius prævaleat, & in naturam ſuam tranſmutet. *Interna.* Verùm, ut dixi, hoc non eveniret, niſi ineſſet interna quædam facilitas cedendi, ſive debilitas & impotentia reſiſtendi, in materia mutata. Siquidem alia corpora faciliùs, alia ægriùs ab iiſdem agentibus diſſolvuntur: ſtramina, paleæ, leviſſimo negotio cremantur; non ſic robora, multò minùs lapides & mineralia: aurum autem ipſum ignem, agentem alioquin vehementiſſimum nobis notum, illæſum ſuſtinet; cedit tamen aquæ Regiæ & attritioni temporis. Eò verò quòd corpora externis agentibus non ex æquo afficiantur, patet, præter externum principium mutationis, dari quoque internum, nempe facilitatem cedendi, ſive impotentiam reſiſtendi. Habemus ergò generalia mutabilitatis principia, externum, & internum.

Cauſæ particulariores. 5. Dantur alii magis particulares motus, qui in certis corporibus ſpectabiles ſunt: ut, primò, deſtinatus naturæ curſus, plantis præſertim & animalibus, ab ortu præſcriptus. *1. Deſtinatus naturæ curſus.* Optimè eluceſcit in plantis annuis ſive unius anni: talium nimirum quarum vitæ proceſſus nullo infortunio aut accidente adverſo à principio ad finem fortè interpellitur. Semen in terram incidens radices agit; folia, caulem, ramos emittit; flores explicat; fructus & nova ſemina gignit; hæc demum perficit, & exareſcit. Semina enim perficiendo, ſuum ſuccum vitalem totum exhaurit: eum quippe inſumit in nutritionem ſeminum. Quid itaque ex brevi hoc vitæ curriculo plantam lucratam eſſe cogitemus? ex ſimplici ſemine in plurima conſimilis virtutis & vigoris ſe multiplicavit. Plantæ longioris ævi, ut arbores, pluribus injuriis & caſibus exponuntur; ſed multò magis animalia: alioquin verò deſtinatum quoque habent naturæ proceſſum, (perinde ac plantæ annuæ,) & extremum tandem vitæ terminum, niſi citiùs prævenian-

tur,

tur, neceſſariò attingunt. Hoc tantùm intereſt, ad plures annos eorum vita plerumque producitur, & eò pluribus infortuniis & interruptionibus obnoxia eſt; rariſſimè ſcopum, ſive ultimum terminum ab initio deſignatum, plenè aſſequitur. Vel enim externâ violentiâ, vel morbis, vel aliis calamitatibus & impedimentis, ſtamen naturalis ejus proceſſûs præmaturè interrumpitur & occatur.

6. Eſt adhuc alius motus qui multùm facit ad rerum innovationem. Vocari poteſt motus ambitionis & exaltationis. Omnia enim corpora naturalia ſe & familias ſuas augere atque ampliare nituntur. Hinc plantæ præſertim & animalia dicuntur attrahere alimenta ſibi proportionata, retinere, coquere, aſſimilare, unire ſibi. Huc etiam referamus motum congregationis ſimilaris, unionis, & miſturæ. Datur enim in certis corporibus aptitudo quædam ad mixturam cum certis aliis, & ſimul averſatio aliorum. Aurum aquam fortem contemnit, aquam Regiam imbibit. Argentum hanc negligit, illam intromittit. Cera ſubtile vitrioli oleum repellit; butyrum, pinguedines animalium, olea plantarum expreſſa, ſpontè in ſe excipit. Hæc verò & ſimilia, dum aliis rebus commiſcentur, formam ſuam priorem ſimpliciorem infringi & contemperari, modò novam magis compoſitam aſſumant, patiuntur: adeóque innovationem quandam ſuæ melioris gratiâ ultro ſubeunt. *2. Motus ambitionis.*

7. Eſt etiam motus quidam illi congregationis & unionis quodammodo contrarius, qui tendit, non ad rerum aſſociationem aut miſturam, ſed ad ſeparationem & ſeditionem partium commiſtarum. Nomino igitur motum ſeditionis, ſeu ſeditioſum. Potiſſimùm cernitur in motibus qui procedunt per viam excitationis conſimilis motûs in aliis corporibus, atque adeò in multiplicatione ſuiipſius. Motus fermentationis propriè dictæ huc ſpectat, qui plurimùm ad rerum immutationem contribuit. Sed hi omnes motus curſim hîc pertranſeundi ſunt, cùm habeant ſuas proprias ſedes in quibus plenius tractari merentur. *3. Motus ſeditionis.* *Fermentationis.*

8. Sed cauſam mutationis generalem, quæ omnes propè particulares complectitur, nomine præviarum diſpoſitionum proponimus. Prævie enim diſpoſitiones, ſi conſiderentur ſubjectivè, impotentiam & facilem ceſſionem materiæ denotant, quæ interna corruptionis cauſa defectiva eſt: ſin effectivè, *Cauſa generalis, quæ omnes particulares complectitur.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 169 sur 591

©BIUM

actionis generantis ſcopum, qui non eſt primò deſtruere, ſed ſuam formam introducere. Verùm ex accidente & ſecundariò ad iſtum motum corruptio conſequitur. Quare prævię diſpoſitiones quaſi ex accidente formam præſentem corrumpunt; at ex naturæ intentione generationem novæ, ſui ſimilem, moliuntur. Haſce prævias diſpoſitiones Ariſtoteles nomine privationis inſinuare videtur, quam in ternarium ſuum principiorum phyſicorum numerum admittit. Dices, privationem formæ introducendæ non comprehendere totum materiæ apparatum. Hic enim totus duplicem aſpectum habet: alter formam præſentem intuetur, ut ei contrarius; alter futuram, ut ei privativè oppoſitus. Privationem autem Ariſtotelis hanc poſteriorem duntaxat partem reſpicere, non priorem. Reſpondeo, poſteriorem hanc partem præparationis materiæ multò nobiliorem eſſe priore. Prior enim motus terminatur ad non eſſe, ſive ad corruptionem formæ præcedentis; poſterior terminatur ad eſſe, nempe ad generationem formæ ſubſequentis. Cùm ergò privatio ſatis appoſitè potiorem præparationis partem exprimat, facilè ei indulgeamus denominationem totius. Sed diximus modò, principium mutationis conſiſtere potiùs in potentia ſeu aptitudine materiæ ad novum motum, quæ privationi directè opponitur. Reſpondeo, potentiam materiæ ſecundæ & privationem formæ adventuræ eaſdem res inſinuare, ſed inverſo ordine, quo ſolo reſpectu opponuntur. Utraque enim includit abſentiam formæ, & aptitudinem ad eandem. Privatio autem primò dicit abſentiam, dein connotat aptitudinem: è contrà, potentia primò dicit aptitudinem, & ſecundò connotat abſentiam. Quare hi termini potiùs in modo & ordine concipiendi, quàm in rebus conceptis, diſcrepant; nec multùm intereſt ſive nomine potentiæ, ſive privationis, hoc principium repræſentemus. Sed quo jure privatio ſe in numerum principiorum ingerat? Diſtinguunt Peripatetici ſua tria, in duo componentia, materiam & formam, & tertium tranſmutans, ſeu privationem. Sed nondum conſtat quo titulo privatio ſibi nomen principii tranſmutationis arroget. Demus enim, impræſentiarum, eam proceſſum quendam dicere à non-ente ad ens. Verùm ſi rem rectè perpendamus, privatio, hoc ſenſu, eſt potiùs principium generationis quàm tranſmutationis: nam proceſſus à non-

Privatio quid.

non-ente ad ens generatio eſt. Quare omnino concedendum eſt, completum tranſmutationis principium duplicem proceſſum includere; alterum, ab ente ad non-ens; alterum, à non-ente ad ens. Siquidem tranſmutatio totum hoc, nempe interitum unius formæ & productionem alterius, complectitur. Non enim ſolam corruptionem, nec ſolam generationem, ſed corruptionem unius & generationem alterius ſimul inſinuat. Si cui jam placuerit cauſam hujus duplicis proceſſûs, ab ente ad non-ens, & à non-ente ad ens, ſive mobilitatem materiæ, ſive potentiam materiæ ſecundæ ad novos ſubindè motus, ſive privationem nominare, modò rem totam eo nomine comprehendat, mihi neutiquam diſplicuerit: quilibet pro arbitrio ſuo vel retineat vel dimittat ſuum (ſive magis ſive minùs proprium) loquendi modum.

Mutatio perfectiva, & defectiva.

9. Saniores Philoſophi migrationem formarum è ſubjecto in ſubjectum jure negant: Verùm migrationem materiæ, ſive ejus tranſitionem à forma ad formam, de qua hactenus loquuti ſumus, communi conſenſu agnoſcunt; cámque quotidiana quoque experientia confirmat. Hâc igitur ſuppoſitâ migratione, eam dividimus in perfectivam, & defectivam. Migratio perfectiva eſt, cùm materia ad nobiliorem ſeu perfectiorem formam exaltetur: defectiva, cùm ad ignobiliorem deprimatur. Succus nutritius terræ ad nutritionem plantarum allectus, ipsâ mutatione nobilitatur. Gramina & herbæ ſimiliter nobili proceſſu à vita vegetativa ad animalem evehuntur. Animalia contrà morientia turpi degradatione in cadavera degenerant. Dices, non rectè fundari hanc migrationis diviſionem: quia revera migratio perpetuò eſt defectiva reſpectu formæ intereuntis, & perfectiva reſpectu formæ genitæ. Reſpondeo, migrationem non dici defectivam aut perfectivam reſpectu formæ pereuntis, ſed reſpectu ſubjecti ſeu materiæ migrantis, ut & reſpectu ipſius præparationis quâ diſponitur ad novam formam. Cùm enim forma præſens abſque introductione conſtitutionis aut qualitatis ignobilioris expellatur, materia non degradatur, ſed ulteriore perfectione in ordine ad digniorem formam imbuitur. Nam forma nobilior à generante, aſſimilando materiam perfectiori quàm quâ antea fruebatur naturæ, introducitur. Materia itaque in hoc tranſitu non degradatur, ſed præparatione perfectivâ coaptatur ad

©BIUM

ad eſſentiam eminentiorem ſuſcipiendam. E contrà, in migratione defectiva materia præparatur inducendo conditiones prævias ignobiliores, quibus conformis & idonea reddatur ignobiliori naturæ inferendæ. Rectè itaque dividitur migratio materiæ in perfectivam, & defectivam, non ſolùm reſpectu termini ad quem, nempe formæ nobilioris vel ignobilioris acquirendæ, verùm etiam reſpectu ipſius tranſitûs & apparatûs materiæ ad earum alterutram reſpectivé. Proportionatur enim via ad terminum ad quem tendit. Forma terminus eſt præparationis: ſi illa nobilior ſit, hæc proportionali nobilitatione materiæ gradatim perficitur: ſin ignobilior, proportionali degradatione fit. Dices, formam omnem, etiam vel viliſſimam, reſpectu materiæ perfectionem eſſe, neque eam rectè dici eo motu degradari quo aſſequitur ſuam perfectionem. Reſpondeo, omnes corporum ordines eſſe in ſua ſpecie perfectos: nihilominus ſpecies eorum inter ſe collatas eſſe alias aliis nobiliores atque perfectiores. Cùm enim dicamus viliſſimam ſpeciem eſſe in ſuo genere perfectam, intendimus nullam ei eſſentiæ partem tali ſpeciei debitam deeſſe: & hoc ſufficit ut dicatur perfecta in ſuo genere. Interim in ignobiliori ſpecie multum perfectionis, quod in nobiliori reperitur, deſideratur. Sed, inquies, non requiritur ad eſſentiam ignobilioris. Eſto; & conſequenter eſſentia ejus ignobilior eſt eâ alterius. Ubi enim eſſentia æquè nobilis eſt, proportionatas poſtulat virtutes & operationes: ubi autem tales non requirit, ſignum eſt eſſentiam eſſe ignobiliorem. Rectè itaque dicitur materia exaltari, cùm ad nobiliorem formam promoveatur; & degradari, cùm ad viliorem. Sed hæc de Materia ſecunda.

Materia formata quid.

10. Materia formata eſt tertius & ultimus inadæquatus materiæ conceptus. Dupliciter autem accipi poteſt: vel, ut ſimul includens formam, & ità eſt ſubſtantia completa, & idem quod corpus phyſicum in genere: vel, ut formæ contradiſtincta, & ſic eſt adhuc materia incompleta, & pars corporis. Hoc poſteriore ſenſu hîc conſideramus, éſtque ipſa ſubſtantia materiæ quatenus ea præſentem formam unà cum omnibus proprietatibus & accidentibus ejuſdem, & formam quidem immediatè, proprietates verò & accidentia mediante formâ, causâ eorum proximâ, ſuſtinet. Cùm ergò materia formata ſit genuinum & naturale ſubjectum ipſius formæ, non exiſtimandum

mandum eſt illam unquam ſponte hanc deſerere, aut affectare innovationem: imò gnaviter eam præſentem tanquam ſuam naturam propugnare, nec ab ejus defenſione omnimodo deſiſtere, donec à potentiore agente debelletur. Quanquam enim frequenter fit ut agens extraneum qualitatem (aut aliud accidens) indoli formæ parùm congruam vi introducat; amotâ tamen actione violentâ, materia iterum formæ obſequitur, & paulatim redit ad ſtatum naturæ conformem, extraneúmque accidens excutit: ut aqua ad ignem calefacta, ab hoc amota mox redit ad nativam frigiditatem, & calorem, ut naturæ ſuæ peregrinum, dimittit. Si quâ verò in materiam formatam à fortiore agente diſpoſitiones formæ præſentis corruptivæ inurantur, non propriè tribuendæ ſunt huic inadæquato materiæ conceptui, ſed priori, quippe materiæ ſecundæ, ad cujus notionem non tantùm veteris expugnatio, ſed & omnis apparatus ad novam formam, ſpectat. Atque hæc de tertio materiæ inadæquato conceptu.

Adæquatus materiæ conceptus reſumitur.

11. Jam verò conceptus materiæ adæquatus, ſive materia ſine alia limitatione aut ſpecificatione ſumpta, hos tres inadæquatos uno conceptu confuſo quodammodo complectitur. Neque enim primam à ſecunda, neque ſecundam à formata diſtinguit; ſed hanc vel illam magis reſpicit, prout ſcopus ſententiæ ad hanc vel illam innuendam magis dirigitur. Ut ſi dixeris, materiam eſſe ultimum fulcimentum omnium rerum materialium; etſi materia ſine reſtrictione enunciatur, ſcopus tamen ſententiæ oſtendit id convenire materiæ merito materiæ primæ. Similiter ſi dixeris, materiam, Protei inſtar, in omnes formas ſe tranſmutare; hoc competit materiæ gratiâ materiæ ſecundæ. Tertiò, ſi dixeris materiam immediatè in ſuo ſinu fovere atque ſuſtentare formam ſuam; verificatur de materia formata. Hinc colligitur, id quod de materia indiſcriminatim, hoc eſt, de ea integre & confusè concepta, dicitur, verum eſſe, ſive ei competit gratiâ materiæ primæ, ſecundæ, aut formatæ; neque neceſſe eſt ut omnibus hiſce conceptibus ſimul quadret. Fit autem ut aliquando duo inadæquati conceptus jungantur, omiſſo tertio: ut, Materia eſt ſubjectum omnis mutationis: materia ibi ſimul comprehendit primam & ſecundam. Item, Materia perpetua eſt, ſed ſuſtinet formam perituram: intenditur ſententia de ma-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 173 sur 591

©BIUM

teria prima & formata junctis, omisså secundâ. Similiter in his verbis, Utcunque materia mutationi obnoxia sit, fovet tamen in se præsentem formam quamdiu ea supereſt, conjunguntur materia secunda & formata, missâ primâ. Denique, in hac sententia, Materia, quæ in se perpetua est, fovet in suo sinu formam caducam, quòd ejus dispositio ad eandem sustentandam mobilis sit, complicantur omnes tres inadæquati conceptus materiæ; ut advertenti notum est. Materia in extensa hac significatione adæquatè opponitur formæ materiali. Hæc enim nec soli materiæ primæ, nec soli secundæ, nec soli formatæ, sed hisce omnibus complexè sumptis, contradistinguitur. Hinc quoties materia formæ opponitur, sine restrictione sumitur. Sic enim ei ex adverso adæquatè respondet.

Materiæ acceptiones inutiles.

12. Sunt adhuc aliæ acceptiones materiæ, sed inutiles, si non etiam falsæ; quas tamen à corpore in genere nonnulli, sive per modum partium, sive per modum inadæquatorum conceptuum, desumunt. Putant enim aliqui substantiam materialem componi ex duabus incompletis substantiis, alterutrâ suo marte subsistente. Sed hoc à nobis mox refutatur, quòd forma materialis careat fundamentali subsistentiâ propriâ. Secundò, aliqui dividunt corpus in puram potentiam, & actum: & materiam volunt esse puram potentiam; formam, actum ejusdem. Concedendum est, aptitudinem materiæ ad ulteriorem perfectionem physicam esse potentiam quandam materiæ, eique respondere formam ceu actum: sed qui sub hoc prætextu materiæ exsistentiam ac subsistentiam propriam negant, halucinantur, ut ex dictis superiore Capite satis liquet. Tertiò, aliqui dividunt corpus in principium activum & passivum: & activum, formam; passivum, materiam nominant. Sed gratis fingitur hæc distinctio. Siquidem in rebus finitis, idem principium quod activum est, eo ipso quòd activum, est quoque passivum. Actio enim finita non agit irresistibiliter, sed obnoxia est reactioni, vel saltem renitentiæ patientis. Patiens enim non sponte alteratur, sed suam stationem tueri conatur. Cùm ergò actio cogens finitæ virtutis sit, necesse est plùs minúsve infringatur, minorémque motum inferat, quàm aliàs actionis magnitudo postulet. Quare in creaturis nec datur actio pura, cui nihil passionis,

aut

aut passio, cui nihil actionis admixtum sit. Porrò, actiones & passiones distinguendæ sunt in communes, & specificas seu proprias. Actiones communes subdividuntur in communes omnibus corporibus, & certis corporum generibus. Hæ formis subordinatis appropriantur; illæ, materiæ primæ. Omnes enim actiones perpetuæ ad materiam primam pertinent; ejus est, se perpetuò percipere, appetere, seu amare & tueri. Quod ad actiones caducas attinet, eæ quæ ab accidentibus violenter introductis dependent ascribendæ videntur materiæ, cujus est, iis mediantibus operari: ut calefactio quæ oritur ab aqua calida non provenit à forma aquæ, sed à materia, mediante calore, præter naturam aquæ inhærente. Sed quòd forma sit principium tam passivum quàm activum, ex eo evidentissimè evincitur, quòd forma frequenter vim ab externis agentibus patiatur, & ab iisdem tandem planè destruatur. Rejectis itaque his acceptionibus materiæ & formæ, proximo loco ad genuinam hujus essentiam investigandam deveniendum est.

Cap. IX.

De Forma physica materiali.

Perperæ descriptiones formæ notantur.

1. Forma dividitur in immaterialem, & materialem. De illa hîc agere non est animus, sed solummodo de hac. Philosophi ferè qui de forma physica scripserunt videntur paradigma, ad cujus imitationem eam describant, ab anima rationali desumere. Quanquam enim agnoscunt esse materialem & corruptibilem; ità tamen de ea loquuntur quasi esset res realiter subsistens, & per analogiam ad spiritualem substantiam incompletam concipiunt. Hinc formas plantarum & brutorum vegetativam & sensitivam animas vocant; quasi forent umbratiles quædam substantiæ vivæ, sive materiales umbræ viventes, nempe vitæ subjecta subsistentia. Eodem fortasse errore ductus olim Pythagoras formarum migrationem à materia ad materiam somniavit: & hinc quoque verisimile est alios nonnullos creationem & annihilationem

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 175 sur 591

©BIUM

formarum in ſuas philoſophias invexiſſe. Fateor, cùm primùm ad Phyſicæ ſtudium animum appuliſſem, multum moleſtiæ & difficultatis mihi creâſſe notionem formæ phyſicæ. Cùm enim duces quos elegeram negarent eſſe figuram, ſive externam ſive internam, aut aliud accidens, ſimúlque aſſererent eſſe ſubſtantiam quandam valde activam, eſſe principem partem cujuſvis corporis, eíque dare eſſe; cujuſmodi ideam ejuſdem in mente formarem planè neſciebam. Credibile eſt alios, de eadem re ſolicitos, pari præjudicio in fingenda formæ phyſicæ idea irretitos fuiſſe: imò adhuc plurimos vulgares formarum deſcriptiones naſo ſuſpendere & ſtomachari. Priuſquam igitur quæſtionem præliminarem (An ſit) de ea propoſuero, operæpretium viſum eſt, paucis in genere quid per formam phyſicam intelligendum ſit, ſaltem quid non ſit, aperire.

Quid ſit forma, quidque non.

2. Præmoneo igitur, per formam phyſicam me non intelligere ſubſtantiam aliquam fundamentali ſubſiſtentiâ præditam, neque quidem nudam proprietatem, multò minùs accidens commune: ſed naturam quandam energeticam naturæ materiæ primæ additionalem, eámque ad certam legem normámque eſſendi & operandi determinantem, & ex parte naturæ complentem. Dices, naturam eſſe formam totius, & formam phyſicam eſſe formam partis, & conſequenter hanc per illam non rectè exponi. Reſpondeo, naturam quæ eſt forma totius includere tam naturam materiæ quàm formæ, hoc eſt, completam eſſentiam totius: naturam verò quæ eſt forma phyſica dicere tantùm partem totius eſſentiæ, ob quam cauſam vocatur forma partis. Hinc ego quoque non ſimpliciter naturam, ſed vel naturam additionalem, vel complentem, vel mutabilem nomino; quibus epithetis ſatis reſtringitur ad formam partis. Natura enim materiæ de ſe incompleta eſt & interminata. Requirit igitur naturam additionalem, quâ in ratione naturæ terminetur & compleatur: quam additionalem naturam formam phyſicam voco. Quamvis igitur, ut dixi, forma non ſit, propriè loquendo, ſubſtantia; eſt tamen natura energetica alicujus ſubſtantiæ, cujus ſpecificam indolem & genium continet. Vocari autem ſolet natura ſubſtantialis, & forma ſubſtantialis, ſed non propriè, nimirum non quòd fundamentali ſubſtantiæ eſſentiâ donetur; ſed impropriè

propriè & tranſcendenter, ſcilicet quòd ſit prima & intima affectio, conſtitutio, ſive natura energetica talis ſubſtantiæ. Paulò enim minorem habet aliàs cognationem cum abſolutis ſeu terminatis accidentibus quàm cum ſubſtantiis ipſis, ut ex ſuo loco dicendis patebit. Forma ergò eſt natura energetica, quatenus ea contradiſtinguitur naturæ fundamentali materiæ; ſed non eſt tota natura energetica cujuſvis corporis, ſed ejus pars duntaxat mutabilis ſeu additionalis, quâ corpus certi generis aut ſpeciei eſſentialiter conſtituitur, & ab omnibus aliis diſtinguitur. Materia enim prima continet naturam fundamentalem, nempe ſubſiſtentiam fundamentalem, & naturam energeticam ſuam incompletam. Jam verò forma ſubſtantialis eſt iſta pars naturæ energeticæ quæ incompletam hanc materiæ naturam complet. Complet (inquam) ex parte naturæ, non ex parte completæ individuationis, cujus principium, ut ſuprà monſtravi, eſt ſubſiſtentia modalis, de qua hîc nihil ulteriùs exſpectandum. Hîc igitur agimus de illa additionali natura quæ incompletam materiæ primæ naturam in ratione naturæ complet: & primò quærimus *An ſit.*

An detur forma phyſica.

3. Metaphyſicus noſter Suarius hanc quæſtionem ſusè tractat Diſp. 15. ſ. 1. & quidem plurimis argumentis, quòd datur forma phyſica, evincere conatur. Primò, ex compoſitione hominis ex anima & corpore. Sed diſpar ratio eſt; quia anima rationalis non dependet à materia, ſed eſt ſubſtantia ſpiritualis, quæ non per modum inhærentiæ, ſed alio modo, materiæ unitur. Quare argumentum non tranſcendit probabilitatem analogiæ, talis nimirum quæ intercedit inter animam humanam & animas brutorum. Sed & hæc ipſa analogia facit ad irritam & perverſam formæ materialis ideam eliciendam, ut ſuprà monui. Secundum argumentum nihilo efficacius eſt. Ducitur ab aqua calida, quæ ſibi permiſſa redit ad naturalem frigiditatem. Hanc enim reductionem, formæ, qualitatem naturæ ſuæ alienam expellenti, imputat. Verùm calor eſt motus, qui ſublatâ cauſâ movente ſponte ceſſat, nec ſufficientem ſuſpicandi, formam ſubeſſe, anſam dat. Alia plura argumenta ab accidentibus deducta eodem loco ſubnectuntur, quæ ſuam (quam non ſuperant) probabilitatem per me habeant. Adfert

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 177 sur 591

©BIUM

fert etiam argumenta à causis formæ, quæ nº.16,17,18,19.latè prosequitur. Quæ tamen omnia, nisi quatenus vim suam ab unica hujus rei demonstratione mox subtexenda mutuantur, suadere licèt volentem possint, non tamen nolentem cogunt.

Unico argumento forma monstratur, viz. transmutatione.

Etenim, uti arbitror, unicum argumentum est quod formam dari efficaciter probat, idque ducitur à substantiali corporum mutatione. Si enim corpora non mutentur substantialiter, frustrà ponuntur formæ. Satis est, materiam variare partium situm & alia accidentia, variásque adeò apparentias sibi ascischere. Qui existimant elementa non invicem transmutari, præter causam iis adscribunt formas. Cui enim usui inservit additionalis natura mutabilis, ubi nulla unquam mutatio futura, formáve nova addenda, aut vetus abolenda sit? Nonne satis est dixisse, esse corpora simplicia, & tot esse materiarum primarum genera, quæ quidem secundùm varias mixturas varia mista, æquè ac si fingeremus esse corpora ex materia & forma composita, producerent? Illi verò qui agnoscunt elementorum transmutationem coguntur unà fateri ea habere naturas additionales, quæ de novo produci & postea corrumpi possunt. Si enim elementa transmutentur, eorum naturæ mutantur. Quid enim est transmutari? Non est annihilari. Manet ergò subjectum, & natura sola innovatur. Quum natura mutatur, omnes operationes & facultates ab ea pendentes unà mutantur. Helmontius vehementer in hac arena sudat, *omnia fieri ex aqua.* Quare, secundùm eum, *aqua est materia prima.* Et varias naturas, modò olei, modò salis, modò spiritûs macri, modò spiritûs pinguis, modò terræ, induere permittit. (Ut taceam hîc seminales naturas, quas etiam complectitur.) Sed quanta de spe & quàm subitò excidit! Aqua enim, his concessis, manifestè non est materia prima, sed materia naturata, composita scilicet ex materia primâ & natura aquæ. Quæro enim, ubi aqua fit terra, an retineat sibi naturam aquæ. Si non, orbatur titulo materiæ primæ, quæ nunquam naturam mutat. Sed aqua nihilominus continere in se potest materiam primam, utpote subjectum in hac transformatione permanens. Cùm enim aqua mutetur in terram, hæc vicissim in illam, natura sola mutatur, materia eadem permanet. Quocirca Helmontii operâ satis asseruimus veram materiam primam: aquæ scilicet, terræ, &

An omnia fiant ex aqua.

cujusvis

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 178 sur 591

cujuſvis elementi communem materiam, eſſe ipſam primam; naturam verò ſingulis propriam eſſe mutabilem,& ſpectare ad partes formæ. Ipſe videat an ſententiæ ſuæ ſatis conſuluerit.

Mutatio monſtratur.

4. Dices,quamvis Helmontius agnoſcit elementorum tranſmutationem, hoc tamen omnibus aliis non perinde placere. Reſpondeo, experimenta & argumenta Helmontii ex hac parte ſuum habere pondus: verùm impræſentiarum, ſive obtineant ſive ſecùs, meâ non magnopere intereſſe. Siquidem aliunde ſuppetit quo ſententiam iſtam ſatis confirmemus. Mittamus ergò tranſmutationem elementorum, & noſmet conferamus ad familias miſtorum; mineralium, plantarum, & animalium. Non dubium eſt quin mineralium naturæ inter ſe diverſæ ſint; metalla à lapidibus, bitumine, marchaſitis, glebis,&c. differre; imò & metalla inter ſe, ut & cætera mineralium genera, in ſpecies & naturas diverſas diſſilire: ſed dubitant aliqui an mineralia inter ſe tranſmutentur. Certiſſimum eſſe arbitror, dari ex his multa factitia, quæ ex aliis ritè inter ſe compoſitis aut diviſis exſurgunt: & veriſimile ſaltem eſt, potentiora majoréque copiâ congeſta mineralia poſſe in mineris ſuis ſuccos terræ à ſe diverſos in naturas ſuas convertere. Sed prætereamus quoque metalla, de quorum tranſmutatione aliquis fortaſſe dubitet. Ad plantas accedamus. Succum è terra (qui omnes propè alias plantas utcunque diſſimiles, eidem inſertas, ſimiliter nutriat) hauriunt, & in propriam naturam coquunt. Datur ergò ſpecierum & naturarum mutatio. Sed plantas comparemus cum animalibus. Nemini dubium eſſe poteſt, quin admodum diverſo genio & naturâ diſcriminentur: atqui herbæ in pabulum pluribus animalibus cedunt, & in eorum carnes faceſſunt. Componamus nunc animalia inter ſe. Quis eſt tam perfrictæ frontis,ut negaverit lupum ab agno,canem à lepore,accipitrem à columba,araneam à muſca,leonem ab apibus,equum à ſcarabæis,&c. naturâ diſcrepare? Lupus agnum, canis leporem, vultur columbam,aranea muſcam devorat, & quilibet in ſuæ reſpectivæ naturæ augmentum digerit. Leo moriens in apes, (ut vulgò creditur,) equus in ſcarabæos degenerat: ſed profectò omnium animalium cadavera, & inprimis inhumata, vermibus in eſcam deſtinantur. Natura agni tranſmutatur in naturam lupinam, columbæ in eam vulturis, &c.

Sed

©BIUM

Sed quando mentionem fecimus corruptionis corporum, contemplemur dissolutiones plantarum & animalium in sua elementa, aquam, spiritum, oleum, salem, & terram. Non hîc refert sive dicamus hæc fuisse elementa in misto præexsistentia, sive esse de novo ab igne ex modo dissolutionis genita: satis est esse novas naturas prout seorsim à misto stant. Olei enim natura manifestè ab ea aquæ, salis, terræ, ut & misti ex quo extrahitur, distinguitur. Datur ergò mutatio naturarum. Adhæc, consideremus animalium mortem, & præsertim subitam eam mactatorum. Animal vivum cadaveri quid interest? Quis audet dicere naturam, priùs generosam, momento non esse mutatam & degenerem factam? Sed tædio forem si hæc manifestissima ulteriùs persequerer. Inferendum est materiam manere, naturam mutari: cúmque per formam physicam nihil aliud intelligam nisi naturam materiæ mutabilem, datâ hâc, unà conceditur & illa. Concludam igitur, dari formam physicam materialem.

An forma sit substantia.

5. Jam proximo loco investiganda est ipsa quidditas hujus naturæ sive formæ: & primò quæro, an sit substantia. Hanc rem tractat Suarius prolixè Disp. 34. s. 5. nº. 42, &c. Verùm substantia distinguenda est. Vel enim sumitur latè seu transcendenter, vel strictè & prædicamentaliter. Priore modo omnia rudimenta substantiarum vocantur substantialia, quòd ad complementum substantiæ faciant. Posteriori, ea sola quæ suo marte subsistunt substantiæ audiunt. Hæc posterior significatio propriè dictam substantiam denotat. Sive enim substantia deducitur à *substando*, sive à *subsistendo*, utrovis modo insinuat eam esse ultimum creatum fundamentum seu fulcimentum suiipsius. Quare unio substantialis, suppositalitas, & natura materiæ additionalis, non perpetua, seu forma physica, non sunt propriè dictæ substantiæ, sed rudimenta seu complementa substantiarum. Non enim superveniunt substantiis completè priùs constitutis; & consequenter ad eas vel constituendas, vel saltem complendas, conspirant. Quòd verò forma materialis non subsistit, ex eo colligitur, quòd motu producitur, & motu destruitur. Etenim quod ultimum suiipsius fundamentum est, repugnat ut habeat aliud fundamentum creatum ex quo fiat. Si enim ultimum sit, aliter mutari nequit quàmper annihilationem. Nam ultimi fundamenti

fundamenti deſtructio annihilatio eſt, & ultimi fundamenti productio eſt creatio. Deſtructo enim ipſo rei fundamento, nihil ſupereſt; & contrà, productâ re funditus de novo, nihil ejus præfuit, ut per ſe notum eſt. Quod autem motu producitur præſupponit ſubjectum quod movetur, & in quod id quod motu fit ſuſcipitur. Cùm enim forma materialis è materia ceu ſubjecto (ut omnes fatentur) motu educatur, ſive in materiam motu imprimatur, & motu deleatur; certiſſimum eſt eam non eſſe ultimum ſubjectum ſuiipſius, ſed eſſe per inhærentiam in alio. Si enim ſuſtentaretur per propriam entitatem, ſeparata à materia permaneret. Non enim in ſe includeret neceſſitatem ſuſtentationis ab alia creatura. Quare (cùm à materiæ ſuſtentatione non dependeret) æquè à materia ſeparata, ac in materia, ſuſtentaretur. Quid ergò, hoc dato, obſtat quo minùs in caſtra Pythagoræ rectà pergamus? Sed forma materialis pro certo mutabilis eſt, ut ex ſuprà dictis conſtat. Quærit ergò ſubjectum in quo per viam inhærentiæ ſuſtentetur.

Formam conſtituere ſubſtantiam.

6. Dices, ſi forma non ſit propriè dicta ſubſtantia, eam non componere ſubſtantiam. Reſpondeo, non neceſſe eſſe ut rudimenta rei ſint ejuſdem rationis cum toto; imò in pauciſſimis hoc evenit: nempe corpora ſimilaria ex partibus ſimilibus conficiuntur, verùm non item alia: leo non ex leonibus, nec canis ex canibus componitur; ſed ex carnibus muſculoſis, oſſibus, membranis, &c. Similiter natura leonis componitur ex natura fundamentali materiæ, & natura additionali ſeu ſpecifica formæ: hæc verò non eſt ejuſdem rationis cum illa, nec includit in ſe ſubſiſtentiam fundamentalem; ſed talem quæ eſt per inhærentiam & modificationem ſui fundamenti. Natura materiæ ſubſiſtens fundamentum eſt in quo natura formæ illam complens inhæret. Si enim materia materiæ adderetur, altera alteram in ratione naturæ non compleret, ſed duntaxat altera alterius molem augeret. Forma verò adfert novam naturam energeticam, & materiam ad ſpeciem completam (non per modum mixturæ, ſed per modum naturalis inhærentiæ affectionis eſſentialis in ſuo naturali ſubjecto) contrahit. Dicitur autem ſubſtantialis, quia eſt prima affectio ſeu natura additionalis immediatè in materia radicata; nempe intimè inhærens in ipſa ejus ſub-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 181 sur 591

©BIUM

ſtantia: quia verò eſt iſtius ſubſtantiæ natura, utcunque adventitia, eam complet & contrahit ad ſpeciem, hoc eſt, conſtituit compoſitum phyſicum. Compoſitum enim nihil aliud eſt, niſi materia per ſuam additionalem naturam ad ſpeciem contracta, & cum eadem concretè ſumpta ut unum per ſe.

Communitates inter formas & accidentia. Prima.

Secunda.

7. Sed ut clariùs innoteſcant communitates & differentiæ inter formas & accidentia, de iis pauca advertenda ſunt. Prima communitas eſt, Non tantùm accidentia, ſed & formas materiales, motu produci, motúque contrario eradicari. Sed de hac re mox dicetur, ubi deventum eſt ad ortum & interitum formarum expendendum. Secunda communitas eſt, Tam formas materiales quàm accidentia eſſe per ſe ineſſe ſeu inhærere. De inhærentia accidentium nemo dubitat. Suarius verò, de cauſalitate materiæ agens Diſp. 13. ſ. 9. nº. 9, 10, 11, 12. conſtanter docet, formam materialem eſſe per inhærentiam; idémque Diſp. 34. ſ. 5. nº. 42. probat. Et nos quoque eandem ſententiam modò vindicavimus: nimirum ex eo, quòd formæ motu generentur motúque corrumpantur, &c. Quare inhærentia eſt conditio formis materialibus & accidentibus quodammodo communis.

Tertia.

Tertia communitas eſt, Quòd tam forma ſubſtantialis quàm accidentalis ſit ens entis, ſive ens alterius, & modus afficiens. Materia enim eſt materialis cauſa formæ, ut ſubjectum eſt accidentis. Quare forma eſt additionalis natura materiæ. Etenim ut ſubjectum poſſidet ſuum accidens, ità materia poſſidet ſuam formam, & tota dignitas formæ in materiam (eam nè in nihilum ruat ſuffulcientem) quodammodo transfertur. Operationes quoque formæ (quanquam non immediatè) materiæ ultimò debentur. Materia enim operatur per ſuam formam, quam in ipſa operatione ſuſtentat, formæque naturam pro ſua agnoſcit; & quicquid formæ favet materiæ naturale eſt. Eſt ergò forma natura materiæ pro tempore, ſive eſt modus materiam naturaliter afficiens. Ut igitur accidentia ſubjecto amica ſuam naturam accidentalem ei impertiunt, (ut natura albedinis eſt accidentalis naturâ ſubjecti albi;) ità formæ ſuſceptæ natura evadit natura materiæ, & ejus naturam aliàs incompletam complet, ei nimirum additionem propriam naturalem ejúſque potentiæ conformem ſufficiens.

Sed

Sed hæc de communitatibus inter formas & accidentia.

8. Eſſentiales & accidentales formæ inter ſe differunt, *Differentiæ inter formas & accidentia.*
1. Quòd hæ uniuntur ſubjecto priùs quoad eſſentiam completè conſtituto, & conſequenter non ingrediuntur compoſitionem eſſentiæ ſubjecti: illæ verò uniuntur ſubjecto priùs incompleto, idémque eſſentialiter complent. *Prima.* 2. Formæ non introducuntur in materiam donec forma præcedens eradicatur: ſed accidentia & proprietates præſupponunt formam introductam priuſquam emergunt. *Secunda.* Quanquam enim ordine temporis forma & proprietas ſimul dicantur; ordine tamen naturæ illa hanc præcedit, & hæc ab illa dependet. Idem propè dicendum eſt de accidentibus quibuſdam communibus, quæ ordine temporis formas præcedunt, ſed his ſuperveni-entibus, illa ab iis ordine naturæ dependent. 3. Formæ cor- *Tertia.*
pora ſpecificant, & ab omnibus aliis *primò* diſtinguunt: Proprietates quoque ſpecies diſtinguunt, ſed non *primò & radicaliter.* Quod enim *primò* diſtinguit, id etiam conſtituit. Res enim ab alia non primò diſtinguitur per aliam entitatem præter eam per quam ipſa eſt. Id enim per quod ens eſt unum & idem ſibi, per idem non eſt aliud à ſe. Impoſſibile enim eſt ut aliquid ſit unum & idem ſibi, ſimúlque diviſum à ſe, aut non diviſum ab aliis. Cùm ergò omne ens quà ens ſit unum, neceſſe eſt per ſuam propriam entitatem ab aliis *primò* diſtinguatur; & conſequenter quod *primò* diſtinguit, etiam conſtituit. Proprietates verò, quòd non conſtituant ſubſtantias, eas non *primò* diſtinguunt, ſed datur aliquid prius, quippe forma, quod conſtituit. Sed hæc de differentiis inter formas materiales & accidentia.

Cap. X.

De Cauſis formæ: & primò de Materiali.

1. Proximè accedendum eſt ad formarum cauſas, Materiam, & Efficientem: (nam de Finali hîc non magnopere ſumus ſoliciti.) Materialis cauſa formæ eſt materia ab efficiente ſubacta, hoc eſt, præviis diſpoſitionibus ſeu affecti- *Formæ cauſa materialis.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 183 sur 591

Quæ duplex.

onibus ultimè præparata. Verùm ipsa causatio materiæ duplex est, activa, & passiva. Et activa quidem aliquo modo ad efficientem revocari potest: sed tunc efficiens causa in internam & externam distinguenda est. Externa nomen efficientis retineat; interna sit causa materialis activa. Hoc ex eo monstratur, quòd materia non tantùm passivè, sed & activè (ut infrà patebit) ad formæ eductionem concurrat. Etenim in ultimo actu præparationis non tantùm apta est formam quasi ab extrà venientem suscipere, verùm etiam eam ultro ab intus è suo penu & potentia educere. Hæ duæ causationes suis nominibus donantur. Activa, eductio formæ, necnon generatio interna; passiva, sustentatio & suffulsio ejusdem audit. Sed & alterutra causatio dupliciter exprimitur, vel directè, quatenus respicit materiam; vel per connotationem, quatenus intuetur formam. Priore modo appellatur eductio, sustentatio & suffulsio formæ. Causa enim materialis non tantùm formam educit, sed & suâ fundamentali subsistentiâ eductam sustentat & suffulcit. Posteriore, insinuatur nomine dependentiæ & inhærentiæ formæ. Nam, ut inquit Suarius Disp. 13. s. 9. nº. 5. *causatio ipsa ut sic duplicem illam habitudinem essentialiter includit, ad causam ut ad principium, & ad effectum ut ad terminum: ideóque utrumque denominat, alterum causans, alterum causatum.* Quare eductio & sustentatio formæ dicunt causationem ejus quatenus provenit à materia causante; sed dependentia & inhærentia eandem connotant quatenus terminatur in formam causatam. Hinc materia dicitur educere & sustentare; forma, dependere seu educi, & inhærere. Etenim ut educere & suffulcire formam est causare entitatem ejus; ità dependere ab, & inhærere in, materia, est mutuari suam entitatem à materia. Quare perinde propè est respectu rei intentæ, sive dixeris formam dependere à materia, sive causari ab eadem; & similiter, sive inhærere in, sive suffulciri à, materia: utrobique enim respectivè intenditur materiam esse internam causam, sive activam sive passivam, formæ. Tantùm eductio & sustentatio magis directè, illa activam, hæc passivam, materiæ causationem exprimunt: dependentia autem & inhærentia quasi obliquè, & per quandam connotationem, eandem denotant. Perpetuò autem significatur materiam esse continentem seu materialem causam entitatis formæ.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 184 sur 591

formæ. Hîc etiam distinguere possumus primam eductionem formæ à permanentia ejusdem. Prima enim eductio è potentia materiæ generatio materiæ dicitur; permanentia ejusdem causationis (secundùm nonnullos, sed impropriè) inhærentia & sustentatio formæ audit. Tandem hîc distinguamus materiæ causalitatem, seu virtutem causandi, ab actuali causatione. Illa potentia dicitur; hæc, actualis eductio formæ, aut continuatio ejusdem: vel aliter, & frequentiùs, causalitas materiæ latiùs sumitur, & tam actum causandi, sive primum sive continuatum, quàm virtutem, complectitur.

In qua re causalitas materiæ consistit.

2. Quæri hîc potest, in qua materiæ entitate causalitas ejusdem consistat. *Dicunt* (inquit Suarius, Disp. 13. s. 9. n°. 1.) *aliqui, causalitatem materiæ nihil aliud esse quàm ipsammet materiam, quæ seipsam exhibet composito, & per seipsam sustentat formam: quia ejus causalitas non consistit in productione alicujus rei à se distinctæ, sicut causalitas Efficientis; sed in hoc solùm, quòd seipsam præbet suo effectui. Sed hæc sententia vera esse non potest. Nam licèt verum sit, materiam non aliter causare quàm sustentando aut componendo id quod causat: nihilominus hoc quod est sustentare, aut componere, aliquid est in re ipsa distinctum ab ipsa materia. Nam potest materia esse in rerum natura, & non causare hanc formam, vel hoc compositum; & successivè variare causalitatem suam circa varios effectus, manente invariatâ entitate ejus. Ergò causatio ipsa aliud est ab ejus entitate.* Revera evidentissimum est, eam materiæ causationem quâ ad hanc vel illam specificam & numericam formam educendam determinatur, non spectare ad conceptum materiæ primæ; siquidem hic conceptus præcidit ab omni re caduca, & nihil sibi retinet nisi quod perpetuum est & immutabile. Cùm ergò determinata hujus vel illius formæ causatio sit mutabilis, certissimum est non spectare ad conceptum materiæ primæ, & consequenter pertinere ad materiam secundam, vel formatam: & quidem in ipsa eductione formæ, ad materiam secundam; sed illâ factâ, ad materiam formatam. Hinc etiam manifestè evincitur, idem quod probat Suarius, actualem materiæ causalitatem aliquid addere conceptui materiæ primæ; quod quid sit, intelligi nequit, aliter quàm ut exprimitur per præviam dispositionem ad certam formam, aut aliquid indè ortum ad partes materiæ spectans. Omnes propè consentiunt, ad formarum eductionem

Causalitatem aliquid addere conceptui materiæ primæ.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 185 sur 591

©BIUM

prævias disposítiones requiri ; sed nullam cujusvis rei ad partes materiæ spectantis mentionem faciunt. Ego fateor me non tantùm prævias disposítiones, sed & concursum trium primarum facultatum, materiæ ad eductionem formæ necessaria putare. Verùm fortasse non opus fuerit de his distinctè agamus ; siquidem conjunctim satìs appositè explicentur. Supponatur materia prima omnium formarum indiscriminatim capax esse ; materia secunda determinari ad certam formam potentialiter ; formata, ad certam actu. Hæc determinatio potentialis & actualis vel aliquid addit conceptui materiæ primæ, vel nihil. Si nihil, ratio reddi nequit quorsum materia dicatur determinari. Quin manet indeterminata, quia nihil innovatur. Nam certè determinatum & indeterminatum in aliqua entitate, sive reali sive modali, differunt ; & consequenter quod ex indeterminato fit determinatum, per aliquid additum determinatur. Exempli causâ, Materia prima est indifferens ad omnes formas : ut ergò determinetur ad formam equi aut leonis, requirit præparationes alterutri competentes. Materia quæ coaptatur ad formam asini nequit, durante eâdem præparatione, formam leonis educere, aut contrà. Certissimum ergò est, materiæ causalitatem indifferentem, ut ad certam formam in specie determinetur, prævìis disposítionibus opus habere.

Non tantùm prævias disposítiones.

3. Verùm hæ prævìæ disposítiones non videntur ipsa entitas quam actualis materiæ causalitas potentiali addit. Nam, 1. disposítiones spectant ad causam efficientem, & consequenter non sunt ipsa causalitas materiæ. 2. Non sunt materiæ naturales, sed præter naturam ; at causalitas materiæ ab intima ejus natura provenit. Cùm enim sit ipsa productio naturæ cujusdam se complentis, à natura sua intima profluat necessum est. Videtur ergò actum materiæ vitalem, nempe concursum trium ejus primarum facultatum, in hoc opere requirere. Vix enim aliter fingi potest quo modo ejus indifferentia coerceatur. 3. Prævìæ disposítiones accidentales sunt. Quanquam igitur materiam excitare queunt ; absque tamen actibus percipiendi, appetendi, & eliciendi formam, intermediis, ejus productionem attingere nequeunt. Ideóque, præter prævias disposítiones, ultima causalitas materiæ vitalem hujus concursum, quatenus est substantia viva & sui perfectiva,

©BIUM

fectiva, involvit. 4. Forma producta reddit prævias dispositiones materiæ, quæ priùs ei præternaturales fuerant, naturales. Illa ergò his materiæ intimior est, & mediante illâ, hæ, quà naturales materiæ, primò untuntur. Non igitur mediantibus dispositionibus forma à materia dependet. Denique, 5. dispositiones graduales sunt; sed forma absoluta est, & intimè pendet ab absoluto & se determinante actu materiæ. Modus infrà declarabitur. Interea loci, quòd præviæ dispositiones sint saltem causæ occasionales quibus materia ad suam causalitatem complendam excitatur, utriusque necessitatem simul declaravero. Nam præviæ dispositiones sunt solæ causæ quæ materiam ad se determinandam, & novâ formâ se perficiendam, occasionem ministrant, ut mox probabitur.

Per quid materia causet.

4. Rectè quidem Suarius, Disp. 13. s. 8. inquirens per quid materia causet, statuit ejus causalitatem in genere nihil aliud esse nisi ejus potentiam, & hanc non differre ab ipsa entitate substantiali ejusdem. Nam potentia materiæ, etiamsi relativè sumpta dicit aptitudinem materiæ ad suscipiendam formam, concretè tamen cum suo fundamento nihil aliud significat nisi materiam ipsam in qua ista aptitudo immediatè fundatur. Atque hactenus mihi cum Suario convenit. Sed distinguo causalitatem hanc in potentialem, & actualem. Illa, potentia est materiæ; hæc, exercitium ejusdem: neque hactenus Suario displiceo. Cæterùm duo adhuc circa hanc causalitatem quæri possunt. Primum, an, & quo modo, præviæ dispositiones indifferentiam materiæ determinent. Secundum, an actualis causatio materiæ sit aliquid ab entitate seu potentia ejusdem ex natura rei distinctum, & quid illud sit.

Quid contribuunt præviæ dispositiones.

5. De priore Clariss. Suarius videtur dubius, ut ex diversis ejus locis inter se collatis videre est. Disp. 14. s. 3. nº. 37. *Quamvis*, ait, *probabile sit, naturaliter non manere eadem accidentia numero in re genita quæ erant in corrupta: probabilius tamen videtur oppositum quoad quantitatem & dispositiones, quæ vel ordinantur ad formam geniti, vel illi non repugnant, præsertim quando in sola materia priùs inhærebant.* Eâdem Disp. & s. nº. 56. *Concedimus*, inquit, *materiam primariò respicere substantialem formam, & ideo ordine intentionis seu finis priùs illi conjungi, non tamen ordine executionis: nam potiùs sub hac ratione priùs*

©BIUM

priùs natura conjungitur accidentali formæ, ut medio seu dispositioni ad formam substantialem. Verùm Disp. 13. s. 8. nº. 3. duriùs hanc rem exprimit: *Materiam primam non habere duas rationes causandi, alteram principalem, alteram proximam, sed per seipsam & per entitatem suam & principaliter & proximè causare effectum suum in suo genere.* Attamen ut materia ipsa, ex communi sententia, in primam & secundam, ità ejus potentia in *principalem* & *proximam*, distinguitur. Fateor interponi posse duas alias differentias, & quatuor numerari, principalem, remotam, propinquam, & proximam: sed intermedias hîc omittere possumus, quia positâ graduali principalis potentiæ modificatione dum ad proximam deventum sit, ultro sequuntur. Etenim præviæ dispositiones graduales sunt, & gradatim, non subsultim, introducuntur. Si ergò eæ omnino materiæ potentiam modificent aut determinent, de graduali earum processu dubitari nequit. Perpendamus itaque an præviæ dispositiones quoquo modo materiam præparent & determinent. Puto determinare, & modum paucis aperuero. Præviæ dispositiones in materiam agunt; ejus tres primas facultates, perceptivam, appetitivam & motivam, ad deferendam formam veterem seu præsentem, & ad novam ambiendam, excitant, simúlque, quantum possunt, illam demoliri, hanc substituere, satagunt: in ultimo autem præparationis actu illam expugnant, & materiam ad hanc educendam determinant. Continent enim ideam formæ educendæ, quæ facultati perceptivæ materiæ objicitur, & perfectionem, pulchritudinem atque congruentiam formæ oblatæ cum materia, quatenus sic dispositæ, repræsentat. Perceptiva, hoc modo excitata, appetitivam, hæc motivam, ad formam educendam actu excitat. Atque hoc modo indifferentem materiæ primæ causalitatem determinari existimo, nec alium materiæ modum, sive substantialem sive accidentalem, ad actualem materiæ causalitatem complendam postulari. Hic enim modus sufficit, & vitali modo materiam ad suam generandi operationem quoad hîc & nunc determinat.

Modus quo præviæ dispositiones materiam determinant.

Earum necessitas monstratur.

6. Necessitas hujus determinationis multis modis elucescit. Primò, Nulla causalitas ipso actu causationis est indeterminata. Impossibile enim est ut indeterminata causatio determinatum effectum edat. Omne autem causatum est

1. Causalitas interminata nihil operatur.

effectus

effectus determinatus. Nemo enim concipere poteſt effectum hîc & nunc productum, cujus cauſa in ejuſdem productione manſerat indifferens. Cauſa enim indifferens nihil operatur. Dices, materialem cauſam purè paſſivam eſſe & indifferentem; effectum autem determinatum edi; quia generans eundem determinat, & in materia recipiente determinatum producit. Verùm hoc ſi foret, materia non eſſet cauſa. Ejus enim generatio activa nominalis tantùm eſſet, & nil niſi præſentiam cauſati in ſe à ſolo efficiente producti ſignificaret. Materia enim ad ejus productionem nullum conferret influxum. Verùm certiſſimum eſt, materiam tam in formis accidentalibus, (etiam iis quas invita ſuſtinet,) quàm in eſſentialibus, ad earum productionem & determinationem ſpecificam concurrere. Ad illas quidem, quæ ab extrà tantùm veniunt, & præternaturales ſunt, coactam, & ab efficiente violenter determinatam; ad has verò ſponte ſuam cauſalitatem præbere, & earum entitatem per quandam è ſe dimanationem largiri. Jam verò materia abſque præviis diſpoſitionibus indifferens eſt ad omnes formas, & conſequenter ut determinetur eæ neceſſariò requiruntur. Sufficiunt autem ad ſuſcitandam vitalem determinationem cauſalitatis ejuſdem, ut tertio argumento mox clariùs patebit.

7. Secundò, Diſponere ad aliquid & ad idem determinare in ultimo actu diſpoſitionis coincidunt. Etenim diſpoſitio eſt via & motus ad determinationem tendens. In ultimo ergò ejus actu metam attingit, hoc eſt, determinat. Certiſſimum eſt prævias diſpoſitiones afficere materiam, & conſequenter afficere potentiam ejuſdem, à qua materia non realiter differt. Afficiunt autem potentiam, eam aſſimilando naturæ generantis, hoc eſt, reſtringendo ejus indifferentiam ad omnes formas, & ad hanc unam coaptando. Objicies, has diſpoſitiones accidentales eſſe, nec immediatè formarum eductionem attingere. Eſto: ſed cauſam ſubſtantialem circumſtantiis limitant, & ad certam formam expetendam concitant; quæ cauſa, ab accidentibus licèt excitata, per ſubſtantialem ſuam cauſalitatem operatur, formámque qualem exigunt diſpoſitiones educit. Sed inſtabis, diſpoſitiones eſſe accidentales. Si ergò eæ priùs ipſâ formâ materiæ inſint, hæc illi mediantibus accidentibus unitur. Verùm non ſequitur.

2. Diſponere & determinare, in idem tendere.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 189 sur 591

©BIUM

Natura enim materiæ (accidentibus licèt monita) formam sibi accidentibus intimiorem asciscit. Hoc apertè Suarius Disp. 14. s. 3. nº. 40. explicat; quò lectorem refero.

3. Forma non esset natura, nisi ab intus manaret.

8. Tertiò. Forma non esset natura additionalis materiæ, nisi ab intus è fundamentali natura ejusdem dimanaret. Quod enim purè ab extrà venit, etiamsi in materia ab externo efficiente fiat, non tamen est natura ejus: ut præviæ dispositiones, antequam educitur forma, in materia inhærent, non tamen sunt naturales. Quare esse causam materialem non satis est ut id quod inhæret sit naturale. Dices, accidentia quidem sustulciri posse à materia, etiamsi non sint naturalia: sed aliter multò rem se habere de formis physicis. Accidentia enim ista inhærent in subjecto gratiâ materiæ; sed non sunt naturalia, quia repugnant formæ intimiùs in eadem materia inhærenti. At omnis forma est ex æquo materiæ primæ naturalis, saltem si nulla alia intus existens obstiterit. Cùm ergò in generationis momento forma præsens eradicetur, & nulla alia obstet, oblata à generante fit naturalis. Respondeo, revera formas accidentales esse præternaturales, quia formæ physicæ, quæ partialis natura subjecti est, repugnant. In quantum igitur eam formam impugnant, impugnant naturam subjecti. Veruntamen multa accidentia præternaturalia non immediatè inhærent materiæ, ut subjecto proximo, sed compolito; ità ut compositum eorum causa materialis proxima rectè dicatur. Cùm igitur compositum sit causa eorum materialis, interímque non sint ei naturalia; rectè inferimus, esse causam materialem non esse sufficientem rationem cur vocentur naturalia: cúmque, ut in objectione suggeritur, forma intimior sit naturæ fundamentali quovis accidente; à fortiore urgeamus, si accidens, ut sit naturale, requirat ut ab intus veniat, multò magis forma.

Adventitia natura deben ab originali eligi.

9. Neque disparitas inter formas accidentales & substantiales allegata obstat: illas non esse naturales, quia formæ opponuntur; has nulli formæ opponi, & consequenter esse perpetuò naturales. Ideo enim illæ præternaturales sunt, quia, ut dictum, forma cui opponuntur est pars naturæ. Ratio itaque cur præternaturales sun t, est, quòd opponantur naturæ. At verò quanquam materia prima forma careat, cui nova forma opponatur; habet tamen naturam substantialem,

tialem, cui ea forma aliquo modo naturalis vel non naturalis esse potest. Quicquid enim naturâ præditum est, si quid ab extrà patiatur, id quod sic patitur, fieri potest naturæ suæ internæ sit ingratum. Cùm ergò materia suam habeat naturam, & ab extrà patiatur, fieri potest ut quod patitur naturæ suæ displiceat. Dices, naturam materiæ indifferentem esse ad omnes formas, & consequenter nullam ei præternaturalem esse. Respondeo, in actu eductionis formæ materiam non esse indifferentem, sed præparatam seu dispositam, nempe ad unam certam formam determinatam, ità ut Poetæ verbis formam sibi desponsatam alloquatur, *Tu mihi sola places*. Si autem ante plenariam materiæ præparationem forma nova se obtrudat, displicet, nec in additionalem materiæ naturam evadit. Etenim in ultimo actu præparationis materia novam naturam ultro eligit atque induit. Siquidem externum efficiens seu generans, quamvis assimilat sibi materiam, non tamen intrinsecè attingit eam formæ rationem quâ est materiæ natura. Quatenus enim ab extrà offertur, non est natura, sed quid extraneum: fit autem natura quatenus ab intus appetitur & assumitur. Imò impossibile est ut sit natura, quod ab intus non radicaliter manat. Repugnat enim esse naturam, & esse tantùm ab extrá. Verùm cùm diversimodè aliquid dicatur naturale, hîc perpendamus quo sensu forma suppositò quod ab extrà tantùm veniat fit, vel non fit, naturalis. Tripliciter itaque dicitur aliquid naturale. Primò, quod purè ab intus venit, seu spontè è natura rei enascitur. Secundò, quod ab extrà quidem venit, sed naturam internam conservat, nutrit aut refocillat. Tertiò, quod naturæ eatenus conforme dicitur, quòd vim ei non inferat. Non dubium esse potest quin quod primo ex his modis dicitur naturale maximè propriè sic dicatur. Sua enim proles naturæ perpetuò complacet. Secundo modo naturale naturæ benignum & utile est: ut similia, alimenta, & cordialia. Tertio autem modo naturale ἄπειρον est, tantùm non nocens: ut insipidum palato non est penitùs ingratum, nec tamen positivè complacens. Forma physica proculdubio perfectissimo modo naturæ materiæ naturalis est. Etenim est ipsa natura additionalis & epiphysis, naturam ejus fundamentalem complens. Est ergò maximo proprio sensu naturale, & ab intus è natura

Naturale tripliciter dicitur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 191 sur 591

©BIUM

materiæ fundamentali educitur: nec putandum est hanc se ad illam ut ad rem indifferentem habere. Nisi igitur materiæ natura fundamentalis suum consensum, adeóque concursum cum generante in eductione formæ in se præbeat, affectio educta non primo modo, sed ad summum tertio, materiæ naturalis fuerit. Quare forma non educitur, donec materia domita spontè susçipit, & quasi eligit, seu in se elicit, naturam ei generantis similem. Existimo enim solam materiam intrinsecè attingere versionem formæ extrinsecùs oblatæ in naturam suam, atque operationem hanc esse actionem vitalem rei se perficientis. Materia enim, cùm nolit annihilari, in extremis angustiis dictamini generantis ultro obsequitur, novámque legem essendi & operandi, novam indolem sive naturam additionalem sibi ascisçit: atque adeò eductio formæ in ultimo ejus actu non est pura passio, sed immanens quædam actio, seu actus vitalis; & materiæ primæ indifferentia satis tollitur, ejúsque potentia, per prævias dispositiones, accidentales licèt, vitaliter excitata, satis determinatur. Atque hæc de prima Quæstione.

An actualis causatio materiæ differat à potentiali completa.

10. Secunda Quæstio erat, Utrùm materiæ causatio seu actualis causalitas sit aliquid ab entitate seu potentia ejusdem ex natura rei distinctum. Supponimus potentiam materiæ primæ nihil aliud esse nisi entitatem ejus indifferentem, quatenus inadæquatè concipitur, in ordine ad formam materialem in genere, sine peculiari determinatione ad hanc vel illam: similiter potentiam materiæ secundæ includere eandem entitatem, & insuper determinationem ejusdem ad certam formam, ut modò declaravimus. Præsens verò Quæstio non est de determinatione materiæ primæ ad secundam, de qua modò actum est; sed de causalitate signata materiæ secundæ, an ea, quà potentialis, ex natura rei ab actu exercito ejusdem distinguatur. Non dubium est quin ratione differant, (possumus enim mente discriminare actum signatum causalitatis completæ ab actu exercito ejusdem:) sed quæritur an saltem ex natura rei discrepent. Facilior fortasse esset responsio, nisi peculiaris difficultas ex parte determinationis causalitatis materiæ exoriretur. Nam causalitas efficientis ad exercitium ejusdem est ut potentia agendi ad actionem. Determinatio autem hujus causalitatis, si concipiatur

ut

ut includens perceptionem, appetitum & motum quibus forma fit, ut suprà exposuimus, certum est eam comprehendere ipsum fieri quo forma producitur; & consequenter actualem causationem, hoc sensu, causalitati nihil addere. Verùm si causalitas reputetur satis signata ex solis præviis dispositionibus, & perceptione atque appetitu formæ, mutatio seu motus qui proximo momento sequitur manifestè à tota causalitate præcedente, saltem ex natura rei, si non realiter, differt.

Actionem differre à potentia agendi.

11. Namque ut perceptio est actio immanens distincta ab appetitu ità appetitus à motu: & ut actio percipiendi, necnon appetendi, à facultatibus sibi respondentibus respectivè differunt; ità actualis motus à facultate motiva. Nemo enim hactenus dubitavit quin actio aliquid facultati addat. Etsi enim aliquando eveniat ut facultas adeò intimè à substantia fluat, ut in nullo accidente, sed in ipsa ejus natura energetica immediatè fundetur, & consequenter ab eadem non realiter differat: actio tamen creata nunquam adeò penitùs in facultatem absorbetur, quin aliquid entitatis propriæ ab eadem, ex parte rei, distinctam sibi reservet. Quanquam enim in Deo, propter infinitam perfectionem, actio & facultas solâ ratione discrepant: in creaturis tamen, quæ non immediatè per suas substantias agunt, aliter se res habet; & ut percipere & appetere sunt actiones realiter distinctæ, ità quoque appetere & movere. Creatura enim, cùm sit finita, non sine labore, nisu, aut saltem vigoratione, sui effectum edit. Differunt ergò motus & facultas motiva, non tantùm in actionibus transeuntibus, sed & in immanentibus. Motus autem seu mutatio quâ producitur forma est actio immanens. Terminus enim quem producit immanet seu inhæret in causa materiali producente. Cùm ergò Metaphysici actionem immanentem esse aliquid in agente agnoscant; necesse est unà concedant motum, quo forma educitur, esse aliquid in movente, nempe in materia eam educente.

Eductionem formæ esse actionem immanentem.

12. Sed fortasse aliqui dubitaverint an motus quo educitur forma sit actio immanens. Non enim facilè concesserint motum materiæ in ejus productione esse activum, quin potiùs esse puram passionem, activè autem ab efficiente externo seu generante in materia produci; indéque Suarium causationem materiæ generationem passivam vocare. Sed monstravimus

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 193 sur 591

©BIUM

suprà, naturam, quà talem, non posse oriri à solis causis externis; formam verò esse naturam additionalem; & consequenter materiam in actu eductionis non invitam, sed ultro & cum complacentia, eam è se educere. Etsi igitur durante præparatione materia tantùm patiatur, in ultimo tamen actu se planè submittit generanti, & activè cum eodem concurrit. Aliter enim fieri non quiverat ut forma educta esset materiæ natura. Hæc igitur spontanea materiæ generatio motúsque est aliquid in materia; cúmque terminus ejusdem, nempe forma, in materia producente maneat, patet actionem esse immanentem.

Actionem immanentem differre à suo termino.

13. Dices, si eductio formæ sit actio immanens, non opus esse ut distinguatur à suo termino. Respondeo, Clariss. Suarium asserere, & efficaciter probare, inter causas internas earúmque terminos actiones prædicamentales intervenire, Disp. 48. s. 2. nº. 12. ubi fusè eam sententiam explicat; & nº. 16. infert, esse de intrinseca actionis ratione, ut sic, (etiam immanentis,) habere terminum à se distinctum ad quem tendat, &c.

Actionem non esse modum termini.

14. Argumentum verò ejus nº. 18. minùs placet, ubi actionem dicit esse modum termini ejusdem, & nihil aliud esse nisi dependentiam termini à sua causa. Sed de hac re fortasse alibi fuerit occasio ex professo differendi. Hîc, loco argumenti dicti, aliud sufficimus, ductum à duplici causalitate naturæ fundamentalis; quod ipsam originem distinctionis actionis immanentis à suo termino patefacit. Causalitas materiæ vel purè receptiva est, vel simul activa, seu eductiva formæ. Hanc distinctionem satis probat argumentum tertium modò in priore Quæstione allatum; nimirum solam causationem subjectivam non sufficere ad causatum quodvis reddendum naturale. Subjectum enim frequenter sustinet accidentia sibi adversa. Quare naturalis & completa causatio materiæ includit tam effectivam quàm subjectivam causationem: effectivam, inquam, immanentem; quam generationem internam dico, eóque nomine à generatione efficientis externi distinguo. Hæc enim causatio immanens, etsi naturam efficientis nonnihil sapiat, reipsa tamen est causatio materialis, & talis quâ materia seipsam perficit. Atque hinc affero generationem internam & causationem subjectivam in actionibus immanentibus quà naturalibus in eandem causam concretam coincidere;

cidere ; nihilominus hanc ab illa formaliter & ex parte rei differre : fieri enim potest ut separentur. Nam frequenter accidit suppositum esse subjectum affectionis præternaturalis : quo casu suppositum est causa subjectiva, sed non est effectiva seu generans interna. Præternaturalis enim effectus quamvis in supposito suffulciatur, non tamen è natura suppositi dimanat. Verùm affectus primo modo naturalis non solùm in supposito inhæret, verùm etiam è supposito pronascitur. Duplicem itaque causæ materialis energiam hîc notare possumus ; alteram, causati generationem internam ; alteram, sustentationem ejusdem. Hisce causationibus duplex terminus seu effectus in causato respondet. Primus, dimanatio seu resultantia formæ è natura fundamentali materiæ, est ; quam dependentiam effectivam voco : Alter, inhærentia ejusdem formæ in materia, est ; quámque dependentiam subjectivam & unionis nomino. Ex dictis itaque constat quatuor conceptus, sive realiter sive formaliter sive tantùm ratione distinctos, circa causationem materialem occurrere : quorum duo materiam, alii duo formam denominant. Materia enim est naturalis seu interna formæ causa, tum generans, tum sustentans : forma est internus effectus dupliciter dependens, nempe è materia dimanans, eidémque inhærens. Generatio aliquid addit materiæ generanti : Materia enim actu generans à non-generante differt. Dicunt aliqui generationem addere materiæ modum distinctum, (& revera aliter se habet materia generans quàm non-generans :) ego verò potiùs generationem hanc vocarem inchoationem modi seu formæ. Forma enim quam inchoat fit postea modus materiæ completus & terminatus. Porrò, sustentatio discrepat à generatione. Nam ut hæc activè inchoat, ità illa passivè recipit formam. Forma considerata quatenus effluit è materia sine terminatione in eadem, est activè tantùm in fieri ; ob quam causam vocavimus inchoationem formæ : sed eadem quatenus simul recipitur in materia, nè incassum fluat, est passivè in fieri. Quare altera causatio activa est & originalis ; altera, passiva seu receptiva, & officialis seu subserviens. Non itaque differunt generatio interna & sustentatio, ut forma in fieri ab eadem facta & completa. Forma enim est vel activè vel passivè in fieri ; quemadmodum est vel activè vel passivè in facto esse.

Duplex materiæ causatio ; activa, & passiva.

Non

Non autem necesse est distinguamus causationes formæ in fieri à causatione formæ factæ. Eadem enim continuata causatio quæ à principio effectum inchoat, progressu temporis eundem perficit. Similiter effectus inchoatus tractu temporis in effectum completum transit. Quin & effectus unus & idem plures postulat causas ut producatur: imò eadem causa potest simul esse efficiens, exemplaris, & finalis; ut Deus respectu cujusvis creaturæ. Non repugnat itaque plura causationis genera ab eadem causa circa eundem effectum exerceri. Cùm enim causatio alia sit activa seu effectiva, alia passiva & receptiva, non repugnat eandem causam circa eundem effectum utramque actu exserere. Nihil itaque prohibet quin actiones immanentes & passiones ejusdem subjecti inhærentes ex natura rei differant, etiamsi quoad terminum utriusque coincidant. Puto igitur generationem materiæ activam & sustentationem formæ esse diversos materiæ modos ex natura rei distinctos: verùm unum eorum non esse modum alterius, at inter se differre, ut distinctos modos unius tertii. Sunt ergò duo modi materiæ, non duo modi formæ: neque in hac re obsequor Clariss. Suario, ut mox videbimus. Interea loci, ex dictis declaranda est distinctio causationis materialis à suis terminis. Ad actionem materiæ complendam requiritur tantùm simplex causatio, seu simplex generatio activa formæ. Similiter ad receptionem requiritur simplex sustentatio, seu generatio formæ passiva. Verùm ad formam seu naturam additionalem factam opus est duplici causatione, alterâ efficiente, alterâ sustentante & terminante. Constat itaque id quod duplicem causationem postulat saltem ex natura rei à qualibet causatione simplici differre. Quin & forma fiens differt ex natura rei à suo fieri seu generatione, & forma facta à sua sustentatione. Nam generatio formæ fientis non est forma genita, sed modus quo fit: similitérque sustentatio formæ non est forma sustentata, sed modus quo sustentatur. Quare demum inferendum est, actionem quâ generatur forma, ut & suffulsionem quâ sustentatur, à respectivis terminis, nempe à forma genita & sustentata, ex natura rei distingui.

An generatio activa sit modus materiæ.

15. Cæterùm duæ novæ hîc exoriuntur Quæstiones. Prior, An modus generationis formæ sit modus materiæ, an modus formæ:

formæ: Poſterior, An modus ſuffulſionis ſit ſimiliter modus materiæ, an modus formæ. De his Quæſtionibus ex profeſſo tractat Suarius Diſp. 13. ſ. 9. Verùm, ut rectè monet nº. 5. *per idem ſeu per eundem modum quo effectus cauſatur, cauſa cauſat; quia cauſatio ipſa, ut ſic, duplicem illam habitudinem eſſentialiter includit, ad cauſam, ut ad principium, & ad effectum, ut ad terminum.* Ego quidem agnoſco, cum Suario, cauſationem eſſe entitatem quandam mediam intervenientem inter materiam & formam; atque adeò, ſecundùm noſtrum modum inadæquatè concipiendi, eam aliquo modo tam materiæ quàm formæ adſcribi poſſe: & materiæ magis propriè, nomine generationis & ſuſtentationis; formæ quaſi per connotationem, nomine dependentiæ & inhærentiæ. Verùm veriſimile eſt generationem ſeu eductionem formæ è materia, & cauſationem quæ connotatur per dependentiam illius ab hac, non dicere duas entitates ſive realiter ſive ex parte rei diſtinctas; ut nec ſuſtentationem, & cauſationem denotatam per inhærentiam. Eſt ergò cauſatio ea entitas quâ materia generat formam, eadémque cujus gratiâ forma dependet à materia: neque de hac re mihi cum Suario lis eſt. Neque enim pono duos modos; alterum, generationem è materia, alterum, dependentiam in forma. Siquidem dependentiam inhærentem à forma dependente ex parte rei non diſtinguo. Et quidem ei aſſentior quoque, generationem materiæ non cauſari per aliam cauſationem, ſed per ſeipſam, neque dependentiam per aliam dependentiam fieri. Aliter enim ſequeretur proceſſus in infinitum.

Interim nego eam rem quæ vocatur generatio eſſe modum formæ, aut dependentiam eſſe modum formæ. Unicum enim inter materiam & formam modum pono, eúmque in materia, qui eſt ſufficiens fundamentum duorum inadæquatorum conceptuum, & conſequenter duarum denominationum; nempe generationis in materia, & dependentiæ in forma. Cùm enim duo ſint conceptus quibus modus quo producitur forma inſinuatur, generatio & dependentia; cúmque modus ipſe qui intervenit inter materiam & formam ſit unus; meritò quæratur an ſatius ſit modum ipſum materiæ, an formæ, tribuere. Mihi quidem probabiliùs conceditur cauſis ſua actualis cauſalitas, quâ ſuos effectus actu edunt, quàm his dene-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 197 sur 591

©BIUM

gatur, & effectis quod causis proprium est indulgetur. Contrarium potiùs Suario probabile est. Putat enim generationem & sustentationem nullum in materia ponere modum, sed duos in forma genita, quos dependentiam & inhærentiam vocat. Verùm de generatione & dependentia priore loco agit, à nº. 5. ad 8. Et dicit nº. 5. generationem causari à materia per seipsam, nullâ aliâ re aut modo addito materiæ præter ipsam generationem ei inhærentem. Verùm dupliciter errat. 1. Quòd confundat materiæ causationem effectivam cum subjectiva; ut manifestè constat ex ejus argumento quarto, ubi generationem nomine sustentationis declarat. Nos verò suprà probavimus activam generationem saltem ex parte rei à sustentatione differre. 2. Quia tantùm probat generationem causari à materia immediatè per seipsam, & consequenter non dari alium materiæ modum in hac causatione præter ipsam generationem: in quo ratiocinio neque sententiam suam satis firmat, neque nostræ, ut insinuaret, refragatur. Dicimus enim hanc ipsam generationem esse modum materiæ, nec quærimus alium præter hunc. Nam potentia materiæ plenè dispositæ est causalitas materiæ in actu signato; & actualis generatio, quæ proximo momento sequitur, est causalitas in actu exercito: hanc verò dicimus esse modum materiæ distinctum ab illa. Atque ità quatuor primis ejus argumentis satisfit.

Hunc modum è materia profluere.

16. Ex argumento autem quinto urgeri potest, nihil esse quod potest hunc materiæ modum producere. Sed respondetur, materiam suâ potentiâ ultimò dispositâ instructam seipsam perficere, & novam naturam additionalem sibi adsciscere; atque hanc eductionem seu generationem esse aliquid in ipsa materia inhærens, (ut Suarius in primo argumento fatetur;) & consequenter, eo non planè renuente, esse modum materiæ. Est ergò generatio causalitas materiæ exercita; & spectat ad partes materiæ, non ad partes formæ. Sed instat Suarius, *materiam non facere suam causationem, nè per naturalem resultantiam.* Respondeo, verba ista [*facere suam causalitatem*, vel *causationem*,] esse ambigua. Vel enim dicunt causationem non esse terminum quem materia facit seu efficit; & sic verum est, materiæ causationem non esse terminum suæ causationis. Generatio enim non est terminus actionis

onis generandi, ſed forma genita : illa autem eſt tantùm via ad hanc ceu terminum. Vel ſecundò, ea verba [*facere cauſationem*] idem ſonant quod *cauſare* ; & ſic falſum eſt dicere, materiam non facere ſuam cauſationem, hoc eſt, non cauſare. Materia enim, nemine contradicente, cauſat ſeu generat formam. Atque hactenus priorem partem hujus Diſputationis expendimus : Sequitur altera, de unione materiæ & formæ, atque de hujus inhærentia.

Anſuſtentatio formæ ſit modus materiæ, an formæ.

17. De hac re tractat Suarius nº. 13. & primò contra ſe objicit, *Si forma unitur materiæ per proprium modum unionis, ergò etiam materia unitur formæ per proprium modum unionis : ergò materia non tantùm cauſat per unionem vel inhæſionem formæ, ſed multò magis per propriam unionem quâ ipſa conjungitur formæ : atque ità cauſalitas materiæ erit potiùs proprius modus ipſius materiæ, quàm formæ.* Vis argumenti valde obſcura eſt, prout proponitur : ſed huc videtur collimare ; Si formæ unio, quæ eſt ſolummodo receptio conſervationis ſeu ſuſtentationis à materia, proprium modum formæ quo uniatur poſtulet ; multò magis unio materiæ, quæ eſt ipſa datio & cauſatio iſtius conſervationis, peculiarem materiæ modum requirit. Res enim majoris molis eſt, aliud ſuo amplexu ſeu ſuſtentatione conſervare, quàm ab alio conſervari. Reſpondet Suarius dicens, *Ad hanc difficultatem, fateor rem eſſe dubiam, an in compoſitione materiæ & formæ habeat materia proprium unionis modum diſtinctum ab unione formæ. Dico tamen duo. Unum eſt, eſſe valde probabilem partem negantem, quia ad unionem duorum extremorum quæ inter ſe immediatè uniuntur ſufficit unus ſimplex modus unionis*, &c. Accipio conditionem, modus unionis eſto unus ; ſed quæritur an iſte modus ſit materiæ ſuſtentantis, an formæ inhærentis. Jam pergat. *Aſſignari*, inquit, *poteſt ſpecialis ratio ob quam talis modus magis ad formam pertineat, & cum illa realiter idem ſit, quàm cum materia.* Hoc negatur. Materia enim ſuſtentat formam ut ejus ſubjectum naturale. Eſſe autem ſubjectum naturale diverſus materiæ modus eſt quàm eſſe ſubjectum præternaturale. Materia quidem, accidentium ab extrà venientium ſubjectum eſt, ſed non naturale ; at formæ, quoniam ab intus manat, eſt ſubjectum naturale. Quare modus eſſendi ſubjectum naturale eſt modus materiæ ; ut modus eſſendi ſubjectum non naturale eſt alius ejuſdem

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 199 sur 591

©BIUM

modus. Hoc evidentissimè cernitur in præviis dispositionibus, quæ, ante adventum formæ, materiæ non sunt naturales, sed post adventum ejusdem fiunt naturales. Dispositiones eædem manent, & consequenter mutatur modus materiæ, & indè ex non naturalibus fiunt naturales. Impossibile enim est ut accidens ex non naturali fiat naturale, absque mutatione sive suiipsius, sive subjecti. Cùm ergò accidens manet idem, necesse est mutetur modus subjecti, & aliter respiciat idem accidens quàm priùs.

Hunc modum non spectare ad formam.

18. Verùm instat Suarius probari hunc modum potiùs pertinere ad formam quàm ad materiam, *quia tota efficientia agentis naturalis terminatur formaliter & proximè ad formam, educendo eam vel uniendo materiæ: ergò quicquid de novo facit est in forma tanquam in formali termino actionis, in materia autem solùm ut in subjecto.* Respondeo, actionem ipsam non esse in termino, nec causationem receptivam esse in termino; sed solummodo quod & quicquid producitur ut effectus actionis aut receptionis. Verùm ipsa causatio, sive sit activa sive passiva, supponitur ordine naturæ anticipare terminum, & consequenter non esse in termino: imò ordine naturæ eo momento desinit esse quo incipit terminus. Ejus enim entitas est via ad terminum; quo facto, esse cessat. Ea igitur verba [*quicquid de novo facit est in termino actionis*] restringenda sunt ad causatum factum, nempe formam. Quicquid enim de novo fit ut terminus generationis, in forma reperitur: ut informare materiam, eique inhærere. Verùm ipse modus quo forma producitur à materia non est in forma seu termino actionis, sed in materia ut viâ ad terminum. Est igitur modus materiæ, nempe est vigoratio ejus ad formam perceptam & appetitam in se actu efficiendam. Quæ est ipsa entitas & ratio in qua activa materiæ causatio seu generatio consistit: causatio autem passiva est receptio & sustentatio ejusdem causati. Quare neque causatio activa neque passiva concipitur ut effectus materiæ, aut ut terminus actionis ejusdem, aut ut ulla pars termini; sed utræque ut tendentes ad terminum. Illa quidem pernobilis entitas est, sed perpetim fluens; hæc ignavior, sed perpetim priorem terminans. Illa continuâ dimanatione naturam additionalem, nempe formam, è se dimanare facit; hæc continuâ sustentatione eandem à nullitate

tate vindicat. Neutra est in effectu aut in forma facta, sed hæc est utriusque suo modo terminus. Atque hæc sufficiant ad primam Suarii Objectionem.

19. Secunda sequitur. *Addo*, inquit, *secundò, quamvis gratis admitteremus esse in materia proprium modum unionis distinctum ab unione formæ, nihilominus non posse illi tribui, quòd sit causalitas per quam materia causat formam, quia nec materia per talem modum sustentat formam, neque forma per illum modum pendet à materia. Prior pars constat, quia materia non per modum, sed per suam entitatem, sustentat formam*, &c. Ut respondeamus huic objectioni, concedendum est, neque generationem neque sustentationem esse principium sive quod, sive quo fit aut sustentatur forma. Actio enim quâ materia efficit, & receptio quâ suffulcit formam, nullo sano sensu dicitur principium aut concretè causa formæ; sed materia ipsa est causa, actio verò aut receptio est causatio ejusdem; quæ utraque est entitas sui generis, nempe causatio sive activa sive passiva. Sequela itaque Suarii invalida est, modum materiæ non esse causalitatem ejusdem, quia non causat. Causalitas enim non propriè causat, sed res cujus est. Illa enim est hujus modus, per quem causat. Sed urget Suarius, materiam non per modum, sed per suam entitatem, sustentare formam. Respondeo, materiæ quidem substantiam seu entitatem educere & sustentare formam, imò & per eam substantiam seu entitatem suam; sed per eam quatenus modificatam suâ causalitate seu causatione, sive activâ sive receptivâ, ut dictum. At, inquit ille, *forma pendet à materia per inhæsionem*. Respondeo, dependentiam & inhærentiam dupliciter accipi; vel directè, pro inadæquatis conceptibus ipsius formæ factæ, vel indirectè, pro duplici causatione ejusdem, nempe pro generatione & sustentatione, quas implicant. Ubi ergò dicit Suarius formam dependere seu causari à materia per inhærentiam, non audiendus est de inhærentia quatenus est inadæquatus conceptus formæ, sed quatenus implicat seu connotat sustentationem; per quam reipsa forma à materia pendet & causatur. Nam inhærentia quatenus dicit inadæquatum formæ conceptum est entitas facta: non autem est entitas intermedia, seu interveniens inter materiam & formam, quemadmodum est causatio; & consequenter non est ipse modus quo

Satisfit objectioni Suarii.

Dependentiam & inhærentiam dupliciter accipi.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 201 sur 591

©BIUM

forma à materia pendet. Similiter dependentia formæ ut dicit inadæquatum conceptum formæ non eſt directè generatio formæ, ſed eam tantùm connotat. Nam generatio, factâ re, ceſſat; ſed dependentia permanet. Quare dependentia hoc ſenſu non eſt cauſatio ipſa, ſed quid conſequens eandem.

Dependentiam non eſſe modum formæ.

20. Supponit Cl. Suarius in tota hac Diſputatione, dependentiam eſſe modum formæ, & inhærentiam eſſe alium ejuſdem modum, eóſque modos ſufficere ad unionem materiæ & formæ, nec requiri alios ex parte materiæ iis reſpondentes quibus unio perficiatur. Ego verò neque puto hos ſufficientes eſſe ad hanc unionem, neque omnino eſſe modos formæ. Primò, dependentia ad unionem materiæ & formæ non ſufficit; quia creatura pendet à Deo, nec tamen ei unitur ut forma materiæ. Plantæ dependent à ſole, neque interim ſoli uniuntur. E contrà, anima rationalis unitur corpori humano, nec tamen ab eo dependet. Sed dependentia à materia tanquam à cauſa interna & naturali eſt ſufficiens unio formæ cum materia. Fateor, eſt ſufficiens argumentum unionis inter materiam & formam; quia unà connotat materiæ cauſationem, quâ, per actionem immanentem & vitalem, formam, ut naturam ſuam, è ſe & in ſe educit. Hæc autem unio non debetur dependentiæ formæ, ſed cauſationi materiæ. Eadem enim materiæ cauſatio quæ producit formam, eam producit dependentem. Verùm eò quòd actione immanente & vitali producit, eſt natura materiæ; & quia eſt natura, eſt ei intimè unita. Unio igitur debetur modo materiæ quo formam è ſe & in ſe, ut naturam ſuam, edit. Unio itaque activè ad materiam ſpectat, quatenus formam ſibi unitam producit; ad formam receptivè, quatenus unita producitur.

Nec inhærentiam.

21. Inhærentia ſimiliter eſt inſufficiens ratio unionis inter materiam & formam. Accidentia enim inhærent in materia, ſed non uniuntur eidem, ut natura ejus. Imò frequenter accidentia præternaturalia ſunt, & nihilominus inhærent. Forma verò intimior eſt materiæ quovis accidente. Dices, formam ergò intimiùs inhærere & eſſentialiter, ut natura additionalis. Conceditur; ſed jam perpendamus diſcriminis rationem. Materia amplectitur & ſuſtentat formam ut naturam ſuam eſſentialem, hinc formæ inhærentia eſt ipſi materiæ additio

additio eſſentialis ; non item inhærentia accidentium. Forma enim eſt additionalis eſſentia, incompletam materiæ naturam complens : accidentia verò eſſentiam ſubjecti priùs completam, adventitio apparatu, ad operationes exornant. Interim inhærentia reſpectu accidentium iis non minùs eſſentialis eſt quàm ipſi formæ. Ratio eſt, quia accidentia non minùs dependent à ſubjecto quàm forma à materia. Accidentia enim nè ad momentum eſſe poſſunt abſque inhærentia in ſubjecto, ut nec forma abſque materia. Quare ex æquo dependent, & inhærentia iis ex æquo eſſentialis eſt. Differentia igitur inter inhærentiam formæ & accidentium non à formis & accidentibus, ſed à materia & ſubjecto, à quibus diverſimodè reſpiciuntur, petenda eſt. Materia reſpicit formam ut naturam ſuam additionalem ; accidentia, ut acceſſaria ornamenta. Diverſus itaque modus ſuſtentationis, ex parte materiæ & ſubjecti, fundamentum differentis inhærentiæ eſt. Siquidem, ut dictum, ex parte formæ & accidentium, inhærentia utriſque ſimiliter eſſentialis eſt. Cùm enim inhærentia neque in formis neque in accidentibus diverſum modum ponat, modus autem ipſe ſit diverſus ; neceſſariò infertur, diverſitatem modorum à materia & ſubjecto, nimirum à diverſa ſuſtentatione alterutrius, provenire. Dicit ergò inhærentia ipſum eſſe ſeu entitatem formæ, ut & accidentium ; ſimúlque connotat ſuſtentationem quam ſive materia ſive ſubjectum iis reſpectivè præbet.

Dependentiam negationem privativam dicere.

22. Hæc omnia ex abundanti confirmabuntur, ſi nec dependentia nec inhærentia ſit formæ modus. Conſideremus itaque quid ſit dependentia, quídque inhærentia ; & an ſint modi. Non mihi dubium eſt quin alteruter conceptus privativam alicujus perfectionis negationem includat. Independentia enim, quanquam privationis formulam præ ſe ferat, & per modum negationis alicujus cauſæ ſe prioris proponatur, eſt tamen reipſa magna perfectio & entitas poſitiva ; & conſequenter dependentia ei oppoſita eſt in re negatio iſtius perfectionis quam nomine *independentiæ* inſinuamus. Verùm cùm independentia duplex ſit, vel abſoluta, vel limitata ; utraque conſiſtit in prioritate quadam eſſendi reſpectu cauſationis. Illa ſimpliciter cauſa prima eſt, & à nulla alia re dependet : hæc prima eſt & per ſe in genere cauſarum creatarum.

©BIUM

tarum. Illa summæ perfectionis est, & soli Deo appropriatur: hæc limitatæ dignitatis, & creaturis, nempe primariis atque per se subsistentibus, communicatur. Cùm ergò independentia creata prioritatem essendi & subsistentiam per se complectatur, constat esse perfectionem, & rationem positivam: cúmque dependentia sit illius negatio, est posterioritas essendi, aut negatio subsistendi per se, atque imperfectio, & ratio privativa.

Independentia creata duplex.

23. Enimvero independentia quoque creata duplex est, & in duas species dispertienda. Dicit ergò prioritatem essendi vel respectu causæ efficientis creatæ, quam se priorem non habet; vel respectu causæ sustentantis, quam nullam præter seipsam agnoscit. Hinc duplex quoque dependentia colligitur. Altera est negatio prioritatis essendi in ordine causationis effectivæ; altera, negatio prioritatis in ordine causationis materialis. Priorem, cum Suario, nomine generis, dependentiam vocamus; posteriorem, inhærentiam. Nam inhærentia quoque in re est negatio independentiæ à causa sustentante se priore, seu est negatio subsistentiæ per se. Verùm per subsistentiam hîc intelligimus fundamentalem, prout suprà explicuimus. Similiter ubi dicimus dependentiam dicere negationem, non intendimus eam excludere suum subjectum, quod est ipsa entitas formæ inadæquatè concepta in ordine ad suam causam: neque quidem excludimus id quod per connotationem insinuat, nempe causationem materiæ quam suo modo implicat. Hoc tantùm volumus, dependentiam esse materialiter entitatem formæ dependentis inadæquatè conceptam: formaliter esse negationem independentiæ sive à causa efficiente, sive à suffulciente: per connotationem, seu potiùs per quandam suppositionem, esse ipsam causationem per quam forma producitur.

Dependentiam non esse modum formæ.

24. Hisce sic definitis, haud difficile fuerit monstratu, dependentiam nullo sano sensu dicere modum formæ: sed vel inadæquatum ejusdem conceptum, ut materiam ejus; vel negationem, ut formalem ejus rationem; vel connotationem modi materiæ quo fit: ità ut nullo respectu modum formæ denotat, quin potiùs, si quâ ullum modum significet, extra formam excurrit, & in materia eum supponit. Hoc jam confirmatur ex ipsa re dependente. Res enim una non dependet

ab

ab alia per aliquam particulam aut appendicem ſui, ſed per totam ſuam entitatem. Aliter enim res dependens rectè divideretur in partem immediatè dependentem, & alias partes non immediatè dependentes. Verùm omnes formæ partes, ſi quas ei adſcribas, ex æquo dependent, & omnes æquè immediatè à materia, nè in nihilum ruant, ſuſtentantur. Inhærentia enim formæ non magis dependet à materia quàm ipſa entitas ejuſdem: nec ſucceſſivè, primò inhærentia, deinceps natura, deſtruuntur; ſed vel ſimul perduntur, vel ſimul conſervantur. Alioquin enim natura formæ non immediatè materiæ inhæreret, ſed mediante ejus modo inhærentiæ; nec immediatè dependeret, ſed mediante dependentiâ modi: quibus datis, forma non eſſet natura materiæ, quippe cui non immediatè uniretur. Nihil enim cuivis rei intimius eſſe poteſt eſſentiâ ſuâ. Dices, hoc argumentum retorqueri poſſe in modos materiæ, qui videntur ſimiliter intervenire inter materiam & formam. Sed huic objectioni infrà ſatisfit.

Quod pendet, per ſe ipſum pendet.

25. Porrò, concipi non poteſt, rem aliquam ab alia tanquam à cauſa poſſe pendere per aliam entitatem quàm per ſeipſam. Ipſa enim propria entitas eſt quæ cauſatur, quæque eò dependet quia cauſatur; non ergò dependet per aliud quod cauſatur præter ſeipſum. Sicut enim res ab aliis omnibus, non per aliquid additum, ſed per id ipſum per quod eſt, diſtinguitur; ità res à ſua cauſa dependet, non per aliam rem, ſed per ſuam entitatem dependentem, quam cauſa produxerat. Ipſa enim entitas, per quam res eſt, tota eſt dependens: non ergò opus eſt modo aliquo quo dependeat; ſed opus eſt modo quo producatur, quóque ſuſtentetur. Qui modi ſubjectantur in materia, à qua forma tum dependet, ut ab efficiente interna, tum ſuſtentatur, ut à cauſa materiali ſeu ſubjectiva. Quare dependentia non eſt modus dependentis, ſed ipſa entitas ejuſdem inadæquatè concepta: ſupponit autem modum cauſandi in cauſa à qua dependet. Atque hæc de dependentia.

Inhærentiam eſſe inadæquatum conceptum inhærentis.

26. De inhærentia quoque adhuc nonnulla ſubjungere lubet. De ea enim non minùs dubium eſt, an ex parte rei à forma inhærente differat. Non enim ingreditur compoſitionem corporis phyſici, ut res diſtincta à forma phyſica. Eſt ergò inadæquatus tantùm conceptus ipſius formæ. Hujus enim

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 205 sur 591

©BIUM

fundamentalis ratio est inhærentia naturæ, & ratio operativa est natura inhærens. Jam verò inhærentia nihil est, sublatâ naturâ inhærente; & natura inhærens nihil est, sublatâ inhærentiâ. Quocirca inhærentis esse est inesse, sive inhærere. Inhærentia itaque est de entitate naturæ inhærentis. Hæc enim componitur, non physicè, nec realiter, sed ex inadæquatis conceptibus ratione tantùm cum fundamento in re distinctis. Motus enim quo producitur natura inhærens non duplici terminatione, sed simplici, ad naturam inhærentem terminatur. Si enim ordine naturæ primò ad naturam, & deinceps ad inhærentiam, terminaretur, natura in eo momento essendi secundùm ordinem naturæ esset independens: sin primò terminaretur ad inhærentiam, & indè ad naturam, inhærentia non esset modus naturæ, quod vult Suarius. Modus enim ordine naturæ consequitur rem cujus est modus. Si ergò non consequatur, non est modus: & propterea est ipsa entitas naturæ inadæquatè concepta, quatenus ea subjectivè dependet à materiali causa. Quare inhærentia & natura inhærens non differunt ut res & modus ejusdem, multò minùs ut res & res; & consequenter differunt tantùm ratione, & ut inadæquati conceptus. Fateor Suarium passim contendere, inhærentiam esse modum formæ materialis, sive loquamur respectivè de substantiali, sive de accidentali. Sed repugnat ut hæc ità sint. Impossibile enim est ut natura non sit ordine naturæ prior suo modo. Cùm enim natura (ut constanter docet Suarius, & inprimis in Disp. 34. s. 6. nº. 9.) sit materialis causa sui modi, repugnat ut non sit ordine naturæ eodem prior. Cùm ergò neque natura accidentalis neque substantialis sit suâ inhærentiâ ordine naturæ prior, hæc non est illius modus; nedum natura inhærens est modus inhærentiæ. Nam inhærentia nihil aliud est nisi naturæ inhærentis dependentia à subjecto, hoc est, significat eam esse modum subjecti: sed quia inhæret ut natura, est modus subjectum eâ sive essentiali, sive accidentali, naturâ respectivè qualificans seu afficiens. Inhærentia igitur non est modus naturæ inhærentis, sed denotat hanc esse modum subjecti. Non itaque quærit alium modum aut aliud medium unionis cum subjecto præter seipsam quatenus inhærentem. Non enim unus modus per alium unitur: siquidem hoc concesso, daretur

daretur proceſſus in infinitum. Nam ſecundus modus ad ſuam unionem (pari jure quo primus ad ſuam exigit ſecundum) poſtularet tertium, & ſic in infinitum.

27. Sed redeamus ad cœptam diſquiſitionem de cauſalitate materiæ. Dices, me ſuprà aſſeruiſſe duplicem modum ex parte materiæ ad cauſalitatem ejus complendam, activum & paſſivum, requiri, & ſuffulſionem formæ eſſe modum ejus paſſivum, qui, quòd inter formam & materiam interveniat, eas disjungit,& illa,mediante modo,huic unitur. Reſpondeo, modum quo materia ad certam formam naturaliter ſuſtentandam determinatur vel potentialem vel actualem eſſe: & potentialem nihil aliud eſſe, niſi eam naturalem aptitudinem materiæ ad aliquam formam in ſpecie ſuſcipiendam, quâ ejus cauſalitas (ut ſuprà declaravimus) potentialiter determinatur. Atque hic modus eſt proxima potentia ad formam, & cauſalitatem materiæ potentialem complet. Modum verò actualem eſſe ipſam cauſalitatem materiæ actu completam, quo actu formam ut naturam ſuam educit & ſuffulcit. Atque hic modus eſt materiæ, non formæ, modus, cujus cauſalitatem, non naturam, actu complet. Non eſt ergò cur metuamus nè forma ſit modi modus: ſed forma eſt modus materiæ ejus naturam complens, & alter materiæ modus eam determinans eſt modus ejus cauſalitatem complens. Quæ optimè conſiſtere poſſunt. Nam aptitudo naturalis ad certam formam non eſt modus formæ, (ſiquidem forma nondum eſt,) neque forma eſt modus aptitudinis, ſed materiæ ipſius. Materia enim plures modos ſuſcipere poteſt; unum, quo ejus cauſalitas, alterum, quo natura completur. Similiter, actualis cauſalitas materiæ non eſt modus formæ, quòd eum ordine naturæ præcedat: nec forma eſt modus cauſalitatis materiæ, ſed terminus ejuſdem. Concludendum igitur eſt, cauſalitates quibus forma producitur & ſuſtentatur eſſe modos materiæ, non formæ. Quærenda ulteriùs eſt determinatio generaliſſimæ potentiæ materiæ, & quid determinet eam. Nam ut potentia materiæ interminata eſt cauſalitas ejus remotiſſima; ità potentia determinata eſt ejuſdem proxima. Verùm potentia in genere dicit relationem tranſcendentalem, quæ vel concretè includit, vel ſaltem connotat, ſuum fundamentum. Relativa ergò ratio potentiæ mate-

Modus materiæ eſt vel actualis, vel potentialis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 207 sur 591

©BIUM

riæ primæ ex æquo respicit omnes formas: ejus fundamentum est ipsa entitas ejusdem, quæ perpetuò aliquam formam sustentat. Relativa ratio potentiæ proximæ ad certam formam in specie collimat, ejúsque fundamentum est conformis quædam materiæ determinatio ad eandem per actum vitalem in se excitatum.

Materiæ determinatio per prævias dispositiones triplex.

28. Sed vixdum satis distinctè aperuimus in qua entitate hæ prævie dispositiones, & indè orta materiæ determinatio, consistunt. Etenim hæc quodammodo triplex est; præparatoria, eductiva formæ, & conservativa ejusdem: & prima species prævias dispositiones complectitur. Quæ ad tria quoque capita reducuntur: nempe, 1. motum hostilem à generante excitatum; 2. affectiones permanentes motu introductas; 3. ideam generantis.

Præparatoriæ tres species.

Motus hostilis exponitur.

29. Motus hostilis eò in materia à generante excitatur, ut ejus virtute formam præsentem subruat, & viam ad formam aliam, quippe sui similem, introducendam muniat. Affectiones præternaturales accidentia quædam permanentia sunt virtute motûs hostilis à generante illata, & propterea præternaturalia. Hostili regni cujuspiam invasioni hanc formæ præsentis impugnationem comparare licet. Motus hostilis est hostis invadentis exercitus; hic in regno alieno arces & propugnacula sibi exstruit, quæ affectiones permanentes hostili motu invectas referunt. Porrò, motus & affectiones præternaturales conjunctim, loco vexilli, ideam causæ invadentis erigunt. Hæc idea non minùs inimica est præsenti formæ, quàm sunt ejus causæ: materiam enim ad suos amplexus, & ad dimittendam formam præsentem, solicitat; adeóque illius cum hac unionem quodammodo laxat & debilitat. Hæ causæ, si prævaleant, tractu temporis formam præsentem expugnant; sin contrà hæc triumphet, illas foras deturbat. Prævie dispositiones prævalentes sensim intenduntur, donec ad momentum quo forma præsens expellitur deventum sit. Eo enim instanti determinatio materiæ præparatoria completa fit. Cùm enim in proximo momento forma vetus expellatur, & nova educatur, clarè constat materiam fuisse in antecessum ad eam formam satis determinatam: aliter enim effectus non immediatè consequutus fuerat. Hæc præparatoria determinatio tota spectat ad materiam

teriam ſecundam, eámque à prima & formata diſtinguit.

30. Sequitur determinatio eductiva formæ: eámque primò conſideremus ut in fieri. Hæc ſupponit prævias diſpoſitiones modò memoratas, nempe motum hoſtilem, affectiones præternaturales, & ideam generantis excitatam: quæ omnia durante formâ priore ſunt materiæ præternaturalia; ſed in ipſo momento expulſionis ejuſdem naturalia fiunt, quòd materia jam ad novam additionalem naturam ſeu novam formam determinetur. Materia enim ab efficiente ſubacta & domita, nempe formâ priore ſpoliata, ideam generantis ſibi minimè præternaturalem eſſe percipit. Forma enim ſeu natura materiæ cui idea erat antea inimica jam eradicatur, & nihil in materia ſupereſt quod ei advorſum eſt: imò nulla alia idea præter hanc ei offertur. Quare percipit hanc ut repræſentantem naturam ſeu legem eſſendi & operandi ſibi maximè congruam & genuinam. Hanc igitur unicam expetit, hanc ut naturam ſuam amplectitur. Percipit quoque affectiones præparatorias, quas priùs ut ſibi præternaturales ſpreverat, eſſe ſuæ novæ naturæ conformes & naturales. Denique, percipit motus, priùs hoſtiles, eſſe jam amicos & familiares. Ad novam itaque naturam per ideam generantis ſibi oblatam materia determinatur. Habet enim ſufficientem à generante excitationem ad educendam in ſe conſimilem naturam ei quam ejus idea repræſentat, quæque tribus materiæ primæ facultatibus complacet. Perceptio igitur materiæ ad approbationem, appetitus ad optionem, potentia motiva ad actualem eductionem formæ ideæ ſimilis determinatur. Atque hæc determinatio potentiæ materiæ eſt ejus cauſalitas actualis, quæ exercetur in ipſa formæ productione, & ſpectat ad ipſam materiam formatam quatenus eſt in fieri. *Determinatio eductiva.*

31. Determinatio materiæ conſervativa nihil aliud eſt, niſi continuatio quædam determinationis eductivæ. Continet hos actus: materiam percipere naturam ſuam additionalem eſſe bonam & ſibi congruam; eandem eligere & amare; eámque ſuſtentare, tueri & vindicare. Perſiſtit in his actibus, donec à cauſis ſe potentioribus iterum hoſtiliter invadatur, & ſubjugetur. Quo caſu redit ad ſtatum præparatorium modò deſcriptum. Hæc determinatio permanens propriè quoque ſpectat ad materiam formatam, ſcilicet *Conſervativa.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 209 sur 591

©BIUM

quamdiu ea formam præsentem retinet. Atque ità explicuimus totum processum causalitatis materiæ: tantùm contra ea quæ diximus Objectiones aliquot occurrunt diluendæ.

Objectiones tres. Prima.

32. Prima est, Nihil intervenire inter materiam & formam. Nam forma est natura, quâ nihil rei naturatæ intimius esse potest: at verò si determinatio materiæ includat sive actiones sive passiones percipiendi, appetendi, & movendi, necessariò inter eam & formam istæ interveniunt, nec satis inter se immediatæ erunt. Respondeo, causalitatem materiæ intercedere debere inter materiam & formam. Impossibile enim est ut aliquid determinatè causet absque determinata causalitate sua. Fateor causalitatem materiæ primæ, quæ ejus potentia est, esse perpetuam, & non discrepare ab ipsa entitate ejusdem nisi ut inadæquatus conceptus. Verùm insufficiens est hæc causalitas absque ulteriore determinatione, ut patet ex argumento Suarii ab initio proposito. Causalitas enim quæ hanc vel illam formam in specie aut individuo producit, non est nuda causalitas indifferens ad omnes formas, neque est potentia perpetua, sed est causalitas quæ successivè variari potest, & pro ea variatione varias formas excitare. Requiritur itaque ad actualem generationem, ex parte materiæ, determinatio potentiæ ejus indifferentis. Non autem determinari debet additâ aliquâ naturâ complente, (sic enim incapax esset alterius formæ,) sed objectivè & idealiter, seu repræsentando ei pulchritudinem & congruentiam formæ educendæ. Hæc determinatio non propriè concipienda est ut res interveniens inter materiam & formam; sed ut res requisita ex parte materiæ priusquam cum forma naturaliter conjungi queat. Oportet enim materia in ratione causæ materialis sit completa, antequam formam educere potest. Cùm ergò requiratur idea formæ in materia ad ejus causalitatem materialem complendam seu determinandam, necesse est idea ista formam ipsam saltem ordine naturæ, si non temporis, antevertat. Quòd verò idea sit prærequisita ex parte materiæ, ex eo monstratur, quòd materia prima (ut hîc supponimus, & infrà probabimus,) facultatibus, perceptivâ, appetitivâ, & motivâ, perpetuis dotetur. Cùm ergò hæ facultates in ipsa vita seu natura materiæ fundamentali radicentur, oportet ad formam educendam suo modo concurrant. Aliter enim hæc non

non erit fundamentali naturæ materiæ conformis, neque conſequenter ei connaturalis. Verùm ut omnis dehinc ſcrupulus qui de hac re oriatur amoveatur, ſciendum eſt, hoſce materiæ modos, ſive activum, ſive paſſivum, quatenus alteruter pro proxima cauſandi potentia ſumitur, nullo modo poſſe immediatam inter materiam & formam unionem impedire; quia forma quæ ſupponitur poſſe ſic impediri nondum actu eſt. Si verò alteruter pro actu cauſationis accipiatur, multò minùs impedire poteſt; quia ipſo momento quo forma elicitur hæc ejus cauſatio deſinit eſſe. Impoſſibile enim eſt ut, facto termino, actio eum præcisè producens actu maneat. Eſt enim ipſum fieri termini, & conſequenter, hoc facto, ceſſat. Quanquam enim actio ſæpe continuari dicitur: ea tamen ejus pars quæ parti termini à ſe præcisè productæ reſponderat, præteriit, & continuatur actio ſolùm per partes ejus quarum termini nondum facti ſunt, ſed ſunt continuè in fieri reſpectu terminorum à ſe ſucceſſivè producendorum. Repugnat enim ut id cujus eſſe eſt in fieri, maneat in facto eſſe: Sed eſſe cauſationis conſiſtit in fieri, & per conſequens, termino facto, nequit inter formam & materiam in earum unione ſe interponere. Quod ad prævias diſpoſitiones attinet, eæ quidem manent, ſed contingenter tantùm, & non ut intima natura materiæ uniuntur. Nequaquam igitur impediunt unionem materiæ & formæ, quæ maximè naturalis eſt, & certè multò intimior unione accidentali. Nihilominus, ſuſceptâ formâ, hæ diſpoſitiones, eâ mediante, naturalem quoque cum materia unionem conſequuntur.

33. Qui vitam materiæ eſſentialem non agnoſcunt inextricabilibus nodis circa determinationem cauſalitatis ejuſdem implicantur, ut videre eſt apud Suarium Diſp. 13. totâ ſ. 9. Neque minoribus difficultatibus urgentur circa modum quo generantis forma mediantibus accidentibus ad productionem formæ ſubſtantialis attingat: de qua re conſuletur quoque Suarius Diſp. 18. totâ ſ. 2. In noſtro autem modo explicandi, forma generantis, motu in materia excitato, in eadem ideam ſuam erigit, quæ optimè naturalem formæ eductionem declarat: nec opus eſt confugiamus ad Averroïs chalcodiam, ut officiosè obſtetricetur generationi formarum, aut migrationem Pythagoricam à ſubjecto in ſubjectum ſomniemus. *Difficultates quibus adverſarii implicantur.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 211 sur 591

©BIUM

emus : imò neque neceſſe eſt à cœlo aut ſtellis, quod ipſe Suarius coactus facit, formas deducamus : nedum neceſſitemur in ſcenam naturæ ipſum Deum evocare ad defectus creationis ſuæ miraculis conſarciendos. Sic enim fatetur Diſp. 18. ſ. 2. nº. 27. *Dico*, inquit, *quartò, quando accidentia à ſua forma diſtincta ità efficiunt ſubſtantialem formam ut non poſſint à propria forma juvari, neceſſe eſt ut influxus propriæ formæ, qui ibi deeſt, per concurſum alicujus ſuperioris cauſæ ſuppleatur : quæ cauſa eſſe non poteſt aliqua intelligentia creata, ſed eſſe debet aliqua cauſa corporea, ut ſol, vel alia ſimilis ; vel ſi hæc etiam deſit, aut inſufficiens inveniatur, per concurſum primæ cauſæ totus ille defectus ſupplendus eſt.*

Obj. 2. An forma determinet materiæ cauſalitatem.

34. Objectio ſecunda eſt, Formam determinare materiam, eámque contrahere ad ſpeciem. Quod enim diſtinguit, & ab omnibus aliis diſtinctum conſtituit, contrahit & determinat. Verùm forma eſt quæ diſtinguit & conſtituit ; & propterea idea non determinat materiam. Reſpondeo, Aliud eſſe determinare cauſalitatem materiæ, aliud determinare eſſentiam ejuſdem incompletam. Determinatio cauſalitatis *efficienter* fit à generante, ſed remotè ; proximè, ab idea ejus : *materialiter* eſt à potentia materiæ ideâ generantis imprægnata ; ad cujus ideæ exemplar forma educenda fit, ità ut momento ſaltem naturæ hanc illa anticipat. Veruntamen idea non determinat materiam ad completam ſpeciem, ſed ad completam cauſalitatem, ſeu ad completam potentiam cauſandi proximo momento formam ; quâ demum eductâ, completa ſpecies ſeu corpus compoſitum conſtituitur. Formæ ergò officia ſunt, complere naturam materiæ, cum hac conſtituere compoſitum, & ab omnibus aliis diſtinguere : ideæ verò, proprium eſſe tantùm complere, & determinare potentiam ſeu cauſalitatem materiæ, quæ completur repræſentando naturam ſeu formam educendam. Si urgeas, cauſalitatem materiæ primæ eſſe entitatem ejuſdem, & conſequenter determinationem cauſalitatis ejus eſſe determinationem entitatis, atque adeò totius materiæ : reſpondeo, Revera materiam primam determinatione reddi materiam ſecundam ſeu proximam ; ſed dico nondum contrahi ultra rationem materiæ, hoc eſt, nondum determinari ad ſpeciem aliquam completam : & fateor ideam materiæ cauſalitatem, in

in ratione cauſalitatis materialis, ab incompleta ad completam determinare, ſed non ultrá. Quare hæc contractio non ea eſt de qua loquimur, ubi dicimus formam contrahere materiam, conſtituere ſpeciem completam, cum materia componere corpus, idémque ab aliis omnibus diſtinguere. Aſſero igitur materiam dupliciter eſſe incompletam; vel in ratione cauſalitatis materialis, vel in ratione naturæ formalis. Priore modo completa fit, cùm materia prima determinatur ad ſecundam, ſeu proximam; ſecundo modo, cùm materia proxima determinatur ad compoſitum, ſeu ad completam ſpeciem in categoria ſubſtantiæ. Quanquam igitur determinatio cauſalitatis materiæ ſit determinatio entitatis ejuſdem in ordine ad cauſationem; non tamen eſt determinatio complens materiam in ordine ad ſpeciem completam. Etſi enim materia & cauſalitas materiæ non differant in generali ratione materiæ; realiter tamen diſcrepant reſpectu entium additorum, per quæ reſpectivè determinantur. Nam cauſalitas materiæ primæ determinatur per prævias diſpoſitiones, & præcipuè per ideam generantis, actúſque vitales indè reſultantes: natura autem incompleta, per has vel illas additionales naturas perfectivas ejuſdem. Jam verò præviæ diſpoſitiones & forma facta realiter differunt, ut per ſe notum eſt; & conſequenter, quæ in ratione communi conſentiunt, per inferiorem determinationem ſatis diſtinguuntur: ut urſus & leo in ratione animalis idem ſunt, ſed per additionales naturas ſpecie diſcriminantur. Similiter cauſalitas & entitas materiæ in generali ratione materiæ primæ non realiter, ſed tantùm ratione cum fundamento in re, differunt; ſed factis diverſimodis additionibus, fit ut realiter diſcrepent.

An forma materiam, an materia formam determinet.

35. Dices, ex iis quæ dicta ſunt inferri, formam non materiam, ſed hanc illam, ad ſpeciem determinare. Nam materia equi priuſquam accedit equi forma ad hujus eductionem diſponitur. Quocirca materia prædeterminatur ad entitatem materiæ equi antequam educitur forma ejuſdem: imò materia ſic diſpoſita determinat formam quam educit, nedum hæc determinat illam ad materiam equi. Reſpondeo, revera materiam equi eſſe diſpoſitam ad formam equi antequam hæc educitur: verùm eam diſpoſitionem eſſe tantùm potentiam remotam, propinquam, aut proximam, donec forma actu

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 213 sur 591

©BIUM

educitur : postquam autem forma actu educitur, esse actu materiam equi. Impossibile enim est ut materia hæc vel illa sit actu materia equi, ubi actu nullus equus est. Quare forma est quæ ex materia equi potentiali facit materiam equi actualem, & unà equum actualem. Sed materia (inquies) prædeterminat formam suam ad formam equi, & ad nullam aliam. Fateor. Est enim materia ultimò determinata respectu causalitatis suæ : siquidem aliter hanc formam nunquam educeret. Est igitur ad hanc solam in antecessum determinata. Non enim putandum est, formam determinare materiam antequam ipsa est ; sed materia primò dat esse formæ, & forma facta cum materia dat esse composito, cujus jam partes actu sunt materia & forma, quæ antea erant partes tantùm potentiâ. Vel, si lubeat dicere formam in potentia determinare materiam quamdiu est in potentia, & formam actu eam determinare postquam actu est, per me licet. Nam præviæ dispositiones simul sumptæ sunt quasi forma in potentia, præsertim idea, quæ, ut dixi, formam educendam quodammodo anticipat ; & hinc forma dicitur esse in potentia materiæ, & educi è potentia materiæ. Materiæ enim potentia ad educendam formam per has dispositiones determinatur. Perinde autem fuerit sive hoc, sive priore modo locutus fueris. Res enim in idem redit ; modò per formam in potentia intelligas, ut dixi, prævias dispositiones, & præsertim ideam formæ futuræ.

Obj. 3. Ideam generantis non mutari.

36. Objectio tertia est, Ideam generantis non posse mutari in ideam generati. Etenim idea quâ fit perceptio naturalis non realiter differt à re cujus est idea. Cùm ergò generans non mutetur in genitum, neque illius idea in hujus mutari potest. Respondeo, Ideam hanc integre sumptam tria minimùm objectorum genera repræsentare, causam moventem, alterationem motu factam, & effectum hujus : sed quatenus est in motu, primariò causam moventem ; quatenus in alteratione facta, primariò habitum, seu terminum impressum ; quatenus in causatione, primariò suum effectum proximè futurum, repræsentare. Intelligo verò ideam hanc nihil aliud esse nisi rem seu alterationem in materia à generante factam adhuc in motu tendente formam versùs, quatenus ea est objectiva moventis & suiipsius repræsentatio facultati perceptivæ materiæ intimè præsens. Attamen tripliciter

pliciter alterationem exprimit, directè, quatenus est in se; indirectè dupliciter, vel retrospiciendo ad causam, vel prospiciendo ad effectum. Idea alterationis factæ directè concepta est idea suiipsius; retrospiciens est idea formæ generantis; prospiciens seu anticipans est idea formæ educendæ. Jam verò, ut ad objectionem respiciamus, dico ideam non mutari respectu entitatis suæ, sed solummodo respectu relationis. Alteratio enim facta eadem manet quæ fuerat, sed natura materiæ mutatur, adeóque mutatur ejus relatio ad ideam permanentem. Materia enim, obliteratâ veteri formâ, novam, ideæ generantis consimilem, adsciscit, cui idea præexsistens naturalis jam fit; non quòd hæc, sed quòd illa, mutetur. Cæterùm idea retrospiciens non est directa idea causæ, neque est in eodem subjecto, sed realiter ab eo discrepat. Similiter idea prospiciens non est idea educendæ formæ directa, nec ab ea minùs distat quàm alteratio prævia à forma educta. Ab hac enim nova resultat idea directa, quæ non differt à forma cujus est; ut nec idea præviæ alterationis differt ab entitate hujus. Quod enim dicitur in objectione, ideam non realiter differre à re cujus est, intelligi debet de idea directa. Nam de indirectis falsum est. Atque sic diluitur Objectio tertia. Hæc de Materiali causa formarum: sequitur Efficiens.

Cap. XI.

De Efficiente formæ causa.

1. Efficiens formarum causa variis nominibus, præcipuè tribus, vulgò venit; vocatur *Agens*, *Movens*, & *Generans*: quæ nomina tam causis naturalibus quàm præternaturalibus competunt. Sciendum est causam efficientem & materialem, eò quòd circa eundem effectum (putà formæ productionem) exerceantur, non ità ab invicem distingui, quin earum tractationes aliquo modo implicentur. Hinc suprà in explicatione determinationis materiæ mentionem fecimus motûs, affectionum præternaturalium, & ideæ generantis: *Efficientis nomina.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 215 sur 591

rantis: quæ omnia ab efficiente causa primò proveniunt. Veruntamen dupliciter considerari possunt, effectivè, & subjectivé. Effectivè respiciunt causam efficientem; subjectivè, causam materialem, in qua inhærent. Hoc posteriore modo de iis suprà dictum est: de priore aliquid supereſt dicendum.

Motu omnia fieri.

2. Certissimum est, generans, excitato quovis modo motu in materia, eas omnes alterationes & mutationes quæ in rebus cernuntur concitare. Quiete enim nihil innovatur. Quod enim ad metamorphoses quæ à poetis finguntur attinet, omnes miraculosè produci supponuntur. Alioquin enim nè concipi quidem quirent; nedum ut res in natura gestæ vel à poetis ipsis celebrari. Ratum ergò esto, omnes alterationes & mutationes motu perpetrari. Cæterùm Peripatetici motum distinguunt in accidentalem, & substantialem. Illum

Motus successivus, & instantaneus.

successivè, hunc in instanti, perfici aiunt. Ego fateor me vix posse motum instantaneum concipere: & propterea eum potiùs, ut faciliùs concipiam, ad duorum motuum terminos, finem unius, & principium alterius, referrem. Quando

Quo modo hîc concipiatur.

forma vetus impugnatur, incipit motus præternaturalis: hic perpetim intenditur, donec forma præsens eradicatur. Qui terminus ultimus seu finis primi motûs cœpti esto, & totus præternaturalis est. Hunc motum proximo naturæ momento alius totus naturalis excipit; nempe idea, stipata præviis dispositionibus, & motu, earum origine, simulac dimittitur forma prior, materiæ victæ & subjugatæ novam legem effendi, hoc est, novam naturam seu novam formam, sibi suique generantis legi conformem, præscribit. Atque hic terminus incipiens novi principii motûs, seu novi motûs, esto. Dico, ultimum terminum prioris & primum posterioris motûs in eodem momento temporis contingere, quanquam ordine naturæ priùs desinat motus præternaturalis quàm incipiat naturalis, ut explicuimus. Si jam ultimum terminum prioris motûs cum primo posterioris componamus, & vocemus mutationem seu motum instantaneum & substantialem, mihi minimè displicuerit, modò res concipiatur uti est. Cognito itaque modo quo mutatio sive motus substantialis fit, supereſt consideremus, 1. quomodo motus moventis ideam in materia mota suscitet; 2. quomodo idem motus affectiones

perma-

permanentes in eadem causet; 3. quomodo hæ ideam moventis in alieno subjecto præservent. Hæc quæsita superant fortasse vires nostras: utcunque hîc quoque vada tentanda sunt.

3. Veruntamen, quò magis distinctè procedamus, idearum genera ipso limine distinguamus opus est. Sunt igitur vel propriæ, vel alienæ. Propriæ, ab entitate percepta, quatenus repræsentativa sui, causarum & effectuum suorum, vix videntur realiter differre. Cùm enim substantia ipsa ejúsque accidentia sint per se cognoscibilia, scilicet, cùm sint positivæ rationes objectivæ tum suiipsius, tum suarum causarum & effectuum, cúmque sint intimè præsentia perceptivæ facultati; fieri nequit quin simul sint sufficientes ideæ tam suiipsius, quàm suarum causarum & effectuum. Quare esse ideam non ponit novam entitatem rei perceptæ à se sive realiter sive modaliter distinctam; sed tantùm novum inadæquatum conceptum (quatenus quid cognoscibile) solâ ratione cum fundamento in re à se discriminatum: nimirum quòd id ipsum quod est, eò quòd sit, simul sit objectiva ratio suiipsius, si modò facultati perceptivæ sit intimè præsens. Est autem idea propria triplex: directa; retrospiciens ad causas, eâsque referens; vel prospiciens ad effectus, eósque prævidens: de quibus suprà Capite 10. nº. 35. aliquid dictum est. Dices, ideas neque retrospicientes neque prospicientes esse proprias, sed alienas, quòd objectum est extra percipiens, vel saltem extra esse potest. Etenim plerumque causa est extra effectum, & effectus extra causam. Respondeo, me fateri solam ideam directam esse maximè proprio sensu naturalem & propriam: verùm ideas retrospicientes esse quoque suo modo naturales, quo respectu hîc ad proprias referuntur. Siquidem præviæ dispositiones, in quibus plerumque hæ causarum ideæ primò fundantur, quanquam ante adventum novæ formæ præternaturales sint, & eatenus alienæ, postquam tamen forma advenit, fiunt naturales, & eatenus propriæ. Similiter ideæ prospicientes, effectum licèt extra se plerumque repræsentent; quòd tamen virtus ipsa in qua relucent sit naturalis, reputandæ sunt naturales, & consequenter suo modo propriæ. Ideas alienas eas appellamus quæ ab extrà veniunt, & percipienti sunt præternaturales. Harum duo sunt genera: prius complectitur ideas fientes, seu in motu consistentes; *Idearum genera.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 217 sur 591

posterius, factas, & in termino motûs conservatas. Illæ multò vividiores, hæ languidiores sunt. De utroque genere in difficultatibus propositis evolvendis aliquid advertendum est.

Motum moventis ideam inferre.

4. Primò, Quomodo motus moventis ideam in materia mota suscitat. Supponimus hîc motum perpetuò moventis ideam imprimere: sed nè gratis hoc supposuisse videamur, fortasse non fuerit abs re, si, priusquam progrediar, paucis rem ità esse ostendero. Evidenter autem evincitur ex ipso sensu in genere. Omnis enim sensus motu excitatur, & quidem sensus externus motu organi externi. Sensorium enim motum, eò quòd movetur, ideam moventis percipit. Verùm maximè conspicuum in sensu visûs hoc fit. Qui vultum suum aut alterius in speculo contemplatur, reflexos radios lucis à se in vitrum à vitro in oculum excipit. Radii excepti, ut movent oculum, ità in eodem effigiem quam in vitro cernis, hoc est, ideam objecti moventis, depingunt: hâc tamen limitatione, nihil objecti exprimunt quod non efficaciter ad motum inferendum aut qualificandum concurrit. Oculus itaque non percipit odorem aut saporem; sed figuram, colorem, magnitudinem, situm, &c. Quicquid verò objecti, aliquid ad motum in oculo excitatum contribuit, in idea in oculi camera formata proportionaliter exprimitur. Statuimus itaque objectum movens, in quantum ad motum concurrit, in tantum ideam suam in materia mota excitare.

Ideam non realiter differre à motu.

5. Hisce itaque concessis, dicendum est, ideam moventis vel esse rem realiter à motu excitato distinctam, vel esse inadæquatum conceptum ipsius motûs. Primo quidem obtutu videtur res à motu planè diversa. Refert enim objectum realiter diversum, & loco à se divisum. Motus enim in materia mota inhæret: idea moventis causam moventem, quæ plerumque res extra rem motam est, repræsentat. Si autem idea & motus essent realiter idem, idea primò ipsum motum, & quasi secundariò causam moventem, repræsentaret. Sed contrà fit, idea objecti visi non primò refert motum, & secundò objectum movens; at primò hoc, & fortasse non omnino illum. Nisi enim reflexè consideremus motum quo idea repræsentans objectum fit, directâ objecti perceptione eum minimè perciperemus; & credibile est, bruta nullo modo com-

comprehendere modum quo ipsa percipiunt. Oculus enim non cernit motum in se factum quo idea objecti imprimitur.

6. Nihilominus, qui naturalem perceptionem admittunt, probabilius forsan esse judicant, ideam moventis motu productam non realiter, sed tantùm ratione cum fundamento in re, à motu ipso ut est in fieri differre. *Probatur 1.* Nam primò, non sunt multiplicanda entia nullâ cogente necessitate: si autem ponamus ideas ab entitate motûs realiter distinctas, multiplicamus entia necessitate non cogente, & quidem hæc multiplicatio in infinitum propemodum excrescit. Utpote si corpora habeant ideas naturales à motu distinctas, quas aliis corporibus communicent, quoquoversùm easdem à se spargunt. Nulla enim ratio reddi potest cur magis ad dextram quàm ad sinistram easdem projiciant. Quapropter circumquaque eas diffundunt, & in quolibet corpusculo erit immensa confusáque idearum exoticarum congeries. Quare tanta entium multiplicatio, necessitate non urgente, omnino vitanda est. Quòd verò necessitas ad hanc multiplicationem nos non cogit, ex eo patet, quòd movens motu suam ideam in materia mota absque alia actione satis efficaciter imprimat. Motus enim fiens, quà talis, non repræsentat facultati perceptivæ rei motæ entitatem factam, sed viam ad motum factum, nempe ipsam causationem ejusdem: causatio autem est actio moventis, quæ, quatenus perceptivæ facultati materiæ passæ objicitur, est idea moventis. Actio enim assimilatio quædam est, & consequenter simulacrum quoddam seu ideam efficientis gerit: quam facultas perceptiva materiæ passæ, propter intimam sibi præsentiam, necessariò percipit, nec opus est aliam ideam fingamus. Hæc enim, nempe ipse motus in fieri, objectivâ suâ præsentiâ perceptivæ facultati materiæ recipientis sufficit. Quapropter idea moventis, à materia mota percepta, est tantùm inadæquatus conceptus ipsius motûs fientis à movente excitati. Addo, naturalem perceptionem percipere non solùm inadæquatum actionis motivæ conceptum, sed etiam integram ejusdem objectivam rationem: verùm animalem perceptionem advertere tantùm ideam moventis, nec percipere motum factum in causatione ejusdem. Motus enim factus adhuc quasi in potentia est;

ejus

©BIUM

ejus enim actus quodammodo præteriit: causatio verò sive motus in fieri est in actu flagrantissimo. Porrò, motus factus segnem ideam præbet; motus fiens, vigorosam. Hinc, etsi uterque movet perceptivam naturalem, solus tamen posterior pertingit ad facultatem animalem. Hæc causa est cur animalia percipiunt sola objecta, at motum in organo factum non discernunt. Et sic diluitur argumentum à nostro modo sensationis deductum.

Probatur 2. 7. Insuper sustineri nequit, ideam moventis esse rem realiter distinctam à motu moventis, in materia mota, fiente. Si enim quid aliud sit, est substantia vel accidens: at non est substantia, quia, si esset, subsisteret per se, & nunquam interiret. Præterea, nulla ratio assignari potest, cur, cùm solidam habeat entitatem propriam, suam causam efficientem, & non seipsam, repræsentet. Infero igitur, ideam moventis non esse substantiam. Deinde, aio non esse accidens à motu fiente distinctum. Sciendum est, nos hîc tantùm loqui de idea moventis quatenus percipitur, non à seipso, sed à re mota. Alioquin enim quælibet entitas in subjecto est sua objectiva ratio, quatenus intimè præsens suæ facultati perceptivæ, ut suprà notavimus. Sed, inquam, hîc loquimur de idea moventis quà tali in re mota excitata, & affero, eam non esse accidens distinctum à motu dicto in fieri. Si enim sit accidens distinctum, vel migrat à movente in materiam motam, vel in hac aliquo modo generatur aut resultat. Fieri nequit ut à movente deveniat, siquidem migratio accidentium de subjecto in subjectum ferenda non est. Revera motus dicitur à movente in rem motam transire; sed intelligitur causaliter, hoc est, moventem suum motum in materia propagare, scilicet consimilem de novo producere. Non ergò migrat de uno subjecto in aliud, sed ejus entitas est in continuo fieri. Idea verò, si sit accidens in materia mota genitum, saltem motu producitur: siquidem utplurimum movens est subjecto ideæ quid extrinsecum, & loco distans ab eodem. Quare producitur mediante motu. Si autem motus potest ideam producere, ergò in se habet: si non in se habet, nequit producere. Nihil enim dat quod non habet, neque agit quicquam ultra sphæram suam. Sin, contrà, motus fiens quoquo modo ideam moventis in se contineat, frustrà est ejus alia productio. Naturalis

turalis enim perceptio percipit effectum in causis; multò magis ideam moventis in motu fiente contentam. Dices, perceptionem effectûs in causis nimis languidam esse, & non respondere vigorosæ perceptioni quâ materia mota apprehendit ideam causæ moventis. Fateor; sed indè sequi, ideam hanc vigorosam nihil aliud esse nisi ipsum motum. Nam motus fiens res admodum vigorosa est, sed nequit producere ideam à se realiter diversam æquè vigorosam. Si enim aliam producat, multò minùs ac ipse est vividam dat. Hoc quotidiana experientia docet. Nam idea habitualis (quam, fateor, ea quæ in motu est producit) elumbis & languida est, si comparetur ad eandem quæ modò in motu actuali viguerat. Hoc in visu evidentissimè eluceſcit. Simulac avertis oculos ab objecto viso, (quo instanti actualis ejus motus cessat,) senties quàm languida statim fit perceptio ex idea habituali in memoria asservata. Concludendum igitur est, ideam vividam objecti moventis non realiter differre à motu fiente, quem movens excitat in materia percipiente.

Motus producit terminum.

8. Secundò, inquirendum quomodo motus affectiones permanentes in materia causet. Certissimum est, affectiones permanentes habere suas causas. Nihil enim sibimet ipsi dat esse præter unum Deum. Ea quæ ab aliis rebus quasi spontè resultant reipsa ab iis producuntur, & ab iisdem tanquam à materiali causa dependent: ut facultates ab earum subjecto, & relationes à fundamento & terminis. Si verò innovatio aliqua passo ab extrà adveniat, necesse est motu inferatur. Quod enim determinatam entitatem habet, & nullo modo ab eadem dimovetur, necesse est immotum, & consequenter idem, maneat. Non ergò dubitamus quin novæ affectiones, etiam permanentes, motu fiant; sed modum quo motus earum productionem attingat quærimus.

Differentiæ terminorum.

9. Asserit Suarius actiones omnes, & præsertim transeuntes, suos habere terminos; idémque luculenter probat Disp. 48. s. 2. Cùm ergò motus activus, hoc est, motus ab agente externo proveniens, sit actio transiens, necesse est producat terminum. Jam verò hic terminus est ipsa affectio permanens, de qua hoc loco, quomodo motu fiat, quærimus. Nihilominus non omnis terminus est affectio sive qualitas permanens; & consequenter necesse est eos hîc distinguamus.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 221 sur 591

©BIUM

1. Terminus fiens, & factus. Cum victoria, sine victoria.

Est ergò terminus vel tantùm fiens, vel factus & confirmatus. Si motus activus sit cum victoria, producit terminum factum seu confirmatum; sin sine victoria sit, dat terminum solummodo fientem. Exemplis illustrabo. Sit trabs, cujus altera extremitas terræ innitatur, altera inclinetur in columnam. Trabs premit columnam, sed sine victoria: simulac verò à columna amovetur, pressura cessat, nullúmque post se sui vestigium relinquit. Similiter libra plumbi mensæ imposita, quantum pendet mensam deprimit; sed sublatâ, illico pondus quo eam priùs gravabat cessat. E contrà, ubi motus est cum victoria, producitur terminus permanens: ut si calculus mensæ incumbens digito huc vel illuc impellatur, motus est cum victoria; (calculus enim supponitur pressuræ cedere:) producitur itaque novus terminus, ísque permanens, novus quippe situs; situs enim est proprius terminus qui motu locali producitur. Dices, situm calculi permanere, non gratiâ motûs triumphantis, sed gratiâ stabilitatis mensæ cui innititur. Si enim idem calculus in aere libero huc vel illuc impellatur, amoto motore situm non retinet. Respondeo, terminum dici permanentem in quantum non sine novo motu & contrario tollitur. Verùm nisus qui sine victoria est nihil in passo relinquit quod novum motum contrarium quo expellatur requirit, sed sublato nitente unà desinit. Quare manifesta differentia est inter terminum motûs cum victoria, & sine victoria. Ille enim non sine novo motu aboletur: hic, cessante causâ, spontè cessat. Ratio est, quia motus cum victoria supponit actualem motum in passo factum. Non ergò sine contrario motu ad priorem statum reducitur. Motus verò nitens sine victoria non supponit realem & actualem motum factum, sed solummodo nisum seu conatum irritum in passo excitatum. Non ergò caret motu contrario, quo restituatur.

2. Terminus fluens, & fixus.

10. Huic adhuc terminorum motûs differentiæ duæ aliæ subjungi possunt. Prior provenit à dissimili natura terminorum: posterior, à manumissione eorum è potestate causarum, vel non. Respectu dissimilis naturæ, termini alii fluentes sunt, alii fixi. Ad fluentes etiam refero volatiles. Siquidem fluere hîc dicitur id quicquid est in continua dissipatione. Hic terminus motûs conspicuè cernitur in flamma lucernæ, quæ perpetim

petim fluit & dissipatur. Similiter terminus vitalis motûs in continuo fluxu est, sed minùs veloci quàm terminus flammæ. Calor, porrò, est de natura sua terminus fluens; & quicquid motu producitur, simúlque entitate gaudet quæ in motu consistit. E contrà, soliditas, tenacitas, durities, & consimiles affectiones, sunt termini fixi, & efficacem motorem postulant, si iterum à terminatione acquisita dimoveri debeant. Posterior differentia, quæ à manumissione terminorum è potestate causarum vel secùs desumitur, eos distinguit in dispositionales, & habituales. Illi relabuntur, cessante impulsore; ut Sisyphi lapis: hi, minimè; ut surculus arboris diu inflexus. Rarefactio dissolvit aquam, vel in vaporem facilè condensabilem, vel in halitum habitualem. Ille citò in aquam reducitur; hic difficulter, & appellatur flatus, & est Gas Helmontii. Coagulatio motus est, cujus terminus coagulum seu grumus est, & manet cessante motu. Congelatio motus est, & glaciem producit ut terminum: Similiter rarefactio raritatem; condensatio densitatem; calefactio calorem, &c. Omnis constitutio cujusvis corporis habet suum motum quo producitur, & contrarium, quo dissolvitur. Termini motûs qui à generante producuntur non tantùm sunt cum victoria, verùm etiam frequenter fixi, & è potestate causarum manumissi: Unde absque continuo concursu efficientis permanere queunt.

3. *Terminus dispositionalis, & habitualis.*

11. Cæterùm non omnis terminus solo motu sibi proprio producitur, sed aliquando ab accidentali concursu aliorum motuum luctantium emergit. Hinc igitur terminus motûs aliam adhuc divisionem sortitur. Est enim alius per se, alius per accidens. Terminus motûs per se est, qui à motu ad talem productionem naturaliter destinato provenit: ut densitas est terminus naturalis condensationis, raritas rarefactionis, &c. Terminus per accidens est, qui, à causa impedita, aut à concursu causarum se mutuò impedientium, viréque invicem frangentium, exsurgit: ut tumor, qui oritur partim ab impermeabilitate partis contusæ, partim ab affluxu sanguinis aut humorum non permeante, sed in sede affecta congesto, partim à fibris partis irritatis, & se ad expulsionem irritò constringentibus. Verùm de omnibus speciebus terminorum motûs hîc agendum non est: ex dictis autem satis eluceſcit eos commodè, & quidem variis modis, à motu efficientis exoriri

4. *Divisio termini in eum per se, & per accidens.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 223 sur 591

©BIUM

oriri posse: adeóque secundo Quæsito satisfactum esse.

Terminum motûs præservare ideam moventis.

12. Tertium Quæsitum erat, Quomodo terminus motûs præservet ideam moventis in subjecto à movente diverso. Certum est, terminum motûs posse ideam moventis sic præservare, quòd iste terminus qui motu ab externis sensibus ad internos defertur, absente objecto, in memoria maneat. Fateor, absente, quàm præsente, multò obscuriùs manere: utcunque tamen manere, & hoc recedente, non continuò evanescere. Videtur itaque per modum impressi sigilli manere, & multò licèt obscuriùs quàm antea moveat, adhuc suo modo repræsentare. Certum igitur est, motum quem infert objectum terminum in cerebro producere, qui, absente licèt movente, ideam quandam ejusdem exprimit. Nihilominus difficultas de præservatione ideæ, quâ perceptio naturalis fit, adhuc hæret. Nam hæc per modum sigilli impressi præservari nequit. Siquidem in corporibus similaribus, utcunque confusè agitatis, reperiuntur tales termini; ut calor in aqua bulliente: fieri autem nequit ut idea, per modum sigilli impressa, in liquore tam confusè moto conservetur. Existimo igitur alio modo, & quidem magis reali, hanc præservationem ideæ naturalis effici. Dico igitur, ipsum terminum motûs, quamdiu in passo manet, esse sufficientem moventis ideam, etiamsi hoc de præsenti absit. Etenim, ut dixi antea, effectus suo modo continetur in causa, & causa quoque relucet in effectu: *Præsentémque refert quælibet herba Deum.* Quare manente termino motûs à generante illato, manet idea generantis, & hâc manente, materia habet sufficientem exemplarem causam ad cujus imaginem, pereunte veteri formâ, potest novam generantis similem è suo gremio educere.

Objectio.

13. Magna adhuc exceptio sive limitatio eorum quæ hîc de necessitate ideæ generantis ad actum generationis complendum dicta sunt supereſt; in omni generatione talem ideæ impressionem non contingere. Datur enim, ut Scholis placuit, generatio univoca, regularis sive ordinaria; & æquivoca, irregularis & extraordinaria. In priore quidem, idea generantis genito communicari videtur; in posteriore verò, ut communicetur fieri nequit. Generans enim, in hoc casu, genito planè dissimilis est, neque genitum ad exemplar ideæ generantis

Generatio æquivoca non sine idea formæ educendæ.

tis formatur; ut abunde ex plantis & animalibus ſpontè natis liquet. Verùm enimvero in his quoque materiæ præparatio triplex occurrit; motus, diſpoſitiones permanentes, & idea formæ educendæ. Motus, ut plurimùm, pendet à putredine aut fermentatione materiæ, aliâve violentâ causâ; diſpoſitiones permanentes à reliquiis prioris formæ, aut à concurſu aliorum efficientium: idea denique formæ futuræ partim à motu, partim à diſpoſitionibus fixis præſentibus, dimanat. Naturalis enim perceptio non tantùm noſcit præſentem ſuum ſtatum, ſed & aptitudinalem, etiamſi futurum. Continetur enim forma futura potentialiter in motu & diſpoſitionibus præſentibus. Habet itaque materia ritè præparata ideam formæ futuræ. Veruntamen quamvis in ordinaria generatione, ut ſuprà declaravimus, idea generantis ad perfectam materiæ præparationem requiratur; in æquivoca tamen productione ea non eſt neceſſaria, quippe ex concurſu aliarum cauſarum ejus defectus ſuppletur. Satis enim eſt ad generationem, ſi idea legem eſſendi & operandi futuram continens in ipſo articulo mutationis quoquo modo adſit.

In generatione defectiva adeſt idea.

14. Conſimilis quædam reſponſio alteri objectioni, multùm licèt diverſæ, obvenit. Sumitur autem à generatione iſta defectiva quæ ex ſubito interitu plantarum aut animalium conſequitur. Animal quidem demortuum mox in plura individua, imò & in plures ſpecies, tot ſcilicet quot continet genera partium ſimilarium, diſſilit. Cadaveris enim quælibet pars ſimilaris ab omnibus aliis diviſa integrum individuum conſtituit; & conſequenter novam formam diverſæ ſpeciei ab ea integri animalis nanciſcitur. Verùm interfecto animali, quodnam novum generans, quænam nova idea ad novæ formæ generationem in cadavere confluat, non conſtat. Mors enim animalis privativa quædam corruptio eſt, & poſitivam cauſam novarum formarum partium non explicat. Inventu ergò omnino difficilis eſt genuina cauſa harum formarum. Efficiens enim nulla cernitur; motus in partibus mutatis non eſt ſatis conſpicuus; conſtitutiones permanentes carnium, oſſium, membranarum, &c. eædem propemodum in defuncto quæ fuerant in vivo manent; neque ſatis conſtat unde novæ formæ idea, ut exemplaris ejus cauſa, deveniat.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 225 sur 591

Sed reſpondendum eſt, in iſtiuſmodi caſibus, reliquias prioris formæ vitâ animali orbatas, eo ipſo quòd ſic orbentur, à priore ſtatu ſatìs dimoveri; imò eo ipſo momento prioris ſtatûs lethen bibere, & jure proprio in ſe aſſumere materiæ dominium, ſibíque adeò conformem in eadem ideam reſultare facere. Sufficiens ergò cauſa ſunt novæ formæ. Continent enim motum degradationis à priore ſtatu, necnon prævias diſpoſitiones ad novam formam educendam requiſitas, nempe affectiones priori formæ ſuperſtites, & denique ideam formæ futuræ in materia operâ reliquiarum ſuſcitatam. Quare in omnibus partibus ſimilaribus cadaveris tres cauſæ efficientes generationis à nobis ſuprà aſſignatæ, motus, diſpoſitiones permanentes, & idea formæ educendæ, reſpectivè adſunt. Quare tres cauſæ exortûs & interitûs formarum priùs datæ variis modis generationis ritè applicatæ ſufficiunt, nec opus eſt de aliarum cauſarum inveſtigatione ulteriùs ſimus ſoliciti. Sed hæc de Formis materialibus in genere.

Cap. XII.

De generibus & ſpeciebus Formarum.

Digreſſionis occaſio.

1. Quanquam, ut ſuprà quoque monui, tractatus de Materia & Forma phyſicis ad locum hunc non ſpectat; cùm tamen ſcopus noſter hîc ſit tractare de natura ſubſtantiali, ejúſque tribus primis facultatibus, potiſſimùm in ordine ad res materiales, vix potui abſque inſertione hujus digreſſionis commodè procedere: cúmque de formæ materialis natura & cauſis ſuprà egerim, viſum eſt hîc quoque generalem quandam formarum diviſionem ſubtexere.

Formæ eſſentiales, & accidentales:

2. Dividuntur itaque formæ in eſſentiales, & accidentales. Illas vulgò vocant *ſubſtantiales*, (quæ denominatio quo ſenſu iis competat ſuprà declaravimus;) nos hîc *eſſentiales* dicimus, quòd additionali eſſentiâ materiam aliàs incompletam compleant, & ad ſpecies eſſentialiter diſtinctas contrahant. Eas ſubdividimus in ſimplices, & mixtas. Formæ ſimplices non tantùm elementarias, ſed & eas aliorum corpo-

ſimplices, & mixtæ:

rum

rum ſimplicium, ſi modò tales in natura dari conſtiterit, complectuntur. Huc referas, ſi lubeat, corpora cœleſtia, datâ eorum incorruptibilitate. Quin & videtur ſubtiliſſimus Stⁱ Albani Vicecomes inſinuare, in natura quoque inferiori dari nonnulla corpora ſimplicia. Profectò, ſi talia ſint, ex eo ab elementis diſcriminantur, quòd non ad mixtionem cum aliis, ſed ad exſiſtentiam ſeparatam ſeu ſolitariam, comparentur. Hujus generis eſſe à nonnullis putantur aurum, argentum vivum, taleum, &c. Sed de his nihil ſtatuo; quòd fortaſſe (ars licèt neſciat) tempus edax rerum ea olim diſſolvat, aut ſenſim atterat. Formæ elementariæ in puras, & ſeminali naturâ imprægnatas, diſtinguuntur. *elementariæ, & ſeminales.*

3. Hæc autem diviſio non eſt generis in ſpecies ſeparatim exſiſtentes, quemadmodum animal dividitur in hominem & brutum; ſed naturarum concretarum in ſuos abſtractos conceptus quodammodo ſubordinatos. Naturæ enim elementariæ cum ſeminalibus concretè exſiſtunt, & nullâ arte ità ſeparari queunt, ut ſeparatim conſpiciendæ exhibeantur. Naturæ quidem ſeminales ex parte ſaltem aboleri poſſunt & corrumpi, manentibus elementariis; non è converſo: ut, exempli causâ, aqua florum violarum diu aſſervata adeò tandem effœta fit, ut ſola fortè elementaria aqua ſuperſit. Elementa enim miſtorum ſunt genera quædam, ſive familiæ rerum generales, ad quas elementa ſeminalia ceu ſpecifica referenda ſunt: ut ſpiritus pinguis roſarum, cinnamomi, abſinthii, aniſi, &c. in genere conveniunt, quòd ſpiritus pingues ſint; ſpecie verò & ſeminali naturâ differunt. Non ergò exſpectandum eſt ut omnia elementa, eodem nomine donata, ſint ejuſdem ſpeciei. Tot enim eorum ſunt ſpecies quot ſunt ſpecies miſtorum quæ in ea reſolvuntur; conveniunt autem genere: nempe ſpiritus roſarum, abſinthii, cinnamomi, &c. conveniunt in eo, quòd ſint ſpiritus pingues; ſimiliter ſal Alkali ſive fixus tartari, abſinthii, nitri, &c. conveniunt in generali ratione ſalis fixi, etſi alioquin forſitan ſpecie diſtinguantur. Sunt tamen qui exiſtimant ſales fixos plantarum non retinere naturam ſeminalem, nec inter ſe ſpecie differre, ob deſtructam aut ſeparatam vi calcinationis iſtam naturam. Idem fortè dici nonnunquam poteſt de terra, ſive capite mortuo. Cætera elementa præter naturam elementariam, quæ generica eſt, *Ultima diviſio expenditur.* *Formas ſeminales fragiliores eſſe elementariis.*

eſt, ſeminalem, quæ ſpecificè appropriatur corpori cujus eſt, perpetuò includunt. Elementa igitur duas naturas in ſe complectuntur, generalem ſive communem, & ſeminalem ſive ſpecificam: quanquam hæc in nonnullis elementis minùs conſpicuè eluceſcat.

Elementa eſſe familias rerum.

4. Fateor non ab omnibus corporibus hæc elementa ſeparari poſſe, ſed ab omnibus animalium & plantarum partibus, & à nonnullis fortè mineralibus, poſſe: ſed ab his non idem perpetuò numerus forſitan exſpectandus. Nihilominus vel in his partes quæ quoquo modo ſeparantur, niſi ulteriorem diviſionem admittant, referri poſſunt ad aliquam familiam elementorum à Chymicis receptorum: ut ſal ſuccini, vitrioli, nitri, ad familiam ſalium; oleum ſuccini, bituminum, & id pingue quod in antimonio reperitur, ad familiam ſulphuris. Quin & illa mineralia quæ reſpuunt omnem ſolutionem in ſimpliciora corpora, ſi fortè ex admixtione extranea variam induant faciem, vel ad ſalis, vel ſulphuris, vel alterius elementi, familiam ſe addicere obſervantur: non quòd ad iſtam verè ſpectent, ſed quòd naturæ elementariæ adeò generales ſint, ut nihil ferè ſub ſpecie ſimplicitatis ſenſui repræſentetur quod non aliquo modo ſpeciem elementi alicujus mentiatur. Verùm, ut mihi videtur, non neceſſe eſt ad elementorum vindicationem, ut omnia corpora ſint ex illis compoſita; ſed ſatis eſt, ſi ea quæ miſta ſunt, ex illis, & non ex aliis, miſceantur. Similiter, quando aſſerimus hæc eſſe miſtorum elementa, non opus eſt ut omnia miſta hæc omnia contineant; ſed ut omnia quæ in quolibet miſto contineantur aptè ad aliquam horum familiam referantur. Inſuper, variis licèt modis, corpora in elementa intermedia reſolvantur; ea tamen ulteriùs reſolvi poſſunt, & demum ad aliquam ultimorum familiam reducuntur; quo facto, ulteriorem reſolutionem reſpuunt.

Numerus elementorum.

5. Verùm priuſquam progredior, de numero horum elementorum aliquid ſtatuendum eſt. Magna videtur opinionum diverſitas de hac re. Peripatetici quatuor numerant; Chymici tria; alii quinque; alii ſex, ſeptem, aut etiam octo. Siquis autem velit has ſententias ità interpretari, ut cum phænomenis quæ obſervantur in miſtorum analyſi optimè conſiſtant,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 228 sur 591

consistant, non dubium est quin in mutuam gratiam redeant. Nam tria *prima* chymica, sic ab iis dicta, *sal*, *sulphur* & *mercurius*, non debent exclusivè respectu terræ & aquæ sumi. Chymici enim non negant terram (quam *caput mortuum*) & aquam (quam *phlegma* vocant) in mistis contineri: sed indignas putant, ob virtutis ignaviam, quæ cum tribus primis eodem ordine militent. Sed contemptus hic aquæ & terræ haud immeritò à Sceptico chymico redarguitur. Qui numerum quinarium, ut dictum, agnoscunt, Peripateticis haud difficulter conciliantur: ut in Prolegomenis Anatomicis p. 33. annotavimus. Cæterùm ampliando vocum *salis* & *sulphuris* significationes, quinarium hunc numerum ad quaternarium revocare possumus. Mercurius enim pinguis rejiciatur ad familiam sulphuris, & mercurius macer ad familiam salis. Atque adeò quatuor tantùm supererint elementa, *sal*, *sulphur*, *aqua*, *terra*: sed eódem ferè res redit. Si enim spiritum pinguem ad olei familiam referas, oleum subdividi potest in spirituosum, & crassum; similitérque si mercurium macrum sali accenseas, sal quoque subdividatur in mercurialem, & fixum. Fixum voco, quòd vi ignis vix elevari queat: mercurialis verò volatilis est, & vix sub forma solida cernitur. Verùm quorsum jam hæc res evadat? Non quinque tantùm, sed sex elementa nacti sumus, *duo sulphura*, *duos sales*, *aquam*, & *terram*. Sed, ut dixi, perinde est. Si enim spiritum latâ significatione sumpseris, subdivisionem admiserit, nempe spiritum pinguem & macrum sub se complexus fuerit, & numerum quinarium redivivum dederit. Porrò, sulphur crassum adhuc subdividi potest in oleosum, & balsamineum: illud aquis innatat; hoc iisdem mergitur, & fortasse aliquid salis admixtum habet. Sal quoque manifestè subdividitur in Alkali, & seminalem sive specificum corporis cujus est. Habemus jam septem elementa; & si mercurium (ut priùs) duplicem fecerimus, numerus ad octonarium excreverit; *duo* fuerint *mercurii*, *duo sales*, *duo sulphura*, *aqua*, & *terra*. Verùm, ut dixi, hæc omnia satis sibi invicem conciliantur, si modò latiores atque strictiores acceptiones vocum salis, sulphuris & mercurii ritè advertas & distinguas.

An elementa præfuerint in misto.

6. Accuratissimus ille naturæ evisceratör, Nobilis *Robertus Boyle*, videtur dubitare an elementa quæ arte spagyricâ è mistis

©BIUM

eliciuntur reipsa in iis ut elementa præexstitissent, nécne. A me obiter de hac re verba faciente nihil κατ' ἀκρίβειαν exspectandum est: paucis quæ sentio expedivero. Dico primò, non esse credibile, elementa ante misti generationem ullibi separatim exstitisse, aut in actu generationis aliunde confluxisse; sed vel in ipsa generatione de novo producta fuisse, vel in materia ex qua mistum genitum fuit priùs unita delituisse. In plantis & animalibus res aperta est; quorum semina manifestè eodem modo mista sunt quo reperiuntur in plantis & animalibus indè genitis. Quoad nutritionem, non dubium est quin omnia misto succo felicius quàm quovis uno elemento nutriantur. Hinc terra alia sterilis, alia fœcunda; alia certis plantis quasi indulgens mater, aliis quasi noverca; nec ex æquo *omnis fert omnia tellus*. Quod ad eas attinet quæ solâ aquâ nutriuntur, notum est quàm strigosæ evadunt, quàm exiles caules, quàm tenuia folia emittunt, quámque languidè virtutes plantæ sui generis referunt.

Non de novo generari.

7. Dico secundò, elementa quæ è plantis & animalium partibus arte chymicâ proliciuntur non de novo generari vi ignis, ut suggerit Helmontius, sed in mistis è quibus educuntur præexstitisse. Hoc probatur, quia spiritus mercurialis, & multò magis sulphureus, item oleum crassum, necnon sal essentialis, imò ipsa aqua, (ut nihil hîc dicam de terra & sale fixo) manifestè secum auferunt nonnihil de essentiali natura & proprietatibus mixti è quo educuntur: ut, exempli causâ, oleum sive spiritus rosarum secum aufert odorem, saporem, virtutésque alias specificas rosæ; quæ quidem corrumpi fortè ab igne possunt, generari nequeunt. Constat itaque esse ipsas naturas (sensu quoque judice) quæ in rosa præexstiterant. Et confirmatur, quòd factâ plenariâ extractione istius spiritûs, materia in matracio vel cucurbita relicta naturâ dictâ orba in posterum relinquitur. Cùm ergò videam naturam aliquam specificam à rosa abiisse, eámque ipsam in spiritu abstracto reperio, dubitare nequeo quin quod illic erat, hîc jam sit: cúmque quod extrahitur rosa tota non sit, sed pars ejus multò simplicior, restat sit ejusdem elementum. Insuper simulac totum rosæ spiritum extraxeris, nullo deinceps artificio, nullâ vi aut gradu ignis consimilem produxeris aut extorseris. Sed fortè dices, hunc spiritum esse speciale rosæ elementum,

elementum, non elementum in genere. Reſpondeo, poſitâ naturâ ſpecificâ, præſupponitur generica, & faciliùs generatur generica quàm ſpecifica; ſed hæc illâ faciliùs deſtruitur. Si ergò ignis in experimento dato non generat aut deſtruit naturam roſæ ſpecificam, multò minùs generat aut deſtruit naturam elementi. Quare ſpiritus ille pinguis qui ex roſis per ſerpentinam extrahitur præfuit in roſa, tum quoad ſuam naturam generalem, quà ſpiritus pinguis, tum quoad naturam roſæ ſpecificam, quà genium roſæ refert. Non admittenda eſt naturarum migratio de ſuppoſito in ſuppoſitum. Quapropter non putandum eſt hanc naturam generalem & ſpecificam roſæ ex ea emigrâſſe abſque ſubjecto proprio. Eſt igitur ſpiritus hic ſelectus proprium ſubjectum iſtarum virtutum; ſubjectum (inquam) ad quod etiam in roſa eæ ſpectârant, ut ad principium quo mediante roſæ communicabantur.

An elementa ſint materiæ ſchematiſmi.

8. Carneades, in Sceptico chymico differentium primarius, hæc elementa eſſe tantùm diverſos ſchematiſmos (ſive texturas) particularum materiæ priùs concretæ, in ipſa ſeparatione vi ignis agitantis productos, ſuſpicari videtur. Illi concedimus elementorum ſeparatorum ſchematiſmum nonnihil differre ab illo quem priùs in miſto obtinuerant; ídque potiſſimùm dupliciter. 1. Quòd factâ ſeparatione, nullâ jam ampliùs unione aut mixturâ heterogenearum particularum textura materiæ præpediatur, alteretur aut contemperetur. 2. Quòd in ipſo actu ſeparationis poſitio & nexus particularum materiæ multùm varietur. Nonnullorum enim elementorum compages attenuatur, in halitus vertitur, iterúmque formâ ſpiritûs fluentis, olei aut ſalis liquidi, condenſatur: aliorum ſubſtantia funditur, aut ſaltem uniformiter friabilis redditur; ut ſal Alkali & terra. Concedimus itaque, in ſeparatione elementorum varios atque novos ſchematiſmos materiis ſegregatis induci, eóque reſpectu extracta elementa nonnihil differre ab iis prout in miſtis priùs exſtiterunt; miniméque mirandum eſſe, ſi novam faciem præ ſe ferant. Differunt inſuper hæc elementa à miſto ſuo, ut partes à toto; & inter ſe, ut partes ejuſdem totius contradiſtinctæ. Interim aſſerimus, non ſpecie aut numero differre ab illis ſubſtantiis in quibus reſpectivæ eſſentiæ, quas à miſto auferunt, radicatæ fuerant.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 231 sur 591

©BIUM

Nam ſpiritus pinguis roſarum, eſſentialiter licèt differat à ſpiritu pingui cinnamomi, non tamen ſic differt à ſpiritu qui in roſis præexſiſtebat. Odor enim & ſapor roſæ proprii ſatis teſtantur ſubeſſe eſſentiam ſive naturam quandam quæ roſæ priùs inerat, & conſequenter ſubeſſe quoque ſubſtantiam quandam earum proprietatum proximum ſubjectum. Non enim putandum eſt poſſe proprietates communicari, aut in aliena ſubjecta divagari. Quare elementa quæ è roſa ſecernuntur ſunt ipſa ſubjecta proxima diſtinctarum proprietatum & eſſentiarum roſæ. Quando enim extraxeris ſpiritum roſæ, materia reſidua iis proprietatibus ac eſſentiâ quas ſpiritus exiens ſecum abſtulit deſtituitur. Erat itaque iſte ſpiritus proprium & immediatum ſubjectum iſtarum proprietatum atque eſſentiæ etiam antequam abſtrahebatur. Dices, etiamſi concedatur ſpiritum roſæ in roſa priùs exſtitiſſe, fieri tamen poſſe ut non differat ſpecie ab aliis elementis è roſa prolectis. Nimirum ſpiritum, ſalem, oleum, aquam, terram roſæ eſſe tantùm varios ſchematiſmos materiæ ejuſdem. Reſpondeo, eſſe ſubſtantias non tantùm ſpecie diſtinctas, ſed etiam genere. Spiritus enim roſarum manifeſtè differt ſpecie à ſpiritu cinnamomi; conveniunt autem in genere, quòd ſunt ſpiritus pingues: at verò ſal roſarum & ſpiritus ejuſdem nè genere proximo conveniunt. Alterius enim genus eſt ſpiritus pinguis, alterius ſal; qui diverſa ſunt genera, quòd diverſas ſpecies ſpirituum pinguium & ſalium ſub ſe contineant; imò quòd naturas eſſentiales diverſas, non tantùm diverſos ſchematiſmos, ad ſuam diſcriminationem poſtulent. Difficillimum enim eſt, ſpiritum pinguem in ſalem, aut hunc in illum, commutare: quod non fieret ſi ſchemate duntaxat differrent. Videmus quàm obviàm glacies in aquam, & hæc in illam, vertitur; & halitus in liquidum ſpiritum, & contrà hic in illum, faceſſit. Ratio eſt, quia ſolo ſchemate diſcrepant. Verùm corpora quæ naturas habent diverſas ſibi à generante inditas, præſertim genere diſtinctas, haud facilè inter ſe tranſmutantur. Sed nobis ſatis eſt, ſi monſtremus hæc elementa ſaltem ſpecie differre. Hoc protinus innoteſcit, ſi comparemus ſalem roſarum & ſpiritum pinguem earundem. Ille enim non participat odorem, ſaporem, eámve naturam roſæ quam hic ab eadem abſtrahit. Conſtat itaque elementa.

elementa esse essentialiter distincta, & non tantùm secundùm schema & texturam partium.

9. Atque hinc corollarii loco inferre possumus, eo ipso quòd elementa separata, mutato schemate, naturam essentialem quam in misto habuerant retineant, mutationem schematismi non sufficere ad novam naturam sive essentiam inferendam. Hoc evidentissimum est in rectificatione liquorum, qui in halitus versi speciem non mutant: similiter aqua in glaciem frigore congelata, iterúmque restituta, eadem manet. Pulverizatio, sectio, contusio, laceratio, fractio, fusio, &c. schema corporum variant, sed non indolem. Quæres, si naturas non mutet, quas alias alterationes inferat. Existimo schematismi alterationem semper aliquas communes qualitates, nempe vel densitatem, raritatem, tenacitatem, friabilitatem, asperitatem, lævitatem, duritiem, mollitiem, &c. aut plures ex his, innovare; verùm ipsas essentias seminales (nisi fortè accidentaliter & indirectè, ob violentiam motûs quo concitantur,) attingere non posse. Nondum quenquam novi qui polliceatur, mutando rerum schemata, genuinum saporem aut odorem violarum, rosarum, cujusvis aromatis, &c. producere. Si modò schematismi convenientia aut identitas ad hanc rem sufficiat, miraculo simile est, nullos Chymicorum (inter tot naturæ vexationes & schematismorum corporum mutationes) incidisse in aliquam texturam partium, aut normam eam fabricandi, quâ ulla ex naturis dictis aptè dissimulari possit. Sed multò magis mirandum est, sub diversis schematismis eandem naturam latere posse. Non dubium est quin spiritus pinguis cinnamomi, separatus, diverso schemate ab illo quod in misto habuerat gaudeat; sed eâdem naturâ & virtute pollet. Imò frequenter sub eodem schemate diversæ naturæ celantur. Quàm consimiles sunt (si texturam solam spectes) vegetabilium spiritus pingues extracti, item spiritus macri, &c. quorum tamen tot sunt species, quot sunt mista è quibus petuntur? Albumina ovorum, specie diversorum, quoad schema partium vix aut parùm discrepant: idémque dicendum de diversis ovorum vitellis, necnon de variorum animalium lactibus, de sanguine, de humoribus eorundem, &c. quorum omnium schemata se mutuò æmulantur, sed naturæ fortasse specie diversæ

Mutatio schematismi non variat speciem.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 233 sur 591

©BIUM

ſunt. Quare, ut mihi videtur, corpora ſaltem dupliciter variari queant, vel ex mutatione ſchematis, vel ex impreſſione aut abolitione naturæ ſeminalis. Sed diutiùs fortè quàm par eſt hîc hæſimus.

An aqua ſit materia prima.

10. Supereſt quod dicit Helmontius, unicum eſſe elementum, ſeu potiùs materiam, omnium; aquam quippe; quòd omnia ex aqua fieri poſſunt, & in aquam reſolvi. Commune hoc argumentum eſt, quo quodvis elementum dicatur prima materia omnium: Si enim terra fit ex aqua, & aqua viciſſim ex terra; perinde fuerit ſive dixeris omnia fieri primò ex terra, ſive ex aqua. Nam deficiente terrâ, aqua in terram coagulari, deficiente aquâ, terra in eam reſolvi queat. Idémque, mutatis mutandis, ex hac ſuppoſitione de cæteris quoque elementis verificari poteſt. Ego quidem arbitror elementa non eſſe planè incorruptibilia: tantùm dico, eſſe difficulter inter ſe tranſmutabilia. Sed fortè aqua hoc habet peculiare, quòd cæteris faciliùs in quodvis aliud tranſmutetur. Terræ verò proximum locum damus; quanquam fortè haud multum interſit. Sacræ literæ videntur terræ ex hac parte favere. Pronunciant enim hominem ex terra formatum ad terram reverſurum. Interim largiendum eſt, nullum commune principium aquâ mollius eſſe, nullum imbellius, quódque generanti minus negotii in ſui ſigilli impreſſione faceſſat. Plus ergò aquæ quàm cæterorum elementorum tum ad generationem tum ad nutritionem materialiter utplurimum concurrit. Non tamen propterea dicendum eſt aquam eſſe communem omnium rerum materiam. Etenim ut quodlibet elementum ex aqua fieri poteſt; ità è converſo, aqua ex quolibet. Si ergò ſalem aut ſpiritum aut ſulphur aut terram fuiſſe primam materiam ſuppoſueris, omnia produci poſſunt perinde ac ſi poſuiſſes aquam: quia illud quod primum poſueris facilè in aquam reſolvitur, & indè in terram, aut quodvis aliud. Quod ad dignitatem attinet, aqua vix æquiparanda eſt ulli elementorum, ſolâ forſitan terrâ exceptâ; neque videtur immediatè capax impreſſionis ſeminalis. Quanquam igitur copioſiſſimè ad generationem & nutritionem expetitur; ſpiritui tamen, ſali ſulphuríque nobilitate cedit. Adeò plerumque fit ut copia & dignitas è diverſis fontibus hauriantur. Sed hæc de Elementis obiter.

Formæ

Formæ seminales distinguuntur ab earum reliquiis.

11. Formæ seminales distinguuntur in eas integris viribus naturalibus præditas, & earum reliquias. Hæ manent in mineralibus è terra erutis, in plantis defunctis, & animalium discerptorum partibus, atque, maximam partem, absolvunt materiam medicam. Dividuntur autem formæ seminales in organicas, & inorganicas. Fateor formas inorganicas quodammodo ascribi posse tum elementis, tum mixtis nonnullis; & consequenter non esse formas satis terminatas: sed cogimur hîc, loco veræ differentiæ, assignare terminum, qui constitutioni organicæ aptè opponatur, quanquam aliàs non declaret positivè communem aliquam essentiam corporum organicis oppositorum, aliter quàm negando organizationem. Verùm hoc frequenter accidit in divisionibus in quibus altera speciei insigni perfectione nobilitatur, altera verò vix ultra statum generis promovetur, nisi quòd negatione perfectionis adversæ speciei ab eadem distinguatur: ut, exempli causâ, quando animal dividitur in rationale, & irrationale; rationale insignem denotat perfectionem animali additam; sed irrationale nihil generi nisi negationem perfectionis oppositæ speciei addit. Quare pari jure formæ seminales dividantur in organicas, & inorganicas sive similares: & organicæ quidem eminentem adferunt generi perfectionem; sed inorganicæ solam negationem ejusdem, quâ ab illis distinguuntur. Nihilominus ignobilior hæc species satis ab omnibus aliis distinguitur, quòd per constitutionem genericam, nempe seminalem, satis distet ab elementis & mixturis merè elementariis; per negationem verò, ab organicis. Forma seminalis inorganica constituit mineralia; quorum plura sunt genera quàm ut hîc recenseri queant.

Formæ inorganicæ natura.

Formæ organicæ natura.

12. Forma seminalis organica, ea omnia constituit quæ vi plasticâ donantur, quæque duplici modificatione vitæ constant; quarum altera insita est, altera influens. Illa in partibus solidis, hæc in succo vitali residet: illa in justa seminalium partium constitutione atque organizatione, hæc in debita quoque succi vitalis similari natura, vitalique motu ejusdem, sita est. Vita duplicata vel tantùm vitalis est, vel insuper judicata. Illa etsi duplicatâ vitâ fruitur, alterâ insitâ, alterâ influente; neutra tamen ultra simplicem percipiendi modum provehitur. Ratio est, quia neque vita insita percipit.

Ejus divisio.

©BIUM

pit perceptionem influentis, neque influens perceptionem insitæ. Jam verò vita duplicata, simúlque judicata, sensitiva est, & ultra vitam merè vegetabilem ad animalem exaltatur. Denique, vita hæc judicata perfectiorem adhuc modificationem admittit, & propterea dividitur in directè concretéque tantùm judicatam, & in non solùm directè atque concretè, verùm etiam reflexè & abstractè judicatam, quæ soli homini virtute animæ rationalis à materia non dependentis appropriatur.

Formæ accidentales dividuntur in circumstantiales, &c.

13. Formæ accidentales absolutæ dividuntur in extraneas, & internas. Extraneæ sunt vel meri termini circumstantiales, vel simul impedimenta, vel adminicula. Termini circumstantiales referri possunt ad quatuor ultima prædicamenta, Ubi, Quando, Situs, Habitus. Impedimenta ut & adminicula divisionem similiter dissimilem exposcunt. Sunt ergò impedimenta vel removentia adminicula, vel agentia contraria principalia, vel instrumenta operi adversa. Similiter adminicula sunt vel removentia impedimenta, vel cooperantia principalia, vel instrumenta opus facilitantia. Hic ultimus titulus complectitur omnium artium mechanicarum organa, quibus sua opera perficiunt. Formæ accidentales internæ sunt vel motus, vel terminus motûs. Nè quis putet hanc divisionem non exhaurire totam latitudinem generis, dico omnem formam accidentalem, seu qualitatem permanentem, esse terminum seu effectum alicujus motûs: Nihil enim præter motum fingi potest quod talem absolutam constitutionem primò producat, neque quicquam præter motum idem destruere valet. Quare terminus motûs omnem absolutam formam seu constitutionem permanentem complectitur. Quo dato, quicquid absolutum in ullo subjecto reperitur quod non sit permanens, ejus esse constiterit in fieri, sive in fluxu & motu, & consequenter fuerit motus. Hæc ergò divisio totum divisum exhaurit. Cæterùm contra eam urgeri potest, formas accidentales absolutas contradistingui suis operationibus. Cùm ergò motus sit operatio quædam, ad formas absolutas non spectat. Etenim formæ absolutæ ipsa fundamenta sunt à quibus operationes proveniunt: actiones verò, passiones, cessationes, motus & quies, sunt effectus seu producta formarum absolutarum. Respondeo, ità esse;

Internæ dividuntur in motum, & terminum motûs.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 236 sur 591

esse; sed motum dupliciter considerari: vel ut effectum alicujus facultatis, & consequenter alicujus constitutionis seu formæ absolutæ; quo sensu ad genus operationum pertinet: vel ut causam modificantem subjectum in quo est respectu aliarum actionum indè procedentium; & hoc sensu est constitutio intrinsecè qualificans, & consequenter spectat ad genus formarum seu constitutionum absolutarum. Insuper quamvis dividimus internas constitutiones in motum, & terminum motûs; hæ tamen species non semper seorsim tractari debent, sed cuilibet termino motûs in specie subjungendus est motus ipse proprius, qui ejus causa fuit: ut ubi de densitate tractatur, condensatio quoque, quæ ejus causa est, expendenda venit. Generans motu contrario motibus formæ præsentis eam eradicat, eodémque motu suam ideam, legem essendi ac operandi, materiæ imprimit; ut suprà quoque asseruimus. Verùm visum est, ob dignitatem formarum essentialium, eas seorsim ab accidentalibus proponere: interim non negamus quin sunt termini motûs, ut dictum. Motus quilibet, quatenus disponit suum subjectum ad alias operationes, est forma seu constitutio accidentalis, nempe qualitas fluens sive in fieri. Porrò, motus omnes reguntur perceptivâ & appetitivâ facultatibus: propriis quidem, si purè ab intus oriantur; alienis, si ab externo tantùm agente excitentur: sed frequentissimè partim ab intus, partim ab extrà proveniunt, & partim propriis, partim alienis facultatibus reguntur. Notandum quoque est, motum hîc lato sensu sumi; quatenus nimirum nisum quemlibet movendi includit. Tanta est motuum varietas, ut frustrà essem si eos hîc in classes redigere tentarem.

Quo sensu motus est forma absoluta.

14. Termini motûs dividuntur in essentiales, & accidentales. Sed essentiales suprà prosecuti sumus. Termini motûs accidentales sunt quasi habitus quidam sive status corporum, ad quos motu perducuntur, & in quibus finito motu persistunt esse sive permanent. Dividuntur in communes, & proprios: illi materiam maximè, hi formas spectant: illi omnia propè corpora plùs minúsve afficiunt; ut densitas, raritas, gravitas, levitas, cohærentia partium sive tenacitas, tensibilitas, ductibilitas, lentor, friabilitas in terminatis & fluidis, mollities, durities, crassities, tenuitas sive subtilitas, asperitas, lævitas, lubricitas interna, &c. hi certis generibus aut

Terminus motûs quid.

 speciebus

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 237 sur 591

©BIUM

ſpeciebus corporum appropriantur, & dividuntur in ſimilares, & organicos. Proprietates corporum ſimilares ſunt vel elementariæ, vel ſeminales. Illæ ab eſſentiis elementariis, hæ à formis ſeminalibus, originem mutuantur. Organicæ conſtitutiones ſive qualitates, quales ſunt figuræ, ramificationes, cavitates, magnitudo, continuitas, &c. ſubjecti virtutis plaſticæ effectus ſunt; à quo etiam fortè dependent ſeminales conſtitutiones partium ſeminalium, ex quibus organa concinnantur. Mos enim naturæ eſt, non ſolùm partes formare, verùm etiam materiam ſuo operi aptam præparare. Sed hæc omnia hîc obiter & curſim memorantur, ut lector in anteceſſum comprehendat quibus mediis primæ facultates tot modis in natura varientur.

Cap. XIII.

De natura Subſtantiæ energetica.

Ratio methodi.

1. SCopus profectò noſter in hoc Opere fuit, genuinam naturam, atque unà nobilitatem, Subſtantiæ propriè dictæ pro virili explicare & vindicare. Et quidem quinque primis Capitibus naturam ejus fundamentalem (eſſentialem putà ſubſiſtentiam) fusè deſcripſi, eandémque à ſubſiſtentia modali, putà ſuppoſitalitate, clarè diſcriminavi. Jam verò hoc Caput, quod alterum naturæ ſubſtantialis inadæquatum conceptum (naturam quippe energeticam) complectitur, juſtæ methodi lege calcem quinti Capitis immediatè exciperet. Verùm ſeptem alia Capita de materia & forma materiali ſe nimis fortaſſe importunè interpoſuerunt: adeò ut hoc Caput vaſtâ intercapedine de ſua propria ſede deturbetur. Hujus rei qualiſcunque ratio reddenda eſt. Primò, natura hæc, quam paro enodare, haud multum difficultatis reſpectu ſubſtantiarum ſpiritualium (quibus omnes uno ore non ſolùm perceptionem, ſed & intellectum, adſcribunt,) præ ſe fert: at verò reſpectu rerum materialium res ardua & perplexa eſt. Omnes enim qui de naturæ perceptione ſcripſerunt, vel eam rebus materialibus negârunt, & ſolis ſpiritibus aſſeruerunt; vel cum ſenſu turpiter confuderunt. Platonici videntur

dentur omnibus rebus perceptionem quandam tribuiſſe, & in hunc finem univerſalem quandam mundi animam excogitâſſe. Hoc enim præjudicio occæcati videntur, materialia nihil quicquam percipere poſſe. E contrà, Campanella plus quàm vellem materialibus inanimatis, ipſam nempe ſenſationem, attribuit. Quamvis igitur perceptionem naturalem ſubſtantiis in genere aſſero; præcipuus tamen ſcopus eſt, hoc in rebus materialibus manifeſtare & probare. Quod quò faciliùs fiat, viſum eſt iſtam diſceptationem de principiis rerum materialium, materia & forma, præmittere. Inſuper in primo cujuſvis rei tentamine non protinus tam de ſtrictis methodi legibus, quàm de facillima via quâ res, alioquin valde obſcura, magis perſpicua reddatur, tenemur eſſe ſoliciti. Cùm ergò in hac Diſſertatione frequenter occurrant nomina materiæ, formæ, animæ ſenſitivæ, &c. quæ voces alioquin non mihi ſatis terminatæ videntur; coactus ſum eas (nè ſubindè filum diſcurſûs importunâ ſenſum terminorum interpretandi neceſſitate interrumperent) in anteceſſum diſtinguere, deſcribere, & ab ambiguitate liberare. Atque adeò reddidi inſtituti mei qualemcunque rationem. Quæ ſi cui fortè minùs placuerit, levi negotio ſibi ſatis proſpiciat, ſi nimirum, tranſiliendo integra ſeptem interjecta Capita, hoc quinto immediatè ſubjungat; quanquam fortaſſe iis quibus vacat ſatius ſit perlegiſſe omnia eo ordine quo digeſta ſunt.

Quo ſenſu ſubſtantiæ ſimplex dicitur.

2. Natura ſubſtantialis, ut dixi, diſtinguitur in fundamentalem, & energeticam: membra verò dividentia in ſubſtantia in genere neque realiter, neque ex parte rei, ſed tantùm ratione cum fundamento in re, differunt. Etenim ſubſtantia in genere, præter compoſitionem ex ſubſiſtentia fundamentali & modali, ſimplex eſt, hoc eſt, non componitur ex partibus ſive realiter ſive ex natura rei diſtinctis. Hoc evidentiſſimè innoteſcit ex naturis ſpirituum, ut Angelorum, quæ, juxta communem Metaphyſicorum ſententiam, naturæ ſimplices ſunt, neque ullam compoſitionem præter eam rationis admittunt. Similiter, materia prima ſimplex ſubſtantia eſt. Etenim perpetua eſt: ſi autem ejus natura eſſet compoſita, ſaltem ex ſeparatione partium componentium eſſet corruptibilis. Quin & ſi componeretur, conſtaret ex natura materiæ & formæ: Nihil enim aliud excogitari poteſt ex quo

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 239 sur 591

©BIUM

componatur. Non enim componitur ex corpore & ſpiritu, nedum ex ſubſtantia & accidente. Quare nihil ſupereſt ex quo componatur, & conſequenter eſt natura ſimplex. Jam verò, ſi ulla ſpecies ſubſtantiæ ſimplex ſit, certiſſimum eſt ipſum genus eſſe ſimplex. Genus enim non in ſe plus complectitur quàm in alterutra ejus ſpecie continetur. Si igitur ſubſtantiæ natura eſſet compoſita, non rectè prædicaretur de ulla ſubſtantia cuius natura foret ſimplex: ut Logicis notum eſt. Cùm ergò dentur naturæ ſubſtantiarum ſimplices, ſequitur naturam generis earum neque ex partibus realiter neque ex parte rei diſtinctis compoſitam eſſe. Inſuper, nè cui offendiculo ſit, nos hîc & alibi diſtinguere naturam ſubſtantialem in fundamentalem, & energeticam, ſciat eas partes eſſe tantùm inadæquatos conceptus ejuſdem rei ratione ſolâ cum fundamento in re diſtinctos. Poſſumus enim eandem rem diverſimodè conſiderare, ut vel in ordine ad eſſe proprium, vel in ordine ad operationes: hæ tamen conſiderationes non efficiunt realem diverſitatem in re; ſed eandem rem inadæquatè & diverſimodè contemplantur, quò nimirum faciliùs & magis diſtinctè à nobis concipiatur. Ea enim eſt intellectûs noſtri infirmitas, ut non poſſumus res integras adæquatè & diſtinctè ſimul comprehendere. Quapropter diſtinctiones rerum non neceſſariò ſequuntur diſtinctiones noſtrorum conceptuum, ſed ex ipſis rebus petendæ ſunt. Cùm ergò in rebus perpetuis, ut in Angelis, natura energetica non minùs perpetua ſit quàm fundamentalis, quòd eæ naturæ nullo modo ſeparari poſſint; conſtat eas inter ſe non realiter differre.

Inadæquati conceptus.

Quot modis aliquid dicitur ſimplex.

3. Dices, etiamſi naturæ aliquæ non realiter componantur; in aliis tamen dari realem compoſitionem, & conſequenter ſubſtantiam, quæ de iis prædicatur, non eſſe ſimplicem. Reſpondeo primò, aliquid dici poſſe ſimplex dupliciter: vel ut abſtractum & inadæquatum conceptum; vel ut conceptum completum, nempe ad imam ſpeciem & individuum determinatum. Priore modo ens dicitur conceptus ſimpliciſſimus, quia maximè abſtractus eſt, & quàm minimum entitatis expreſsè continet. Poſteriore, hic Angelus eſt ſubſtantia ſimplex, quia ejus natura, prout integra exiſtit, ab omni compoſitione immunis eſt. Non dico ſubſtantiam generaliſſimam

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 240 sur 591

ſimam eſſe hoc modo ſimplicem, ſed priore. Reſpondeo ſecundò, abſtractum conceptum dupliciter dici ſimplicem: vel quia directè ab inferioribus ſimplicitatem ceu communem rationem abſtrahit; ut ſpiritus ab Angelis, Dæmonibus & anima rationali ſimplicem iſtiuſmodi rationem aufert: vel quia, etſi non directè talem communem rationem ab inferioribus abſtrahat, intellectus tamen conceptum (utcunque à compoſitis deſumptum) deprehendit eſſe in ſe ſimplicem. Subſtantia generaliſſima priore modo non dicitur ſimplex. Ejus enim conceptus primus, qui prædicatur de ſpiritu & corpore, abſtrahit à ſimplici & compoſito, & eſt indifferens ſeu potentialis ad utrumque. At verò cùm ſuper hunc conceptum abſtractum aliò reflectamus, & qualis is ſit cogitemus, facilè reperimus non eſſe in ſe conceptum compoſitum, ſed ſimplicem. Et hoc ſenſu aſſero ſubſtantiam generaliſſimam in ſuo conceptu non continere naturam compoſitam, ſed ſimplicem: neque obſtare quòd prædicatur de corpore compoſito, quia quatenus ſic enunciatur, ab ente ſimplici abſtrahit, & ad compoſitum contrahitur. Quamvis igitur ſubſtantia in genere à ſpiritu ſimplici & corpore compoſito communem conceptum abſtrahit; hic tamen reflexè conſideratus deprehenditur eſſe in ſe ſimplex. Poteſt enim à re compoſita abſtrahi conceptus, qui, poſtquam abſtrahitur, non ſit compoſitus. Compoſitum enim ipſum ſæpe dividitur in partes ſimplices, quæ unitæ efficiunt compoſitum. Conceptus quem ſubſtantia à ſpiritu & corpore abſtrahit eſt entitas per ſe ſubſiſtens naturâ energeticâ prædita: quæ deſcendit ad ſpiritum abſque ullius partis mediatione; verùm ad corpus, mediante materiâ, quæ per ſe ſubſiſtit, & ſimplex eſt atque perpetua; necnon mediante formâ materiali, quæ neque eſt ens per ſe ſubſiſtens, neque perpetua, ut ſuprà probavimus.

Natura ſubſtantialis fundamentalis, & energetica.

4. Veruntamen hæc non prohibent quin naturam ſubſtantialem in fundamentalem & energeticam diſtinguamus, modò unà declaremus, membra dividentia differre tantùm ratione, & ut inadæquati conceptus ejuſdem rei. Cæterùm nè quenquam turbet, alias naturas energeticas eſſe realiter, alias tantùm ratione à ſuis fundamentis diſtinctas, eas quoque ſubdividam. Natura itaque ſive principium energeticum in proximum & ultimum dividitur. Proximum, in ſubſtantiis

Energetica dividitur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 241 sur 591

©BIUM

perpetuis, non differt niſi ratione à natura fundamentali ; at in ſubſtantiis mutabilibus omnino differt realiter. Ultimum verò principium energeticum nunquam differt realiter à ſuo fundamento. Propoſitiones aſſertas ligillatim probo. 1. Principium proximum in perpetuis non differt à ſuo fundamento, quia ab eo ſeparari nequit. Fruſtrà enim ponis differentiam, ſive realem, ſive ex parte rei, inter ea quæ nullo modo ſeparari poſſunt. Quo enim indicio de tali diſtinctione judices? Quòd verò in perpetuis hoc principium ſeparabile non eſt, ex eo conſtat, quòd ſit incorruptibile. Si enim à ſuo fundamento ſepararetur, eſſet corruptibile ; contra quàm ab initio ſuppoſuimus. 2. Principium proximum energeticum in mutabilibus differt realiter à ſuo fundamento. Probatur ex formis materialibus, quæ ſolæ ſunt principia tum proxima, tum corruptibilia. Proxima quidem dicuntur è principiis ſubſtantialibus. Multa enim accidentia alioquin inter formas & earum operationes frequenter interveniunt. Interim formæ dicuntur eſſentialia principia proxima, quia inter operationes & materiam utplurimum intercedunt. Materia enim informata, mediante formâ, id agit quod abſque ea minimè poteſt. Quare forma operationi propior eſt materiâ : cúmque illa fundetur in hac per modum inhærentiæ, & corrumpi, hâc permanente, poſſit ; ſequitur illam eſſe ab hac realiter ſeparabilem & diſtinctam. 3. Ultimum principium energeticum ſolâ ratione à ſuo fundamento diſcrepat. Hoc ſuperiore paragrapho probatur, quòd in ſpiritibus naturæ ſimplices ſint, & in corporibus natura materiæ primæ (quæ ultimum principium eſt) ſimplex quoque ſit. Ultimum ergò principium energeticum eſt ſimplex, & diſtinguitur tantùm in inadæquatos conceptus ſolâ ratione diſtinctos. Cùm ergò in omnibus ſubſtantiis detur communis quædam natura ſimplex & perpetua, quæ ab intellectu abſtrahi queat ; æquum eſt qui de hac natura in genere dicturus ſit, miſſis inferioribus, de ea in communi ut de re ſimplici tractet.

Naturam energeticam propriè dici naturam.

5. Quanquam verò natura fundamentalis concipitur ut baſis & ſuſtentaculum energeticæ ; nomen tamen naturæ utrique conceptui commune eſt ; imò potiùs illi gratiâ hujus, quàm huic gratiâ illius, adſcribitur. Natura enim non tam

exprimit

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 242 sur 591

exprimit quid res in ſe ſit, quàm quo modo ſe habeat ad operationes ſuas. Denotat enim indolem, morem & genium rei naturatæ. Eſt ergò quaſi qualitas eſſentialis, ſive ſubſtantialiter qualificat, in quantum modificat ſubſiſtentiam fundamentalem, id eſt, diſponit & coaptat ad ſuas operationes. Atque hinc operationes ab intus provenientes appellantur naturales, & ſecundùm naturam: quæque ab interno hoc principio diſſentiunt, eíve vim inferunt, vocantur violentæ, & præter naturam. Subſiſtentia enim fundamentalis eo nomine reſpicit ſui & naturæ ſuæ ſuſtentationem, non immediatè operationes. Quare ſubſtantiis opus eſt alio principio ſaltem ratione diſtincto, eóque energetico, à quo operationes magis immediatè profluant. Rectè itaque eatenus Suarius Diſp. 34. ſ. 7. n°. 9. affirmat *principium operationum eſſe eſſentiam* (per eſſentiam intelligit naturam) *rei vel per ſeipſam, vel per facultates quæ ad ipſam conſequuntur.* Ariſtoteles quoque teſtatur *naturam eſſe principium motûs & quietis*, & conſequenter omnium planè operationum. Hippocrates etiam videtur idem confirmare, ubi aſſerit *naturas eſſe morborum curatrices.*

6. Attamen nondum videntur ultimam & radicalem hujus naturæ perfectionem aut denominationem aſſecuti. Eſſe enim principium operativum vix ſatis efficaciter eminentiam & dignitatem naturæ ſubſtantialis declarat. Etſi enim ſubſtantiis vim actúmque operandi rectè attribuit; non tamen ſatis exprimit modum quo natura eas operationes attingit atque edit. Multi quidem fatentur ſubſtantias eſſe ultima principia operandi; cùm verò ad modum deventum ſit, aliter longè loquuntur: quicquid movetur, perpetuò moveri; quicquid movetur, ab alio moveri; eandem proportionem motûs in univerſo ſemper manere, tantùm reſpectu particularium corporum variari; omnémque motum eſſe pulſionem quandam. Adeò nullibi motum purè ab intus provenientem agnoſcunt: nedum operationes naturales eſſe latentis cujuſdam vitæ fructus & indicia aut cogitant, aut credunt. Quare eminentiore adhuc titulo hæc natura energetica cohoneſtanda eſt; tali nimirum quo eam eſſe vitale quoddam operandi principium, vel eſſe vitam quandam ſubſtantialem, innoteſcat. Vocare ergò eam poſſumus τὴν ἀρχὴν ζωτικὴν, vel,

Naturam eſſe vivam.

©BIUM

vel, contractiùs, τὴν βιαρχίαν, *vitale*, vel *vitæ*, *principium*. Legitur enim βίαρχος *victui præfectus* ab [ἀρχὴ] p o *principatu*: pari jure ab [ἀρχὴ] pro *principio* deducamns βιαρχίαν *vitæ principium*. Similiter ob entitatem ſubſtantialem appellare poſſumus τὸν βίον ἐσιώδη, vel, breviùs, τὴν βιοσίαν, *vitam ſubſtantialem*, vel *vitæ ſubſtantiam*. Hæc enim nomina non tantùm naturam operativam denotant, ſed & vitalem modum attingendi & producendi ſuum opus declarant: nempe ſubſtantias opus aggrediendum percipere, perceptum appetere, petitum obire. Quæ vivæ quædam operationes ſunt, & naturam vitalem ſapiunt. Hoc ſenſu natura ſumpta ſuis apud authores paſſim decantatis encomiis optimè reſpondet: Naturam omnia prudenter, & quidem optimè, adminiſtrare; nihil facere fruſtrà; non eſſe ſuperfluam, nec deficere in neceſſariis; eſſe providam matrem, & mala naturaliter imminentia præcavere atque antevertere. Hæc & ſimilia apud authores ſubindè occurrunt; qui licèt vera dixerint, de qua tamen qualíve natura ea verba intelligenda ſint, vel non ſatis advertiſſe, vel non potuiſſe explicare, videntur. Helmontii Archæus huc referendus videtur. Neque enim alio ſenſu aut commodè explicari aut defendi poteſt. De hac itaque vita deinceps acturus ſum. Hoc igitur mihi probandum incumbit, naturam ſubſtantialem eſſe vivam, hoc eſt, percipere, appetere, & movere. Qui enim naturæ largitur tres iſtas facultates, perceptivam, appetitivam & motivam, & interim ei vitam denegat, rem quam volumus agnoſcit, ſed nomen invidet. Nihil enim aliud per hanc vitam ſubſtantialem ſive Biuſiam intendimus, quàm naturam hanc, quatenus ea de ſe tres iſtas facultates, perceptivam, appetitivam & motivam, fundit. Si ergò probaverim naturam ſubſtantialem eſſe proprium ſubjectum ſive materialem cauſam iſtarum facultatum, luculenter conſtiterit eam eſſe vitæ principium, ſeu vitam ſubſtantialem, nempe eſſe τὴν βιαρχίαν & βιοσίαν, prout eas voces nos hîc accipimus.

Tres vitæ facultates eſſe primas & perpetuas.

7. Supereſt ergò probemus tres iſtas facultates à natura ſubſtantiali immediatè dimanare. Immediatè dico, reſpectu aliarum potentiarum aut accidentium, quorum nulla inter has facultates & naturam ſubſtantiæ intercedunt. Voco igitur eas primas facultates, non quòd omnes æquè primæ ſint,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 244 sur 591

ſint, (ſola enim perceptiva eſt ſimpliciter prima,) ſed primas voco, quòd univerſaliores & ordine naturæ priores ſint aliis omnibus potentiis & facultatibus. Quo ſuppoſito, eas eſſentialiter ſpectare ad naturam ſubſtantiæ in genere ſic demonſtro. Nulla facultas generalior aut antiquior eſſe poteſt iis quæ naturaliter & immediatè à natura ſive eſſentia ſubſtantiæ in genere reſultant. Subſtantia enim in genere generaliſſimum, & ordine naturæ primum, potentiarum atque facultatum ſubjectum eſt. Accidentia enim, quibus aliquando, & non præter cauſam, facultates tribuuntur, iis multis nominibus poſteriora ſunt. Etenim abſque ſubſtantiæ (à qua ſuſtentantur) interitu perire poſſunt: hæ autem facultates à natura cujus ſunt nullo naturali modo ſequeſtrari queunt. Sunt enim perpetuæ, & naturæ ſubſtantiali coævæ. De ſpiritibus res aperta eſt, de quibus, an nimirum ſine perceptione ſubſiſtere nequeant, nemo hactenus dubitavit. De materialibus infrà probabitur. Potentia materiæ primæ ordine naturæ junior eſt & inferior potentiis ſubſtantiæ in genere: multò minùs formarum potentiæ cum his de antiquitate aut generalitate certare queunt. Hæ ergò facultates ſunt ſimpliciter primæ & generaliſſimæ.

8. Vita ergò ſubſtantialis quodammodo dividitur in has tres primas facultates. Saltem enim ſunt inadæquati conceptus ipſius vitæ: an verò ab ea & inter ſe realiter differant, dubitari poteſt. Verùm hoc ſaltem affirmare licet, facultatem perceptivam naturæ ſubſtantiali nihil abſolutum addere. Vel enim foret ſubſtantia, vel accidens. Non addit ſubſtantiam, quia natura ſubſtantiæ in genere ſimplex eſt: aliàs non prædicaretur de Angelis, aut de materia prima, quæ ſimplices ſunt. Quin & ſubſtantia addita ſimul eſſet tum perceptiva, tum per ſe ſubſiſtens. Quæro igitur, Cur non pari jure ſola natura ſubſtantialis abſque tali additione queat ſimul percipere & ſubſiſtere? aut quæ ratio reddi poteſt, cur additionali ſubſtantiæ iſta privilegia ſimul percipiendi & ſubſiſtendi indulgeantur, cùm fundamentali negentur? Nulla ſanè reddi poteſt. Non ergò multiplicanda ſunt entia nullâ cogente neceſſitate; & potentia perceptiva cum ſubſiſtentia æquè probabiliter coexſiſtere poteſt in ſubſtantia ſimplici ac in additionali. Inſuper, facultas perceptiva naturæ ſubſtantiali

Brevitas dividi in tres primas facultates.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 245 sur 591

©BIUM

non addit accidentia abſoluta. Non enim addit materialia; quia ſubſtantia in genere abſtrahit à materiali: neque immaterialia; quia etiam abſtrahit ab immaterialibus. Quin & nulla accidentia abſoluta quicquam ad facultatem hanc in genere eliciendam contribuunt. Intimior enim eſt eſſentia ſubſtantiæ quovis alio accidente. Dices, ideam requiri ad ejus productionem. Reſpondeo, ad facultatis exercitium requiri ideam, non ad ipſam primam dimanationem. Verùm ipſam entitatem ſubſtantiæ, quatenus intimè ſuæ facultati præſentem, eſſe ſufficientem ideam ſive objectivam rationem quâ ſeipſam ſuáſque cauſas & effectus noſcat: cæterùm aliorum objectorum ideas, ab extrà, actione, paſſione, motu, &c. excitatas, ſeu impreſſas, acquirere. Hæ verò nihil ad reſultationem ipſius facultatis faciunt; & conſequenter ſtat ſententia, facultatem perceptivam naturæ ſubſtantiali nihil abſolutum addere. Nihilominus actum percipiendi aliquid reale & abſolutum naturæ ſubſtantiali addere exiſtimo; aliquid nimirum per modum qualitatis abſolutæ: facultatem autem naturæ addere tantùm relationem ad operationes, & à natura differre ut inadæquatum conceptum ratione tantùm cum fundamento in re diſtinctum. Quod ad appetitivam & motivam attinet; illa præſupponit naturam eſſe perceptivâ priùs imbutam; hæc, appetitivâ. Veruntamen hæ quoque facultates videntur alioquin, nempe ſubjectivè, naturæ ipſi immediatæ. Etenim appetitiva à perceptiva, & motiva ab appetitiva dependet quidem; attamen non ſubjectivè, ſed tantùm objectivè & effectivè. Perceptiva enim non appetit, nec appetitiva movet: ſed natura ſubſtantialis, quia percipit, appetit; & quia appetit, movet. Actus autem percipiendi ordine naturæ eum appetendi, & hic eum movendi, perpetuò præcedit. Verùm quia multa alia huc ſpectantia in dubium vocari poſſunt, viſum eſt Caput proximum de Facultatibus in genere, priuſquam ulteriùs progredior, interponere.

CAP.

Cap. XIV.

De Potentiis & Facultatibus in genere.

1. NOnnullis ipſum nomen *Potentiæ* ac *Facultatis* diſpliceet, quòd à multis proponantur tanquam res ſive qualitates abſolutæ. Verùm utcunque aliqui perperàm de iis loquantur aut ſcribant, non ſunt propterea è Scientiis penitùs eliminandæ. De multis enim rebus abſque iis neque rectè concipere poſſumus, neque quæ concipimus aliis communicare. Fateor *Potentiam* propriè ſic dictam non cadere in Deum: etenim potentia Divina non realiter, aut ex natura rei, differt ab eſſentia Dei: & interim vix poſſumus de Deo dignè loqui abſque mentione potentiæ ejuſdem. Creaturis verò potiore jure potentiæ vox propriâ ſignificatione tribuitur. Quod enim hodie eſt, non neceſſe eſt ut ſit cras; ſed poteſt eſſe, vel non eſſe. Eſt ergò in potentia ad craſtinam exſiſtentiam vel tum quum maximè eſſe in actu videtur. Meritò itaque dicitur quaſi componi ex *actu* & *potentia*. Illa verò quæ futura ſunt multò magis in potentia eſſe audiunt: Nondum enim manumittuntur è poteſtate ſuarum cauſarum. Similiter quæ ab intellectu ſuſpenduntur à ſua exſiſtentia ut fiant univerſalia, non actualiter, ſed tantùm potentialiter, ſe habent ad eſſe. Porrò, potentiæ magis adhuc propriè ſuas operationes reſpiciunt. Multa enim, quæ de præſenti non operantur, dicantur tamen poſſe operari: quæ conditio agentium ſolo nomine potentiæ exprimitur. Neque enim nominatio ſubjecti potentiæ, neque operationum, ejus vicem ſupplet. Subjectum enim utplurimum plures potentias in ſe continet. Ut oculus facultate videndi & tangendi pollet; & conſequenter non ſatis propriè unam ſolam facultatem denotat. Ad ventriculum ſpectant fames, ſitis, retentrix, coctrix, expultrix: quare nominatio ventriculi non ſatis ſpecificat ullam ex iis. E contrà, facultas infinitas propè actiones ſucceſſivè edere poteſt, ad quas omnes, una licèt, extenditur. Nulla autem illarum actionum totam latitudinem facultatis adæquat; & conſequenter nulla earundem loco potentiæ aut facultatis ſubſtitui poteſt. Inſuper, ſi potentiæ

Nomen Potentiæ retinendum.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 247 sur 591

©BIUM

ex Artibus exigendæ ſint, quid fiet de verbis illis, *poſſum*, *queo*, *valeo*, & ſimilibus? cui uſui deinceps inſerviant? Imò ipſe modus potentialis Grammaticorum quorſum evadat, ſi nihil ſuperſit potentiæ inſinuandum? Porrò, an nomina quoque potentialia è Lexicis, ut *riſibilitas*, *amabilitas*, &c. expungenda ſint? Saltem participialibus [in *bilis*,] ut *riſibilis*, *intelligibilis*, &c. ut & participialibus [in *ivus*,] ut *fugitivus*, (hoc eſt, ad fugiendum aptus,) aliquem locum in uſu loquendi indulgeant. Verùm hæc omnia potentiam implicant, & abſque eadem nec commodè explicari nec concipi queant. Quare omnino enitendum eſt ut voces illæ, *potentia* & *facultas*, quantum fieri poteſt, ab ambiguitate liberentur, atque adeò ſuum uſum in Scientiis retineant.

Dividitur in potentiam ad eſſe, & ad operari.

2. Potentia itaque in latiſſima ſua ſignificatione dividatur in potentiam *ad eſſe*, & potentiam *ad operari*. Potentia ad eſſe contradiſtinguitur actui, ſive exſiſtentiæ actuali. Hinc quæ non ſunt actu, ſed eſſe poſſunt, dicuntur eſſe in potentia; quæque extra ſuas cauſas realiter in natura exſiſtunt, dicuntur eſſe actu. Tripliciter aliquid dicitur in potentia: 1. reſpectu exſiſtentiæ; 2. reſpectu permanentiæ; 3. reſpectu præciſionis intellectûs. Entia in potentia primo modo extra ſuas cauſas nihil ſunt, & extrinſecè tantùm denominantur eſſe. Quare idem ſignificat ens in potentia quod poſſibile. Eſtque hoc vel poſſibile reſpectu Dei, vel reſpectu cauſarum ſecundarum. Poſſibile reſpectu Omnipotentiæ Dei dicitur eſſe in potentia obedientiali: Scotus vocat potentiam objectivam, alii potentiam Logicam. Hoc modo dicitur in potentia quicquid in ſe non involvit repugnantiam, aut contradictionem, ut ſit. Poſſibile reſpectu cauſarum ſecundarum clariùs aliquid entitatis ſibi arrogat, quòd reipſa detur aliquid in cauſis à quo producatur.

In potentia triplex:

1. *objectiva*;

2. *futura*;

3. Ea quæ in potentia ſunt reſpectu duntaxat permanentiæ, realiter actúque de præſenti ſunt; ſed interim includunt potentiam eſſendi in quolibet momento futuro. Hæc potentia in omnibus creaturis evidens eſt; quæ, quamvis hodie ſunt, cras tamen poſſunt eſſe, vel non eſſe. Eſſe enim nullius creaturæ ſimpliciter neceſſarium eſt; nec eſt actus purus, ſed quodammodo compoſitus ex actu & potentia. Sunt etiam entia quædam quorum entitas conſiſtit in fieri, quæ peculiari jure dicuntur

dicuntur componi ex potentia & actu: ut motus, qui est in potentia quatenus non attingit terminum quem quærit, simúlque est in actu quatenus illum terminum versùs actu tendit. Quæ in potentia sunt ob præcisam ab intellectu exsistentiam, sunt entia universalia. Conceptus enim universalis præcîdit ab exsistentia actuali, & ens quoddam potentiale fit. Sed de hoc genere potentiæ alibi dictum. 3 *abstracta.*

4. Potentia quæ terminatur ad operationem dupliciter considerari potest; vel abstractè, vel concretè. Potentia abstractè considerata nullum inadæquatum conceptum sive rationem sui subjecti sive fundamenti includit, sed sola sive nuda, & seorsim ab omni connotatione, intellectui contemplanda proponitur. De hac igitur quæratur, cujusmodi entitas sit, an relatio, an qualitas, an utraque. Si relatio, quomodo differat à relationibus prædicamentalibus. Sin qualitas, quî discrepet à qualitatibus absolutis. Quod ad entitatem potentiæ abstractè consideratæ attinet, non dubium est quin aliquid relationis in se quoquo modo involvat: imò apertè, idque dupliciter, refertur. Est enim potentia alicujus, & ad aliquid. Priore modo refertur ad suum fundamentum: ut potentia est rei eam habentis potentia. Posteriore, ad suam operationem: ut potentia est operandi potentia. Quia verò primò respicit suam operationem, & continuò se relativè reflectit ad suum fundamentum, cujus est; in hoc seipsam rejicit, atque unà suam operationem. Quamvis igitur primo obtutu potentia respicitur tanquam terminus relatus, & operatio tanquam terminus correlatus: simulac tamen eadem potentia reflectat se ad suum fundamentum, cujus est, in id totum suum jus transfert. Atque adeò fundamentum fit verum relatum, & operatio correlatum. Ut actus videndi est potentiæ visivæ actus; sed hæc potentia est oculi potentia, visióque in ipsum oculum transfertur, éstque oculi visio: unde oculus realiter est terminus relatus, & visio correlatus. Quare ut paternitas est ipsa relatio quâ pater refertur ad filium; ità potentia visiva est quodammodo ipsa relatio quâ oculus refertur ad actum videndi. Fundamentum ergò cujusvis potentiæ mediante hâc ceu ipsâ relatione ad suum terminum refertur: nec injuriâ, cùm fundamentum habens potentiam sit id quod reipsa operatur. Potentia *Dupliciter consideratur potentia, abstractè, & concretè.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 249 sur 591

©BIUM

enim non ſuo marte operationem producit, ſed denominationem productionis fundamento debitam uſurpat, quatenus nimirum fundamenti vicem in iſta locutione ſubit. Quando ergò dicimus potentiam operari, intendimus id operari cujus ea eſt. Potentia igitur abſtracta dicit tantùm relationem inter fundamentum & terminum, neque eſt proprium relatum quod ultimò intenditur, ſed vicarium quoddam ejuſdem. Fundamentum verò eſt genuinum & abſolutum relatum quod operationi ceu termino revera reſpondet.

An potentiæ relatio ſit prædicamentalis.

5. Proximo loco diſpiciendum eſt an potentia ſit relatio prædicamentalis, nécne. Verùm non eſt, atqui tranſcendentalis: quippe per omnia prædicamenta vagatur. Quare nos alibi tertiam ſedem inter inadæquatos conceptus rerum ei aſſignavimus. Sed quænam eſt differentia inter potentiæ relationem, & relationes prædicamentales? Reſpondeo, differre, quòd hæ purè reſpiciant terminum correlatum, ſed illa circa eundem aliquid muneris unà exerceat. Rectè Suarius ex Cajetan. obſervat, præcipuam diſtinctionem inter relationes prædicamentales & tranſcendentales conſiſtere in eo, quòd illæ purè reſpiciant ſuum terminum correlatum, abſque ullo alio officio circa idem exercito; hæ, non purè, ſed ſimul inſinuando aliquod munus circa terminum correlatum à relato obeundum. Suar. Diſp. 47. ſ. 4. nº. 9, 10, &c. videtur quidem hoc munus ipſi potentiæ aſcribere; ſed, utì arbitror, interpretandus eſt (ut etiam in multis aliis ejus aſſertionibus hujus generis) de potentia concretè ſumpta, nempe cum aliquali connotatione ſui fundamenti. Potentia enim hoc modo ſumpta includit rem quæ non tantùm denominativè & ſecundùm dici, ſed realiter, iſtud munus circa ſuum correlatum præſtat. Quare indagandum eſt illud potentiæ munus. Eſt autem inſinuatio quædam cauſalitatis quam fundamentum potentiæ circa ſuum actum ſive operationem exercet. Potentia enim videndi inſinuat ſuum ſubjectum poſſe actum videndi elicere. Inſuper potentia naturalis dicit talem relationem quæ à natura intenditur ſive inſtituitur. Hinc miro artificio conſtruitur oculus, ut indè reſultet potentia videndi. At verò relatio prædicamentalis, poſito fundamento & termino, per ſe reſultat. Hæc quidem differentia mihi nullo modo improbanda videtur: utcunque tamen aliam ſubjungere lubet,

bet, quæ fortaſſe prioris quodammodo fundamentum eſt. Suprà eam tetigimus, ubi notavimus potentiam duas relationes implicare, relationem verò prædicamentalem ſimplicem tantúm. Potentia enim non tantùm relativè tribuitur ſubjecto, ſed & operationi; imò eâ mediante ſubjectum ejus refertur quoque ſuæ operationi. Ut potentia eſt ſui ſubjecti potentia, & ſubjectum eſt ſuæ potentiæ ſubjectum: ità potentia eſt operandi potentia, & operatio eſt potentiæ operatio: demum operatio eſt ſubjecti potentis operatio. Interim relatio prædicamentalis ſimplex & pura eſt: ut paternitas à patre, ceu fundamento, reſpicit filium, ceu terminum. Fortaſſe omnes aliæ differentiæ in hoc uno fundantur. Nam potentia propterea connotat munus ſubjecti aut cauſalitatem ejuſdem, quòd non tantùm antrorſum proſpiciat ad operationem, ſed & ſimul retrorſum ſe reflectat ad ſuum ſubjectum, tanquam ad rem à natura comparatam & diſpoſitam ad eam operationem; & ſimiliter eo denotat naturæ inſtitutum, quòd hæc res ad ſuas operationes coaptet. Sunt etiam fortè aliæ differentiæ, quas tamen hîc proſequi vix operæ pretium fuerit, cùm ſint alterius fori.

An potentia ſit qualitas.

6. Quod ad qualitatem potentiæ abſtractæ attinet, dubitari forſitan poteſt an ullam involvat: & ſi ullam, an ea ſit relativa, an abſoluta. Exiſtimo potentiam etiam abſtractè ſumptam neceſſariò inſinuare aliqualem modificationem ſive qualificationem ſui fundamenti: nimirum declarare quo modo id ſe habet ad operationem; hoc eſt, manifeſtare naturam ſive indolem ſui fundamenti reſpectu alicujus actionis, paſſionis, ceſſationis, motûs, vel quietis: quod eſt qualificare. Qualitas enim eſt, quicquid ità afficit ſubjectum, ut indè innoteſcat ejus conditio, ſive mos, in ordine ad operationes. Eſt ergò duplex qualitas: alia abſoluta, ſive accidentaliter conſtitutiva; alia relativa, ſive relativè naturæ declarativa. Prior, forma abſoluta eſt; poſterior, forma relativa. Duobus enim modis qualitas ſuum ſubjectum afficit: vel ut inſtrumentale principium concurrens ad productionem, aut ſaltem ad modificationem, alicujus operationis; & eſt forma, ut dixi, abſoluta, & ſuum ſubjectum abſolutè qualificatum denominat: vel ut referens ſuum ſubjectum ad ſuas operationes, ejúſque coaptationem ad eaſdem manifeſtans, nec tamen

©BIUM

tamen ad eas producendas concurrens aut ad modificationem earundem; & eſt forma ſive qualitas relativa. Eſt enim qualitas, quia aptitudinem ſubjecti ad operationem prodit, atque adeò indolem ejus activam notam facit. Eſt autem tantùm relativa, quia hoc ipſum præſtat referendo ſuum ſubjectum ad ſuam operationem, hoc eſt, idem relativè qualificando.

An potentiæ ſint puræ relationes.

7. Dices, potentias eſſe quidem relationes, ſed non relationes tantúm. Suarius enim, l. 2. de Anima, cap. 2. n°. 7. hoc dubium ſic dirimit, *Potentias nec omnino abſolutas eſſe, nec omnino reſpectivas; ſed ſimpliciter abſolutas, ordinatas tamen ad aliud ut ad finem.* Porrò, relationes nihil agunt aut patiuntur; at facultates evidenter agunt & patiuntur: ut intellectus intelligit, voluntas vult, &c. Item, relationes non variantur gradibus; at facultates aliæ aliis potentiores ſunt. Inſuper, relationes duos terminos actuales poſtulant, relatum, & correlatum; potentia verò ad ſuam exiſtentiam non requirit correlatum actuale, ſed ſimulac actuatur, non eſt potentia, ſed actus. Adhæc, relationes nullam alterationem realem ſuis ſubjectis inferunt, ſive adſint, ſive abſint. Multæ aliæ hoc genus Objectiones contra hanc ſententiam adduci queant, & omnium inſuper Philoſophorum propemodum authoritas, qui potentias, ſaltem accidentales, ad ſecundam ſpeciem qualitatis cum Ariſtotele reducunt.

Potentiam concretè ſumptam eſſe ens abſolutum cum relatione.

8. Ego verò exiſtimo ſententiam à me propoſitam parùm differre ab opinione Veterum. Illi enim videntur loqui de potentia concretè ſumpta, quo ſenſu illis aſſentior. Ipſe verò de abſtracta locutus, dixi eſſe relationem, & eſſe qualitatem relativam: relationem, inquam, ſed non purè reſpicientem ſuum terminum, atqui munus aliquod circa eundem obeundum inſinuantem: etiam eſſe qualitatem, eò quòd munus inſinuet; ſed non abſolutam: verbo, eſſe vel relationem qualificantem, vel qualitatem relativam. Ubi Clariſſ. Suarius dicit eſſe ſimpliciter abſolutam, ordinari tamen ad aliud; præter abſtractam potentiam includit inadæquatum conceptum fundamenti abſolutum, in quo potentia fundatur: & hoc modo ſi intelligatur, mihi non contradicit. Quòd verò is ſic intelligi queat, patet, quia agnoſcit potentias ſubſtantiales, & aliquoties vocat qualitates activas potentias; ut calorem eſſe potentiam. Porrò, eâdem diſtinctione facillimè ſatisfit Objectionibus

jectionibus factis : Potentias concretè ſumptas agere, non abſtractas : ſimiliter, Potentias gradibus variari, non ratione puræ relationis, ſed propter gradualem variationem fundamentorum quam connotant : ut potentia calefaciendi gradibus variatur ſecundùm gradum caloris cujus potentia eſt. Inſuper relationes quæ purè reſpiciunt ſuum correlatum requirunt ut idem actu ſit ; ſed relatum cujus fundamentum in ſua virtute correlatum cauſaliter continet, non neceſſe eſt ut habeat terminum actualem, ſed potentialis ſufficit. Siquidem fundamenti potentia refertur ad actum, quem ipſum fundamentum in ſe tanquam in cauſa continet ; & conſequenter non refertur ad id quod ſimpliciter non eſt, cùm habeat aliquid entitatis in cauſis. Denique, relata purè reſpicientia ſuum terminum, hoc ſublato, deſinunt eſſe, abſque vel minima mutatione fundamenti : at relata reſultantia à fundamento in ſua poteſtate continente correlatum aliter ſe habent ; quia correlatum è fundamenti poteſtate eximi nequit, niſi ipſum fundamentum priùs immutetur. Si enim per impoſſibile ſupponamus fundamentum potentiæ activæ, quod non virtualiter continet in ſe actionem potentiæ reſpondentem, aut paſſivæ, quod nequeat admittere actuationem ejuſdem, profectò non eſſet ampliùs fundamentum talis potentiæ. Activa enim inſinuat fundamentum ejus poſſe actu agere, & paſſiva poſſe pati : ſed ſimul poſſe agere & non poſſe, vel pati & non pati, apertè implicat contradictionem. Atque hæc dicta ſint de potentia abſtractivè ſumpta.

9. Potentia concretè accepta ſuum fundamentum unà cum relatione ejuſdem ad ſuam operationem concretè complectitur. Definitur à Clariſſ. Suario, Diſp. 43. ſ. 3. n°. 2. eſſe *principium proximum alicujus operationis, ad quam naturâ ſuâ inſtitutum & ordinatum eſt. In qua* (inquit) *deſcriptione ſubintelligatur genus qualitatis*, &c. Verùm omnis potentia concreta non eſt directè in ſpecie ſecunda qualitatis, quanquam forſan ad eam aliquo modo reducatur. Omnia enim prædicamenta, ipſa ſubſtantia, quantitas, actio, paſſio, &c. in quantum ad operationem ordinantur, eámque ordinationem exprimunt, naturam qualitatis aliquo modo induunt & participant. Oſtendunt enim qualiter ſe res habet ad operationem ; hoc eſt, naturam ſive indolem & qualitatem rei produnt. *Idem confirmatur.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 253 sur 591

©BIUM

dunt. Non tamen propterea dicendum eſt, ſubſtantiam aut quantitatem eſſe propriè ſpecies qualitatis. Rectè autem Suarius, Diſp. 43. de Potentia & actu, mentem ſuam interpretatur. *Nos autem hîc preſſiùs de potentia diſputamus, nimirum, de potentia ut eſt ſecunda ſpecies qualitatis. Nam cùm de cæteris acceptionibus ſatis ſit dictum in citatis locis, hæc ſola ſupereſt, & eſt hujus loci propria.* Diſputatione verò præcedente, ſ. 3. n°. 10. apertè dicit, *realem potentiam ſeu phyſicam latiſſimè patere. Nam in univerſum dici poteſt & ſolet de quacunque vi agendi, aut de capacitate recipiendi; quo modo non tantùm de accidentibus, ſed etiam de ſubſtantiis dicitur. Nam in Deo eſt potentia activa, & in materia eſt receptiva, quæ ſubſtantiales ſunt: & forma ſubſtantialis, quatenus vim habet agendi, principium eſt tranſmutandi aliud; quæ eſt definitio potentiæ ab Ariſtotele data.* Inſuper magnitudo, numerus partium, continuitas, ad facultatem organi fundandam aliquid contribuunt, organúmque adeò qualificant. Quare deſcriptio potentiæ à Suario data, hoc reſpectu, latiùs patet ſecundâ ſpecie qualitatis. Nam (ut omittamus potentiam Divinam, quæ, etſi principium proximum ſit ſuæ operationis, non tamen eſt naturâ ſuâ ad eam ordinata,) quid dicemus de materia, quæ ſecundùm Suarium eſt potentia receptiva, & de forma, quæ eſt potentia tranſmutandi aliud? Negari nequit quin ad has ſuas operationes à natura coaptentur, & propterea cadant ſub deſcriptione data. Sed Suarius facilè excuſandus eſt, quia addit deſcriptioni ſuæ genus qualitatis. Quare ſecundùm Suarium duo ſunt potentiarum genera, quorum alterum ſubſtantiale, alterum accidentale eſt; & hoc ad ſecundam ſpeciem qualitatis ſpectat.

Potentias ſubſtantiales ſumi concretè.

10. Quod ad potentias ſubſtantiales attinet, neceſſe eſt ut eæ concretè hîc ſumantur, nimirum ut includunt tum relationem qualificantem, tum inadæquatum conceptum ſubſtantiarum quarum potentiæ eſſe dicuntur. Subſtantia enim non dicitur potentia quatenus in ſe abſolutè conſideratur, ſed quatenus refertur ad ſuam operationem. Quapropter natura cujuſvis ſubſtantiæ, ſiqua dicatur potentia, inadæquatè concipitur, videlicet quatenus ordinatur ad certam operationem: ſi fortè plures edat operationes, in plures inadæquatos conceptus dirimenda eſt: qui quidem omnes reales ſunt & ſubſtantiales, quanquam neque realiter, neque ex natura rei, ſed ratione tantùm

tùm cum fundamento in re, inter ſe diſcrepant. Quare eadem ſubſtantia, quæ in re indiviſibilis eſt, dividi poteſt in ſuas potentias, hoc eſt, in ſuos inadæquatos conceptus, qui reſpectivè ordinantur ad ſuas proprias operationes: ut anima rationalis, quà intellectiva, eſt potentia intelligendi, ſive intellectus; quà compos volitionis, eſt potentia volendi, ſive voluntas; quà ſpiritualiter ſuiipſius motiva, eſt potentia movendi. Quare eadem ſimplex anima in tres potentias ſive inadæquatos conceptus dividitur. Fieri autem nequit ut mens una & ſimplex in tres ſubſtantias diſſiliat. Reſtat ergò ut hæ ſint tres inadæquati conceptus ejuſdem mentis.

Potentias ſubſtantiales non operari mediante accidente.

11. Quòd verò potentiæ quæ immediatè dimanant à ſubſtantia nullum accidens abſolutum, imò nihil abſolutum, in ſe involvant præter inadæquatum conceptum ſubſtantiæ à qua proveniunt, ſic declaratur. In natura potentiæ nihil fingi poteſt præter relationem ejuſdem ad ſuam operationem, ejúſque coaptationem naturalem ad eandem producendam. Jam verò ad relationem quod attinet, manifeſtum eſt, eam non eſſe quid abſolutum. Quare ad coaptationem naturalem quæſtio devolvitur, An ea forma abſoluta ſit, ſive realiter, ſive ex natura rei, diſtincta à ſubſtantia à qua potentia profluit. Inſtemus in anima rationali. Non dubitamus an ea coaptetur ad operationem intelligendi, ſed an coaptatio ejus ſit res abſoluta planè diverſa ab ipſa anima. Auſim dicere non eſſe. Eſt enim anima rationalis naturâ ſubſtantiali prædita, quæ proculdubio coaptatur ad intellectionem, quæque propterea ſufficiens eſt principium ejuſdem. Etenim cujuſvis rei natura ad ſuas intimas & maximè proprias operationes à Creatore deſtinatur & ordinatur; & conſequenter ad eaſdem coaptatur. Cùm ergò intellectio ſit intima & maximè propria actio animæ intellectivæ, non dubium eſt quin ipſa ejus eſſentia ità à Deo comparetur, ut ſit ad intelligendum apta, hoc eſt, ut coaptetur ad eam operationem. Si autem ipſa eſſentia ſic coaptetur, non dubium eſt quin coaptatio ſit eſſentialis, adeóque ſubſtantialis. Siquis putaverit coaptationem hanc eſſe accidens quoddam abſolutum eſſentiæ animæ ſuperveniens, æquum eſt ut unà aſſignet in qua entitate abſoluta iſta coaptatio conſiſtat. Nam dicere animam coaptari, eſt ſolùm dicere quòd coaptatur, non docere in qua re iſta coaptatio conſiſtat.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 255 sur 591

©BIUM

Si autem coaptatio ſit accidens, capax eſt quidditativæ expreſſionis quâ qualis ſit manifeſtetur. Sed nullo modo fingere poſſumus abſolutum aliquod accidens in quo coaptatio ad intelligendum conſiſtat. Si enim dicas intellectum ipſum eſſe coaptationem hanc, ſuſtineri nequit. Etenim eodem modo res hîc peragitur quo in potentiis accidentalibus, in quibus accidentia, quæ potentiam fundunt, non opus habent accidente intermedio quo ſcopum attingant: ut potentia videndi, quæ non immediatè fluit à ſubſtantia oculi, ſed ab ejus organizatione & conſtitutionibus ſimilaribus, præter debitam organizationem & partium ſimilarium juſtam qualificationem, non caret aliâ coaptatione abſolutâ ad ejus rationem complendam. Ut ergò coaptatio in potentiis accidentalibus nihil abſolutum dicit, præter qualitates in quibus potentia immediatè fundatur: ità in ſubſtantialibus coaptatio fundamenti nihil abſolutum ſonat, præter naturam ſive eſſentiam fundamenti quam connotat. Sed in ſimpliciori exemplo potentiæ accidentalis hanc rem denuo expendamus. Caloris potentia calefaciendi dicit relationem caloris ad eam actionem, & coaptationem ejuſdem naturalem ad eandem perficiendam. Jam verò coaptatio caloris ad calefaciendum nihil abſolutum ponit, in quo coaptatio iſta conſiſtat, præter naturam caloris: & conſequenter natura caloris eſt iſtud abſolutum quod aptitudo ſive coaptatio caloris ad calefaciendum denotat. Quòd ſi in potentiis quas fundunt accidentia nihil intervenit abſolutum inter fundamentum & terminum niſi accidentis natura, à fortiore in potentiis ſubſtantialibus nihil abſolutum intercedit inter fundamentum & operationem niſi natura fundamenti. Concipi enim nequit ſubſtantias imperfectiùs ſuas facultates edere quàm accidentia, aut minùs intimè iis uniri. Si ergò accidentia, ut monſtravi, immediata ſint ſuis potentiis, non dubium eſt quin ſubſtantiæ quoque ſint ſimiliter immediatæ.

Quomodo differunt. 12. Urget Suarius, potentias animæ ſaltem ex natura rei ab ejus ſubſtantia differre, quia, inquit, habent differentes definitiones. Reſpondeo, inadæquatos conceptus habere diverſas formas intellectuales, quæ in intellectu dicuntur verè diſtinctæ, & conformiter ſatis diſtinctas deſcriptiones admittere. Deſcribimus enim hoc caſu noſtras rerum ideas quatenus repræ-

ſentant

ſentant res inadæquatè: quia autem unus conceptus id rei exprimit quod alter tacet, & versâ vice; fit ut definitiones inadæquatorum conceptuum valde diverſæ ſint. Ut ſimilitudo & diſſimilitudo inadæquati conceptus ſunt ejuſdem objecti: interim hi conceptus, ſi ſeparatim ſpectentur, valde diverſi apparent. Quod enim concipitur ut omnibus aliis ſimile, ſi ſeorſim deſcribatur, multùm diſcrepat ab illo quod concipitur ut omnibus aliis rebus diſſimile, quanquam res concepta realiter ſit eadem. Quare etſi anima quoad ſuam naturam ut forma ordinetur ad corpus, ut dicit Suarius; nihil tamen prohibet quin, quoad eandem naturam, ut operativa ſimul ordinetur ad ſuas operationes, atque adeò ad eas coaptetur. Sed inſtat Clariſſ. Metaphyſicus, potentias inter ſe diſtingui ex natura rei, & conſequenter, haud minùs ab anima. Quæ enim non conveniunt inter ſe, non conveniunt in uno tertio. Reſpondeo, addendam eſſe iſtam clauſulam, *ſecundùm idem*. Dico, potentias iſtas, intellectum, voluntatem, & motivam facultatem ſpiritualem, quoad abſolutam & radicalem entitatem, eſſe inadæquatos animæ conceptus, & hoc reſpectu differre tantùm ratione cum fundamento in re. Dico inſuper, potentiam ex his quamlibet, præter iſtam abſolutam & radicalem entitatem animæ, includere qualitatem relativam ſibi propriam, & realiter diſtinctam ab omni alia; & ſecundùm hanc realiter inter ſe differre. Operationes enim & objecta ad quæ per iſtam qualitatem referuntur realiter differunt, ſaltem ſi unà reſpicias differentem modum tendentiæ ad eadem. Ipſe enim Suarius, lib. 2. de Anima cap. 2. fusè probat, potentias inter ſe diſtingui per actus & objecta. Dico tertiò, voluntatem in ſuo abſoluto conceptu includere dependentiam quandam ab operatione intellectûs, (quam ſupponit priuſquam exerceri poteſt,) ut & motivam ſpiritualem à voluntate; atque eo reſpectu ſaltem ex natura rei has potentias inter ſe diſtingui. Intellectus enim non eo modo dependet à voluntate quo voluntas ab intellectu, aut motiva à voluntate. Quod ad alias facultates animæ, ſenſum, appetitum, motum animalem, &c. attinet, dicendum eſt, eas non immediatè profluere ab ipſa anima, ſed mediantibus aliis conſtitutionibus, ſive ſimilaribus ſive organicis; & conſequenter, non eſſe ejuſdem rationis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 257 sur 591

©BIUM

Ex parte objecti.

13. Huc quoque referas habitus Artium atque Scientiarum acquisitos, qui objectivè pendent à phantasia. Studio enim & industriâ objectorum repræsentatio magis familiaris multóque clarior fit. Concedo igitur aliquid absolutum inter animam & ejus operationem ex parte objecti, sed non ex parte facultatis, intervenire. Intellectus enim noster pro hoc statu recipit sua objecta à phantasia, quæ multùm alterari & habitibus variis perfici atque ornari potest; atque ideo phantasmata modò perfectiora ac lucidiora, modò imperfectiora, intellectui ministrare. Quod ad habitus Divinâ gratiâ infusos attinet, ii non subjiciuntur legibus naturæ: neque necesse est ut hîc de iis simus magnopere soliciti. Verisimile autem est, eos quoque objectivè infundi. Objecta enim efficaciùs repræsentantur, & vehementiùs solito movent intellectum. Hinc nomine luminis & Divinæ illuminationis in Sacris frequenter veniunt. Quare videntur potiùs in supernaturali repræsentatione objecti, quàm in mutatione facultatis, consistere. Sed de hac re ad Theologos spectante nihil statuo. Quod ad actus attinet, cùm sint ideæ objectorum unitæ facultati sive animæ, necesse est eatenus inter se differant; quòd nimirum diversa objecta, aut diversas rerum objectivas rationes, repræsentent. Objecta enim quæ extra intellectum tantùm ratione differunt diversos planè actus in intellectu conficiunt, quòd per ideas sive formas intellectuales realiter distinctas concipiantur.

Ad quæ prædicamenta potentiæ referendæ sunt.

14. Adhuc superest difficultas de prædicamento in quo facultates à substantiis immediatè oriundæ collocari debent. Non dubium est quin aliæ potentiæ, scilicet accidentales, nemine contradicente, ad secundam speciem qualitatis quoquo modo spectent: Verùm de substantialibus durum videtur, eas ad sortem accidentium deprimere. Respondeo, 1. Omnes potentias à suis fundamentis abstractas esse qualitates relativas, & ad secundam speciem qualitatis propriè spectare. 2. Fundamenta potentiarum omnia abstractè sumpta, sive substantiæ sint sive accidentia, non esse directè in secunda specie qualitatis, sed in suis respectivis prædicamentis: imò etiamsi qualitates sint, in aliis tamen prædicamenti speciebus, non in secunda, disponuntur. 3. Potentias concretè sumptas, etiamsi fundamentaliter substantiales sint, aut alterius prædicamen-

dicamenti, propter qualitatem tamen relativam conjunctam, quâ ad ſuas operationes referuntur, reductivè ad ſecundam ſpeciem qualitatis ſpectare. Fundamentum enim abſolutum qualitatis relativæ, quà refertur ad ſuam operationem, munere qualitatis fungitur, nempe naturam & indolem ſuppoſiti declarat; atque eatenus ad qualitatis conditionem reducitur.

Potentiam plerumque concretè ſumi.

15. Hiſce igitur omnibus ritè penſitatis, inferre poſſumus, potentias rectè diſtingui in concretas, & abſtractas: & has eſſe qualitates relativas, quibus earum fundamenta ad ſuas reſpectivas operationes tanquam exercentia circa eas munus cauſationis referuntur; illas in ſuo conceptu, unà cum qualitatibus relativis, earum immediata fundamenta concretè includere: & conſequenter, ut album dicit non tantùm albedinem, ſed & ſubjectum ejuſdem; ità potentia concretè ſumpta, ſimul cum qualitate relativa, cauſam ſive fundamentum ejuſdem connotat. Quare in poſterum quando loquimur de potentia abſque alia reſtrictione, intelligimus potentiam concretam, quatenus includit ſuum fundamentum. Quo ſenſu nemini diſplicere debet, ſi deinceps potentiis ipſis operationes tribuamus; cùm in iſta locutione fundamentum quod reipſa operatur unà includatur.

Diviſio potentiarum.

16. Ex dictis porrò conſtat, potentias concretè cum ſuis fundamentis ſumptas rectè dividi in ſubſtantiales, & accidentales: illáſque immediatè fundari in natura ſive eſſentia alicujus ſubſtantiæ; has verò in accidentibus, aut concurſu accidentium. Utrumque genus dividitur in operativum, & receptivum. Sed neque de potentiis receptivis neque de accidentalibus (cùm utræque extra præſentem ſcopum noſtrum ſint) hîc quicquam ulteriùs exſpectandum eſt. Potentiæ operativæ à ſubſtantiis immediatè dimanantes dividuntur in generaliſſimas ſive primas, & contractiores ſive ulteriùs modificatas. Potentiæ generaliſſimæ ſive primæ ſpectant ad naturam ſubſtantiæ primæ in genere, quatenus ea eſt in ordine ad ſuas operationes; quam hoc reſpectu Capite ſuperiore Biuſiam, ſeu vitam ſubſtantialem, nuncupavimus. Hæc vita triplex eſt, perceptiva, appetitiva, & motiva. Nam hæ facultates concretè acceptæ nihil aliud ſunt niſi inadæquati conceptus ipſius Biuſiæ. Sunt enim facultates vitales immediatè à natura ſubſtantiæ manantes, & conſequenter ipſam ſubſtantiam

©BIUM

substantiam in suo conceptu concreto includunt, eámque vivam constituunt, necnon eandem vitam substantialem seu Biusiam jure cognominant. Quare Biusia rectè dividitur in tres inadæquatos conceptus, qui quidem (aliter quàm quòd per potentias suas internoscuntur) carent nominibus discretivis. Ob quam causam eas potentias sive facultates, nimirum perceptivam, appetitivam & motivam, vocavimus: de quibus in sequentibus pressiùs dicendum est.

Cap. XV.

Distinctio trium primarum Facultatum ab aliis facultatibus vitalibus.

Necessitàs distinguendi perceptionem naturalem à sensu.

1. Vitam substantialem seu Biusiam tres primas facultates, perceptivam, appetitivam & motivam, fundere suprà asseruimus. Priusquam verò strictam hujus assertionis probationem aggredior, necesse est earum convenientiam cum, & distinctionem ab, aliis facultatibus vitalibus proponamus. Qui enim alioquin haud perfunctoriè de hac universalis naturæ cognitione scripserunt, eo ipso quòd non discriminârunt perceptionem hanc ab ea sensûs, operam luserunt. Hinc Clarissimus Campanella, qui de hac re subtiliter commentus est, ab omnibus propè neglectus jacet. Quis enim credat cadaver perinde ac hominem vivum sentire, aut dormientem æquè ac vigilantem sensibus uti? Membra paralytica sensu evidenter orbantur: Si ergò cum membris integris oppositi lateris comparentur, nemo sanæ mentis sustinere potest utrisque sensibilitatis denominationem ex æquo competere. Quis ferat saxum aut scamnum malleo percussum dolore affici, quemadmodum animalium partes vapulantes dolorem sentiunt? Quapropter necesse est vel perceptionem corporibus naturalibus penitùs adimamus, vel eandem à sensu distinguamus. Certissimum enim est, cadavera non eâdem acceptione vocis quâ viva animalia, neque dormientia eâdem quâ vigilantia, aut membra paralytica eâdem quâ sana, sentire. Si ergò velimus naturalem perceptionem asserere, oportet eam

à sensu

à ſenſu clarè diſtinguamus. Atque idem, mutatis mutandis, de appetitu & motu naturalibus, ſi conferantur cum appetitu & motu animalibus, ut & de voluntate & motiva libera cum iiſdem collatis, dicendum eſt. Quare operæ pretium fuerit, ſi haſce vitales facultates omnes paucis inter ſe conferamus, & dein ad peculiares differentias inter perceptionem naturalem & ſenſitivam deveniamus.

Vitales facultates eſſe ter trinas.

2. Vitales ergò facultates ter trinæ ſunt : triplex eſt perceptiva, naturalis, animalis, & intellectualis ; & conformiter triplex appetitiva, tripléxque motiva. Convenit iis omnibus inter ſe, quòd ſunt vitales facultates, quódque in Biuſia ultimò radicantur. Inſuper perceptiva ſumitur generaliter, & ſpecialiter. Generaliter in ſe, ut genus, omnem facultatem cognoſcitivam complectitur, & de perceptione naturali de quolibet ſenſu, ut & de intellectu, prædicatur. Omnes enim hæ facultates in eo conſentiunt, quòd ſunt cognoſcitivæ ſive perceptivæ. Appetitiva ſimiliter generaliter dicitur, & ſpecialiter. Generaliter comprehendit omnem vitalem determinationem tendentem ſive ad boni proſecutionem, ſive ad mali fugam. Quo ſenſu non tantùm appetitivam naturalem, ſed & ſenſitivam atque voluntatem, ſuo ambitu capit ; quæ omnes ſunt facultates appetitivæ. Denique, motiva etiam accipitur generaliter, & ſpecialiter. Generaliter quamlibet virtutem motivam aut vim nitendi, & ſe aut aliud movendi, denotat. Quo nomine continet in ſua latitudine motum naturalem, animalem, & purè liberum. Quare tria ſunt genera facultatum vitalium, & quodlibet genus ſub ſe tres ſpecies, ut dictum, continet.

Diſtinctio perceptivæ ;

appetitivæ ;

& motivæ.

Facultates diſtinguuntur in tres ſeries.

3. Verùm alio quoque modo hæ facultates inter ſe comparari poſſunt. Cuilibet enim ſpeciei perceptionis, conformis appetitûs & motûs reſpondet. Unde hæ novem facultates in tres ſeries aptè diſpertiuntur. Prima continet perceptivam, appetitivam & motivam naturales ; ſecunda, ſenſitivam, appetitum ſenſibilem, & motivam animalem ; tertia, intellectum, voluntatem, & motivam liberam. Hæ ſeries aliquid habent commune, & aliquid ſingulis proprium. In omni ſerie prima ſpecies quaſi facem ſequentibus præfert. Eſt enim perceptiva internum quoddam vitæ lumen, quo facultates reſpectivè ſubſequentes diriguntur. Si ergò per-

Quid commune habent, quid proprium.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 261 sur 591

©BIUM

ceptiva (ut in prima serie) sit naturalis, appetitiva & motiva fuerint similiter naturales: si perceptiva (ut in secunda serie) sit sensitiva, appetitiva & motiva lumen sensûs participaverint: si perceptiva (ut in serie tertia) sit intellectiva, voluntas & motiva naturæ intellectualis participes factæ fuerint. Porrò, ut perceptiva (in prima serie) non dependet ab appetitiva, aut hæc à motiva, sed ambæ hæ ab illa; ità (in secunda serie) appetitiva pendet à sensitiva, & motiva ab appetitiva, non contrà; similitérque (in tertia) voluntas ab intellectu, & motiva à voluntate, non vice versâ, pendet. In prima serie facultas appetitiva & motiva sequuntur perfectionem & imperfectionem perceptivæ: & proportionaliter appetitus sensitivus & motus animalis sequuntur indolem sensûs; voluntásque & motiva rationalis genium intellectûs. Insuper, ut perceptiva naturalis primam seriem, ità sensus secundam, & intellectus tertiam, regit. Atque hæ sunt communitates sive convenientiæ harum serierum.

Earum differentiæ.

4. Habent & suas differentias. Prima series continet facultates purè naturales & necessariò agentes; secunda, partim naturales, partim judicium participantes, & medio modo inter necessitatem & libertatem se habentes. Earum enim actiones variabiles, & cujusdam disciplinæ capaces, sunt. Canes enim, psittaci, simiæ, equi, boves, &c. dociles sunt, & pro natura rerum à se gerendarum pœnam atque præmium exspectare discunt. Tertia series complectitur intellectum, facultatem quidem de se non liberam, sed fontem libertatis in voluntate & motibus indè fluentibus: objecta nimirum sub aliqua indifferentia proponendo, fundamentum liberæ electionis jacet. In prima serie omnes facultates erroris sunt expertes. In secunda, brutæ facultates, quantum participant de judicio, tantum participare etiam possunt de errore. Sensus enim frequenter decipiuntur, appetitus deluditur, motus frustratur. In tertia, facultates non tantùm erroribus obnoxiæ sunt, verùm etiam meriti atque reatûs capaces. Prima series ignobilior est secundâ, & secunda tertiâ. Atque hæ sunt differentiæ harum serierum.

Differentiæ facultatum perceptivarum.

5. Verùm de facultatum perceptivarum differentiis, quæ in qualibet serie duces chori sunt, aliquid ulterius advertendum est. In materialibus, perceptio naturalis & sensitiva satis

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 262 sur 591

ſatis ab intellectu ſive in homine ſive in Angelis diſcriminantur; ſcilicet, quòd illæ ſint facultates materiales, hic ſpiritualis. Atqui in ſpiritibus ſenſus deſunt, & perceptio naturalis cum intellectuali immediatè conferenda eſt; quæ ambæ facultates, in iis, ſpirituales ſunt; & propterea aliunde petenda eſt differentia. Illa igitur eſt facultas neceſſaria & ſimplex, rectà tendens ad actionem: hæc, quaſi duplicata ſive judicata, & mediante libero arbitrio ad actionem terminatur. Exiſtimo autem perceptionem intellectualem præſupponere naturalem, eámque quaſi reflexè contemplari, ejúſque adeò perceptionem percipere. Non enim putandum eſt Angelos non reflexè cognoſcere ſuam perceptionem naturalem. Quare intellectualis perceptio Angeli addit naturali hanc reflexam perceptionem ſuæ perceptionis: Quæ prima differentia inter naturalem & intellectualem eſt. Altera ſumitur ab eo, quòd intellectus Angeli ſuæ voluntati objectum ſub aliquali indifferentia objectiva repræſentare poteſt, unde voluntas ejus circa idem ſuum liberum arbitrium, eligendo vel non, exerceat. Niſi enim objectum eligibile ſub aliquali indifferentia voluntati proponatur, libertas circa idem exerceri nequit, ſed electio prædeterminatur, & rigido intellectûs dictamine neceſſitatur. Fortaſſe plures hujuſmodi differentiæ excogitari poſſunt. Verùm adeò pauca ſunt & obſcura, necnon plerumque incerta, quæ à nobis de Angelis cognoſcuntur, ut non auſim huic diſſertationi diutiùs immorari.

6. Perceptio naturalis in materialibus à ſenſitiva diſtinguitur, 1. quòd illa ſit ſimilaris & inorganica, hæc organica. Dico, naturalem perceptionem ad rationem ſuam non requirere materiæ organizationem, ſed conſiſtere poſſe vel cum, vel ſine, eadem. Si autem contingat materiam organicam eſſe, non indè præpeditur perceptio naturalis. Aliud enim eſt, ad ſuam entitatem neceſſariò requirere organizationem, aliud, poſſe cum vel ſine organizatione conſiſtere. Quanquam ergò perceptio naturalis cum forma organica conjungi queat, non tamen organica dicenda eſt, quòd æquè in eſſe ſuo, ſive materia organizetur ſive non, conſervetur: Non enim dependet ab organizatione. E contrà, ſenſus manifeſtè organica facultas eſt, & deſtructo organo, deſtruitur; læſo eo-

Perceptio naturalis à ſenſu differt.

Differentia prima: Senſus eſt organicus.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 263 sur 591

©BIUM

dem, læditur. Conspicua itaque est hæc differentia.

Secunda: Naturalis est simplex; sensus, compositus.

7. Secundò, naturalis & animalis perceptio distinguuntur, quòd illa sit simplex, hæc composita & quasi duplicata; est enim perceptionis perceptio. Oritur hæc differentia à priore. Eò enim quòd carnes, membranæ, nervi, humores, spiritus, cerebrum, in aptam quandam machinam seu organum ad perceptionem duplicandam conformentur, fit sensatio. Ubi ergò nervus læditur, ut in paralysi & guttâ serenâ similibúsque affectibus, etsi oculus aliúdve organum externum ab objecto afficiatur, non tamen elicitur sensatio, quia non reduplicatur perceptio; hoc est, organum totum non percipit se percipere. Totum enim organum sensibile quodammodo duplicatur. Externa fabrica unam partem conficit, cerebrum alteram: quæ duæ partes nervo cuilibet organo peculiari connectuntur, & perceptio in externo organo elicita, mediante motu nervi in cerebrum derivatur, ubi ea iterum percipitur, hoc est, sentitur. Et propterea existimo sensationem nihil aliud esse nisi materialem perceptionem duplicatam; vel esse perceptionem ità compositam, ut suum actum percipiendi simul percipiat. Quâ descriptione sensus à perceptione naturali manifestè discriminatur. Veruntamen objectio gravis contra hanc assertionem hîc occurrit; Perceptionem naturalem non esse suæ perceptionis nesciam. Etenim natura percipiens primò percipit seipsam; & quia seipsam noscit, noscit quoque suas facultates; & quia has dignoscit, percipit quoque earum operationes, quarum prima est actus percipiendi: hanc ergò percipit. Profectò objectio magni momenti est, &, nisi aliquo modo perceptam perceptionem distinguere fas sit, vix solubilis. Tentanda ergò est hujusmodi distinctio. Existimo eam rectè partiri in perceptam per eundem actum per quem objectum primò percipitur, vel per distinctum & cum actu primo compositum. Priore modo perceptio naturalis dici potest suum actum percipere, simplici quippe perceptione. Posteriore sensus suos actus recognoscit, duplicato nempe actu. Cùm ergò perceptam perceptionem solis sensibus appropriamus, intelligi debet de composita perceptione, non de simplici. Dubitabit fortasse aliquis an simplex perceptio suum actum ullo modo cognoscat. Sed omnino id concedendum est. Lumen enim perceptionis,

ceptionis, quod aliis facultatibus ſplendet, non ſibi ſoli cæcutit. Fateor itaque perceptionem naturalem ſuos actus aliquo modo cognoſcere, ſed non per alium percipiendi actum, atqui per eundem quo percipit objectum. Sufficit enim ſimplex & directa perceptio ad hanc cognitionem. Tendit enim ad excitationem & directionem appetitûs naturalis, qui de indifferentia aut libertate nihil planè participat, ad quas requireretur aliquid judicii & reflexæ ſeu duplicatæ perceptionis. Natura igitur ſubſtantialis ſuâ naturali perceptione 1. percipit ſe, 2. facultates ſuas, 3. operationes harum, 4. & ultimò, influxus, alterationes rerum aliarum extra ſe, necnon connexus, confœderationes, &c. cum iiſdem. Percipiendo autem ſe, alia hæc omnia unà percipit, nempe ut ſe aliquo modo afficientia. Non enim aliter concipi poteſt quâ viâ ea perveniant ad ipſam facultatem, eíque intimè uniantur. Dico igitur, percipere hæc omnia mediante quaſi propriâ objectivâ ratione, ceu primario facultatis objecto, in quo cætera ut id quodammodo afficientia repræſentantur. Cùm ergò natura ſubſtantialis ſe duntaxat directâ & ſimplici perceptione percipiat, fieri nequit ut ſuum actum percipiendi aliâ distinctâ perceptione dignoſcat. Cùm enim ſeipſam ſimplici perceptione contempletur, neceſſe eſt affectiones ſuas ſimplici quoque comprehendat, eâdem nimirum quâ percipit ſe ut percipientem ſeipſam, eáque omnia quæ in ſe inhærent. Percipit ergò ſuam perceptionem ut affectionem ſibi inhærentem, eâdem nimirum perceptione quâ ſe, ut dictum, contemplatur. Cùm ergò perceptio ſit affectio naturæ ſubſtantialis percipientis ſe & naturam ſuam, eodem actu ſimplici quo percipit eam naturam & affectiones ejuſdem, percipit etiam ſuam perceptionem. Dices, hanc perceptionem, quòd diverſa objecta ſimul involvat, eſſe complexam. Fateor eſſe comprehenſivam reſpectu varietatis objectorum quæ ſimul complectitur: verùm non componitur ex diverſis & diſtinctis ejuſdem objecti perceptionibus, (quemadmodum componitur ſenſus,) & eo reſpectu rectè dicitur ſimplex. Concludendum itaque eſt, naturæ perceptionem eſſe ſimplicem, & à ſenſu, ut à perceptione compoſita, clarè diſcriminari.

Tertia: Senſus non percipit quicquid natura.

8. Advertendum verò hîc eſt, in compoſita hac ſeu duplicata perceptione ſecundam non neceſſariò percipere quicquid ſub

©BIUM

sub prima notitia cadit; videlicet, tantùm percipere objectum, & quòd idem à se percipitur. Sentit enim id ejusdem, idque tantùm, quod per nervi motum cerebro communicari potest; & quicquid ejusdem percipit, percipit ut priùs perceptum. Quare sensus includit quasi implicitum quoddam judicium de re percepta. Est enim quasi tacita assertio de percepto objecto, se sibi conscium esse hoc vel illud se percipere, hunc equum se videre, hunc hominem loquentem se audire. Cùm enim sensus sit perceptio percepta, secunda, ut dixi, de prima quasi affirmatur, & de eadem implicitè judicat. Verùm sensus terminatur ad objectum ut ad id quod se percipere percipit, non autem ad modum quo percipitur. Bruta enim, quando vident, non cognoscunt quid in camera oculi peragitur: imò neque hoc sciunt homines, nisi longâ experientiâ, observatione & ratiocinio (arte nimirum opticâ) priùs perdiscant & colligant. Dices, nos sentire dolorem & titillationem veneream, imò & calorem atque frigus, ut res peractas in ipsa parte, eámque afficientes. Respondeo, percipi dolorem (& cætera nominata) ut objectum quod percipitur; sed modum quo fit in parte dolente non sentiri. Etenim in hunc usque diem disputatur, an ratio doloris consistat in solutione continui, nécne: quod non fieret, si sensus eam rationem immediatè attingeret. Quare secunda perceptio in sensatione non omnia discernit quæ in prima fiunt; & consequenter, multa in prima percipiuntur quæ in secunda delitescunt. Unde aliqualis quoque differentia inter sensum & perceptionem naturalem inferatur, eáque tertia sit.

Quarta: Sensus errare potest, non naturæ perceptio.

9. Quartò, Propterea quòd secunda perceptio aliquo modo capax sit implicitæ affirmationis de suo objecto, [id percipi,] est aliquo modo capax judicii, scilicet implicitè, & consequenter erroris. Quantum enim aliqua facultas participat de judicio, tantum quoque de errore participare potest. Suarius Disp. 8. s. 4. nº. 6. sic exprimit, *Notitia autem simplex, quæ simplex apprehensio dici solet, in tantum est capax alicujus veritatis, in quantum cognitio aliquam rationem judicii participat. Nam licèt conceptio per simplices actus dici solet simplex apprehensio, quatenus potentia cognoscens format in se similitudinem rei, & quodammodo illam ad se trahit, & ut distinguatur à proprio*

proprio judicio, quod à nobis datur cùm rem unam cum alia componimus, vel eas dividimus : tamen quatenus illa met apprehenſio eſt aliqua rei cognitio, eſt etiam aliquale judicium, quo implicitè judicatur res id eſſe quod de illa cognoſcimus, &c. Hinc quarta differentia inter perceptionem naturalem & ſenſum deducitur ; hunc decipi poſſe, illam minimé. Quanquam enim, quod vulgò dicitur, verum eſſe admittitur, ſenſum, poſitis omnibus requiſitis ad agendum, non errare circa proprium objectum : frequenter tamen accidit, omnia ad certam ſenſationem eliciendam requiſita non adeſſe, & nihilominus ſenſum implicitè ſtatuere de præſenti objecto ; ut hunc fortè equum eſſe ſuum, cùm non ſit, ſed ſolummodo ſimilis. Fateor, ſenſum non conficere explicitam propoſitionem, ſed eam tantummodo implicare : attamen ſæpe anſam præbere phantaſiæ aliter de objectis quàm ſunt concipiendi & judicandi. Quare ſenſus decipere & decipi poteſt, non item naturalis perceptio. Hæc enim neque explicitè neque implicitè de ſuo objecto judicat, ſed ad operationem rectà tendit : ſaltem non ſtatuit de alterius facultatis actibus, neque alterius errorem imitatur : ſenſus autem primæ perceptionis actus per ſecundum judicat, & appetitus ſenſitivus atque phantaſia errantis ſensûs dictamini ſæpe obſequuntur. Quia verò ſenſus de objecto judicare & errare poteſt, poteſt etiam dubitare. Quod enim à longinquo cernitur, primò deprehenditur eſſe aliquid : an verò ſit corpus inanimatum, an animal, adhuc neſcitur ; ſed propiùs accedente objecto, decernitur eſſe animal, dein eſſe hominem, demum eſſe amicum ſuum familiarem. Unde evincitur ſenſum non tantùm errare, ſed & dubitare poſſe. Cùm ergò perceptio naturæ ſit certa, hinc perſpicuè à ſenſu diſcriminatur. Hîc obſervatu dignum eſt, quantò longiùs aliqua facultas à perceptione naturali recedit, eò faciliùs errare. Hinc phantaſia errori magis obnoxia eſt quàm ſenſus communis ; & appetitus ſenſitivus, quàm illa.

10. Quintò, Differunt quoque perceptio naturalis & ſenſus reſpectu objectorum. Illius enim objectum eſt entitas propria, quæ repræſentat ſe, ſuas cauſas & effectus, item omnes influentias aliarum rerum, confœderationes, cooperationes, conſenſus & diſſenſus, &c. hujus verò objectum eſt entitas extranea. Senſus enim entitatem propriam organi percipientis, *Differentia 5. ex parte objectorum.*

©BIUM

cipientis, hoc est, ipsius partis quâ percipit, non percipit, sed objectum perceptum ut quid extra se contemplatur. Ubi enim quis se intuetur in speculo, objectum videt ut quid pone speculum situm : nec obstat, phantasiam in animalibus sagacioribus facilè colligere, esse imaginem propriam à vitro reflexam. Multa enim animalia, quibus phantasia minùs acuta est, vitrum inspicientia deluduntur, & diversum à se animal se conspicere putant. Atque hoc satìs ostendit quid ipse sensus sibi relictus agit, & quo modo objectum suum repræsentat. Aves pugnaces cum sua umbra in speculo visa animosè dimicant, neque prælium nisi subducto vitro componitur. Certum ergò est sensum ad objectum externum, aut sub specie externi, ferri: & consequenter à perceptione naturali, quæ primariò respicit objectum internum, evidenter distinguitur.

Aliæ differentiæ.

11. His addamus latitudinem & generalitatem perceptionis naturalis, quæ subjectivè ad omnes substantias extenditur, nec, ut sensus, ad sola animalia restringitur; objectivè quoque ad omnia propè entia suo modo adæquatur. Quanquam enim neque sensum neque intellectum duplicatâ perceptione comprehendit : à priore tamen, in quantum organa idonea à quibus sensus resultet construere noscit, quid ad eundem requiratur se prævidere demonstrat. Si autem in materialibus quid ad sensationem sit necessarium noverit, non mihi dubium est quin in spiritibus pari, si non majore, facilitate quid ad intellectionem expetitur sciverit. Sunt & aliæ differentiæ: perceptionem naturalem esse multò subtiliorem eâ sensuum; & hosce interim, in quantum ad objectum appetitui, sub ea indifferentia quâ indè spontanea electio exerceatur, præsentandum comparantur, esse multò nobiliores illâ. Sed videor satìs de differentiis harum facultatum advertisse, & ex dictis quivis perceptionem naturalem à sensu clarè internoscat.

CAP.

CAP. XVI.

Vita naturæ ſubſtantialis aſſeritur à priore: & primò, à cauſis externis; ab Efficiente, Exemplari, & Finali.

Omnes ſubſtantias vivere.

1. COmmunitates & differentias Facultatum vitalium ſuperiore Capite aperuimus, & vitam naturæ ab ea animalium deditâ operâ diſcriminavimus: ſupereſt jam vitæ naturalis probationem preſſiùs aggrediamur. Dico igitur omnes ſubſtantias propriè ſic dictas, hoc eſt, per ſe ſive ſuo marte ſubſiſtentes, eſſe naturâ quadam vitali, nempe tribus iſtis primis facultatibus, perceptivâ, appetitivâ & motivâ, præditas. De ſubſtantiis ſpiritualibus dubium non eſt. Omnes enim Philoſophi qui de iis tractârunt vitam quandam ſpiritualem, quaſi communi conſenſu, iiſdem aſcripſerunt. Si quâ tamen Neotericorum quiſpiam de hac re dubitet, datâ vitâ naturæ materialis, omnis cauſa dubitandi facilè evanuerit. Fieri enim nequit ut nobilior natura ſubſtantiis materialibus quàm ſpiritualibus impertiatur. Omnes enim agnoſcunt, naturam inanimatam nobilitate & perfectione vivæ cedere. Cùm ergò ſpiritus nobiliores & perfectiores ſint corporibus, certum eſt eos nobiliore naturâ, nedum ignobiliore, dotatos eſſe; & conſequenter, datâ vitalitate corporum, à fortiore ſequitur eandem ſpiritibus communicari.

Etiam materiales.

2. Cardo itaque controverſiæ in hoc vertitur, An ſubſtantiæ materiales vitali naturâ ſint imbutæ. Eo enim præjudicio hominum mentes hactenus præpeditæ videntur, materiam rem ſtupidam, ignavam, merè paſſivam eſſe, ad infarciendum mundum duntaxat natam. Quare hoc nobis incumbit probandum, materiam eſſe non tantùm naturæ vitalis capacem, ſed & actu vivam, vitalibus nempe facultatibus, perceptivâ, appetitivâ & motivâ, præditam. Neque neceſſe eſt omnia argumenta omnes iſtas facultates æquè primò & directè inferant, ſed ſatis eſt ſi aliquam ex iis unam efficaciter probent. Poſitâ enim perceptivâ, cui uſui eſſe poteſt, niſi ſimul concedatur appetitiva? Poſitâ appetitivâ, ea fruſtrà eſt, niſi ei reſpondeat motiva, quæ proſequatur aut fugiat

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 269 sur 591

©BIUM

bonum aut malum apprehenſum. Denique, motiva inutilis & temeraria eſt, ubi non movetur ad finem expetibilem aſſequendum. Finis expetibilis nullus eſt qui non percipitur; *ignoti nulla cupido.* Ità ergò hæ facultates inter ſe concatenantur, ut poſitâ earum unâ, reliquæ duæ eâdem operâ aſſeruntur. Quare ſive vitam naturæ in genere, ſive aliquam unam facultatem ejuſdem in ſpecie, vindicavero, inferendum eſt, naturam eſſe vivam.

Probatur à priore. Auctoritate.

3. Verùm dupliciter, vel à priore, vel à poſteriore, procedere licet. Etſi verò argumenta à priore minùs cogentia ſint, non tamen penitùs tacenda videntur, ſaltem nè in partem adverſam invita trahantur. Plato, non levis judicii Philoſophus, mundi admirabilem fabricam, harmoniam, pulchritudinem, dignitatem contemplatus, non potuit animum inducere ut crederet eum conſtare ex ſola ſtupida & cadaveroſa materiæ mole. Adjunxit itaque ſpiritum, quem *mundi animam* vocavit. Peripatetici quoque, conſtantiam fixúmque ordinem motuum corporum cœleſtium obſervantes, iis ſuos motores diviniores, adſiſtentes quippe Intelligentias, præfecerunt. Similiter Averroes, difficultatibus incidentibus circa novarum formarum productionem victus, ad numen quoddam ſublunare, quod formas in omni generatione idoneas ſuggerat, confugere coactus eſt. Omnes videntur implicitè fateri, ſua Philoſophiæ principia phænomenis in natura occurrentibus non aliter ſufficere, quàm in ſubſidium alias cauſas adjutrices, quibus naturæ defectus ſuppleantur, advocando. Nonne ſatius foret naturæ debitam perfectionem propriam, vitam quippe, quâ hiſce muniis ſit ſufficiens, largiri? Sed authoritatem in hac cauſa non magnopere moramur; ad cauſas naturæ deveniamus.

Ab efficiente.

4. Primò, Efficiens cauſa naturæ ſubſtantialis propriè dictæ ſolus Deus eſt. Subſtantia enim, ut ſuprà declaravimus, per ſolam creationem incipit, & per ſolam annihilationem deſinit: alioquin verò à nulla creatura ſuam entitatem mutuatur, ſed per ſe & ſuis viribus ſubſiſtit. Credibile ergò eſt, Deum, naturæ hujus fundatorem, noluiſſe tam illuſtrem entitatem materialibus ſubſtantiis indulſiſſe, niſi unà iis conformem naturam operativam decreverat. Nam profectò vel homines (qui multò minùs circumſpectè agunt) in ſuis operibus,

operibus, si quando organa aut machinas conficiunt, actiones & usus eorundem potissimùm respiciunt. Non igitur putandum est, voluisse sapientissimum Deum producere substantiam per se subsistentem absque natura operativa, quâ actiones suâ entitate dignas, hoc est, vitales & ab intus provenientes, edat. Probabiliter quidem arguere licet, tam stupidam & insulsam creaturam substantialem, qualem fingerent materiam, non esse in natura possibilem. Omne enim ens bonum est, non frustraneum, nec inutile; quin ipsa entitas & bonitas non realiter differunt. Fieri ergò nequit quin utilitas seu bonitas rei entitati ejusdem proportionetur. Non hîc loquor de bonitate morali, sed de metaphysica, quâ res perpetuò conformatur suis operationibus. Non enim placuit summo Creatori quicquam improportionatum producere. Omnia ergò justo ordine, mensurâ & pondere construxit. Non igitur fundamentalem entitatem, cui non coaptavit naturam energeticam aptè respondentem, fecit. At verò omnis substantia, etiam materialis, sufficiens fundamentum est alicujus naturæ energeticæ. Quorsum igitur munificentissimus Deus, qui omnia bona omnibus largitur, & nulli virtutem suæ entitati proportionatam invidet, materialibus substantiis naturam energeticam suæ radicali subsistentiæ conformem denegaret?

Dari vitam materialem, non repugnat.

5. Si quis objiciat naturam vivam minimè conformem esse entitati materiæ; imò vitam materialem repugnantiam in adjecto dicere: Sic enim Philosophi hanc rem olim computâsse videntur, Materiam rem stupidam esse; vitæ principium, si velimus, aliunde petendum esse: Hinc Platonem animam mundo materiali addixisse: Cùm enim non potuisset vitam qualemcunque Universo penitùs denegare, nec materiam vitæ propriæ compotem putâsset, coactus videtur animam quæ Universum informaret, & vitâ impertiret, excogitare: Respondendum est, vitam in tota sua latitudine non esse materiæ inconformem, sed solummodo vitam spiritualem. Etenim certissimum est, eò quòd dentur plantæ & animalia, dari quoque vitam materialem, & consequenter posse dari. Si ergò quoquo modo contigerit materiam in aliquibus non esse vivam, ratio non est, quia nequit esse vitæ particeps; sed, quia noluit Deus vivam creare. Ratio autem

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 271 sur 591

©BIUM

vix reddi poteſt cur Deo potiùs mundum ignavum & ſtupidum, quàm activum & vividum, creare placeret: præſertim cùm, ut dictum, materia naturaliter non ſit vitæ materialis incapax. Quod verò ad Platonis & Platonicorum ſententiam attinet, ea facilè exponi poteſt, & ad bonam frugem perduci, ſi modò authorem de inadæquato entitatis materialis conceptu intelligi permiſerint. Corpus enim in genere in duos inadæquatos conceptus, ſubſiſtentiam fundamentalem & naturam energeticam, reſolvitur: Platonis materia eſt ſubſiſtentia fundamentalis, anima eſt natura energetica. Neque hæc expoſitio planè frivola aut abſurda videri debet; cùm frequentiſſimus veteribus mos fuiſſet de inadæquatis conceptibus tanquam de rebus realiter diſtinctis & ab invicem ſeparabilibus loqui. Imò in iſtis rerum metaphyſicarum primordiis pauci erant qui proceſſum intellectûs noſtri per inadæquatos conceptus intellexerunt: ſed potiùs quicquid proponebatur ut ſubſtantia diſtinctè concipienda, pro realiter diſtincta acceperunt. Et revera ſæpe tam obvia occurrit occaſio cur hoc modo homines decipiantur, ut minùs mirandum ſit, ſi aliquoties etiam magni judicii viri huic ſcopulo impegerunt. In præſenti Diſſertatione ſubſiſtentia fundamentalis in ſuo conceptu nihil eorum quæ ad vitam aut operationes ſubſtantiarum pertinet complectitur aut memorat: è contrà, conceptus naturæ energeticæ nè gry quidem eorum quæ ad rationem ſubſiſtentiæ ſpectant ſapit; ſed tota in explicatione vitæ & trium primarum vitæ facultatum inſumitur. Quis jam primo ſaltem aſpectu non putaverit horum conceptuum tractatus tam diverſos (quorum neuter quicquam utriſque commune continet) agere de rebus planè diverſis? Profectò ſubſiſtentia fundamentalis de ſe deſcribitur ut res ſtupida, ignava, & ad alias entitates ſuſtentandas nata: natura energetica, ut activa, & vitæ particeps; rem planè ſpiritualem putes; præſertim poſtquam eam à ſubſiſtentia fundamentali tanquam à ſubjecto materiali abſtraxeris. Platonem verò hujuſmodi abſtractionem feciſſe veriſimile eſt, & indè potuiſſe de hiſce inadæquatis conceptibus ut de rebus realiter diſtinctis concipere & tractare.

Plato candidè exponitur.

Hæc vita non impedit naturæ varietatem.

6. Dices adhuc, Deo Optimo Maximo viſum eſſe dona ſua creaturis diverſimodè diſtribuere, ut major varietas & diſcrimi-

diſcriminatio in earum ordinibus & perfectionis gradibus reluceret: Hinc aliis naturam inanimatam, aliis vegetabilem, aliis ſenſitivam, aliis rationalem, indidiſſe. Reſpondeo hanc gradualem perfectionem & differentias graduum ſive ordinum creaturarum, ſive poſueris vitam naturalem, ſive eam negaveris, nihilo minùs apparere poſſe. Nam vita plantarum ſufficientem rationem diſtinctivam à vita naturæ inſinuat: quòd nimirum plantæ pulchrâ partium divaricatione ramificentur & organizentur, necnon quaſi duplicatâ vitâ, alterâ inſitâ, alterâ influente, donentur. Cæteros autem vitæ ordines ſi reſpexeris, ſive vitam naturalem admiſeris, ſive rejeceris, eódem res redit. Jam ſit quilibet judex, an ſatius ſit, & plus artis habeat, interiorem domum ſolo ſqualido acceſſu, aut ignobili vilíque corporum occurrentium aſpectu, velle exornare; an, comparato decenti viarum & exterioris areæ apparatu, interiores receſſus elegantiore ſubindè ornatu gradatim cohoneſtare. Hanc poſteriorem profectò viam ſecundùm ſententiam à me propoſitam Creatorem Univerſi elegiſſe apparet. Primis enim ac generaliſſimis ſubſtantiarum rudimentis congruam & proportionatam naturam energeticam, vitalem quippe, aſſignavit: & nihilominus ſuperſtructos naturæ gradus aliâ atque aliâ ſubindè eminentiore perfectione diſtinxit & decoravit. Sic enim inexhauſtos ſuæ munificentiæ theſauros optimè demonſtravit, cùm incipiendo à tam nobili naturæ baſi, potuit tamen à gradu ad gradum, novam ſubindè atque altiorem dignitatem addendo, ad faſtigium tantæ eminentiæ opus ſuum evehere. Sed hæc de cauſa efficiente.

7. Secundò, Deus non ſolùm cauſa efficiens eſt ſuarum creaturarum, verùm etiam Exemplaris: imò fortaſſe omnis cauſa efficiens, eò quòd efficiens, ſuo modo eſt exemplaris. Etenim quicquid agit, eo fine ut ſibi aſſimilet agit. Hinc iſta axiomata, Similia in ſimilia non agere, niſi conſervando; Contraria in contraria hoſtiliter inſurgere ſe mutuò impugnando; (hoc eſt, alterutrum alterum ſibi aſſimilando;) profluxerunt. Verùm ſummus Deus non luctatur cum ſuis creaturis, ſed pro arbitrio, quicquid ſibi viſum eſt, abſque reſiſtentia perficit. Interim omnes ideæ Divinæ partes ex æquo, habitâ ratione ſubjecti recipientis, creaturas aliquâ ſui *A cauſa exemplari.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 273 sur 591

©BIUM

notâ afficiunt. Vix enim ſolida ratio reddi poteſt, cur una pars ſive unus inadæquatus conceptus imaginis Dei profundiora ſui veſtigia quàm alter imprimeret. In ente in genere gradum entitatis gradus unitatis, veritatis & bonitatis æquo pede comitatur. Similiter gradui ſeu dignitati & perfectioni ſubſiſtentiæ fundamentalis, quæ abſolutam & independentem Deitatis perfeitatem analogicè repræſentat, cur non gradus vivæ naturæ, vitam Dei proportionaliter repræſentans, aſſociaretur? Profectò haud obviàm eſt rationem reddere, quorſum tam nobilis entitas per ſe ſubſiſtens, (quæ reſpectu cæterarum creaturarum independens eſt & perpetua,) quemadmodum independentis entitatis Divinæ, ità & vitæ ejuſdem reſpondentem characterem non gereret. Omnia alia Divina attributa, pro dignitate ſubſtantiæ cui impertiuntur, analogως proportionantur. Unitas quidem ſpirituum nobis ignota eſt; ſed proculdubio propiùs accedit ad unitatem Divinam quàm unitas materialis, quæ continuitas eſt. Immenſitatem Dei, magnitudo ſive extenſio, longa, lata & profunda, ſive trina dimenſio, in corporibus repræſentat. Similiter ubiquitati Divinæ corporis locatio, æternitati duratio, in ſubſiſtentibus quidem perpetua, in inhærentibus ad ævi longioris aut brevioris periodum producta: ut verbo dicam, intellectui Divino naturalis perceptio, voluntati appetitus naturalis, omnipotentiæ facultas motiva, reſpondet. Mihi credibile non eſt, ſolam entitatem Divinam ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes ſuo charactere inſigniviſſe, quieſcente interim ſeu non ſimul influente exemplari cauſalitate vitæ Divinæ. Fruſtrà regeritur, materiales ſubſtantias incapaces eſſe tam nobilis naturæ. Partim enim ex ſuprà dictis patet, partim ex infrà dicendis patebit, naturam materialem non planè abhorrere ab omni vitalitatis participatione. Inferendum itaque eſt, hinc quoque ſaltem probabiliter colligi, naturam ſubſtantialem eſſe vitæ materialis compotem.

A cauſa finali.

8. Tertiò, ut Deus eſt efficiens & exemplaris cauſa omnium, ità eſt omnium quoque Finalis. Omnia ad gloriam Dei ſupremi Creatoris, à quo profluxerunt, comparata ſunt. Conſideremus itaque an mundum ſtupidum, qui nec ſuum Creatorem nec ſeipſum agnoſcat, an vividum, & non tantùm ſuiipſius, ſed & ſuæ dependentiæ à Deo, perceptivum, produxiſſe,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 274 sur 591

prodixiſſe, magis ad gloriam Dei faciat. Non mihi dubium eſt quin hoc poſterius optabilius ſit. Nequeo enim animum inducere ut putem, millies milleſimam mundi viſibilis partem non advertere an ipſa in rerum natura ſit, nedum an cauſam Deum habeat. Dices, Dei gloriam reſultare ex creaturis intellectu præditis, & earum operâ totius creationis perfectionem ad nominis Divini celebrationem redundare. Fateor quidem nomen Dei à creaturis intelligentibus potiſſimùm celebrari: hoc tamen non impedire quin totus naturæ chorùs in idem, non intellectu licèt, at perceptione ſaltem naturali, conſpiret. Verùm cætera propè quæ ad hunc titulum ſpectant, & ex his nonnulla, priùs aliâ occaſione obiter memorantur. Tranſeo igitur ad cauſas internas, materialem & formalem: & proximo Capite de Materiali agendum.

Cap. XVII.

Vita naturæ ſubſtantialis probatur à cauſa Materiali.

1. Materialis cauſa ſubſtantiæ in genere, hoc eſt, fundamentalis ejus natura quâ per ſe ſubſiſtit, eſt ſufficiens quoque vitæ principium. De ſpiritibus quidem non multùm laboro, quòd, qui eos agnoſcunt, ad unum omnes iiſdem internum vitæ principium ultro largiantur: Verùm de corporibus ambigitur. Huc igitur vires intendendæ ſunt. Aſſero, materialem ſubſtantiæ naturam, eo ipſo quòd ſit per ſe, quódque omnia ſua in ſe ſuffulciat, eſſe quoque ſufficiens vitæ principium: Quod ſic evinco. Internum motûs eſt & vitæ ſufficiens principium: At natura ſubſtantiæ materialis eſt internum motûs principium; & conſequenter eſt quoque ſufficiens vitæ principium. Majorem primò authoritate & qualicunque conſenſu Philoſophorum declaro, deinde ratione probo. *Materiam eſſe ſufficiens principium motûs.*

2. Suarius Diſp. 18. ſ. 7. variis in locis teſtatur, id quod ab intus movetur habere in ſe principium vitale. Verba ejus ſunt n°. 26. *Nihilominus tamen addendum eſt ultimò, hunc motum* *Motûs principium eſſe, & vitæ.*

©BIUM

Inanimata non se movere, auctoritate probatur.

motum naturalem principaliter esse tribuendum generanti, qui formam, &, mediante illâ, gravitatem indidit, à qua motus resultat: sicut projicienti & imprimenti impetum tribuitur motus qui ab illo manat. Quia ut impetus impressus, licèt sit vera virtus motiva, & in se habeat sufficientem vim ad illum motum, nihilominus non movet nisi ut instrumentum projicientis, & vice ejus: ità gravitas non movet nisi ut instrumentum generantis, & vice ejus. Hæc est mens Divi Thomæ & aliorum authorum quos citavi in ultima sententia, & Aristotelis in citatis locis, qui in hoc sensu sæpe alibi dicit, inanimata non habere in se principium unde est motus; & hoc discrimen semper assignat inter ea & animantia, ut videre licet 2. de Cœlo, cap. 2. textu nono, & 1. de Anima, cap. 2. textu 19. & lib. 2. cap. 2. textu 13. Et hoc discrimen viventium à non viventibus communi omnium consensu receptum est, ut notat Divus Thomas, &c. Secundò, Idem Suarius n°. 28. *meritò,* inquit, *ac sapienter hoc fuisse à Philosophis consideratum ac declaratum, ut significarent, res vitâ carentes non accepisse à natura virtutem ad perficiendum se, per se loquendo, sed harum rerum naturam solùm postulare, ut in sua naturali perfectione generentur. Et hinc constituerunt differentiam inter viventia & non-viventia, quam etiam Plato in Phædro & dialogo decimo de Legibus assecutus est; quòd viventia talia instituta sunt à natura, ut possent seipsa perficere seu actuare, (de creatis propriè loquimur:) non viventia autem per se non habent nisi quietem in ea perfectione quam à generante recipiunt, nisi aliunde impediantur.* Tertiò, Idem ait n°. 35. *Hoc tamen supposito, difficile est motum illum* (loquitur de motu cordis) *tribuere generanti. Primò, quia est actus vitalis: actus autem vitæ est à principio intrinseco, unde non debet reduci in extrinsecum. Fortasse non deest qui neget motum illum esse vitalem, quia non fit per appetitum & cognitionem. Hoc tamen improbabile est, & contra omnes Philosophos,* &c. Ex quibus locis colligo, communem esse Philosophorum sententiam, internum motûs principium esse sufficiens vitæ argumentum. Verùm, ut quod res est fatear, illi, dum sic loquuntur, ad vitam solùm vegetabilem & animalem, nequaquam ad naturalem, respicere videntur. Nihilominus cùm hoc criterio animata ab inanimatis distinguant, illa continere in se sui motûs principium, sive posse seipsa ab intus propriâ virtute sive propriâ actione & motu perficere,

ficere, ſatis ſententiæ noſtræ favent; Quicquid nempe ab intus movetur, eſſe eatenus vitæ particeps. Eò enim quòd ponant primam differentiam inter viventia & non viventia, quòd illa interno motûs principio gaudeant, hæc nullo; ſequitur, quicquid interno principio motûs præditum eſt, eſſe ſufficiens vitæ principium. Poſitâ enim eſſentiali differentiâ, ponitur res quam ea differentia ab aliis omnibus diſtinguit.

Objectioni occurritur.

3. Dices, Suarium, ſ. dictâ, n°. 44. diſtinguere principia motûs in tres ordines: *Unde*, inquit, *ex diſcurſu hactenus facto licet colligere tres ordines rerum ſe moventium localiter aliquo modo à principio intrinſeco. Primus eſt earum quæ ſolùm ità moventur quando ſunt in præternaturali ſtatu: & in his, licèt principium motûs in eis ſit, non tamen ut earum proprium, ſed ut inſtrumentum, ſeu virtus alterius. Et hujuſmodi ſunt res inanimatæ. Aliæ verò ſunt res quæ propriè ſe movent à principio intrinſeco ut ſibi proprio, non tamen perfectè & per ſe & primò, ſed per unam partem movendo aliam, & ità quaſi per accidens movendo totum; & ad ſummum poſſunt unam ſui partem per ſe primò movere, illam ſcilicet quæ eſt veluti fundamentum motûs aliarum. Et hujuſmodi ſunt viventia corporea. In tertio verò & ſuperiore ordine ſunt res quæ non ſolùm ſe movent per intrinſecum principium ut proprium, ſed etiam ſe per ſe primò movent ſecundùm ſe totas, quia non habent partes*, &c. Fateor Clariſſimum Suarium non admittere generalem naturæ ſubſtantialis vitam, nec eo fine à me hîc adduci; ſed eo ſolo, quòd clarè doceat, & ex conſenſu Philoſophorum probet, motum propriè (ut loquitur) ab intus provenientem eſſe ſufficiens vitæ argumentum. Alioquin enim loca à me laudata ſuos errores cum hac veritate implexos involvunt. Quorum præcipuos, nè comprobare videar, paucis perſtrinxero. Primò, Deſcenſum gravium generanti, ut cauſæ principali, aſcribit; quaſi gravitas non fundaretur in interno principio ſubjecti gravis, ſed in ſolo generante externo. Sed de hac re erit occaſio pleniùs differendi infrà, ut & fortaſſe de aliis hîc memoratis. Secundò, Errorem hunc alio valde conſpicuo confirmare conatur; Gravitatem eodem modo ſe habere ad ſubjectum grave, quo ſe habet impetus à projiciente impreſſus ad lapidem eo motum: non advertens impetum impreſſum, ſemel duntaxat licèt aut

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 277 sur 591

©BIUM

quoque modo præpeditum, illico ceſſare, nec abſque novo impulſu redintegrari: at verò gravitatem, millies licèt interruptam, uſque & uſque recurrere, interno ductam principio. Tertiò, Reſtringit vitam ad ſola animalia & plantas. Quæ, fateor, communis erat Peripateticorum ſententia, & iis olim condonanda, quòd vita naturæ, abſque qua efficaciter corrigi nequiverat, iis nondum innotuiſſet. Nos verò vitam naturæ omnibus corporibus promiſcuè tribuimus; nec indè differentiam plantarum & animalium ab aliis corporibus, ſed ab organizatione, cum Ariſtotele, & à duplicata vita, inſita & influente, cum Neotericis, deducimus. Quartò, Motum cordis abſque omni perceptione aut appetitu peragi putat, & interim ab interno principio oriri concedit. Ego verò concipere nequeo, quî fiat ut motus purè ab interno principio ordiatur, quem tamen iſtud principium nec appetit nec percipit. An natura adeò temeraria ſit, ut, nullo ſibi propoſito fine, novam operationem ſpontè aggrediatur? an potiùs omnia prudenter, & non ſine admirabili providentia, adminiſtret? Ultimò, Principia motûs intrinſeca in tres ordines diſtinguens, eorum primo pugnantia adſcribit. Fatetur enim iis ineſſe motûs principium intrinſecum, ſed non ut eorum proprium. Quæſo, quî eveniat ut principium intrinſecum non ſit proprium? Internum motûs principium eſt ipſa natura ſive eſſentia moventis; de qua videat Suarius, an poſſit eſſe principium improprium, aut alterius, ut vocat. Sed quærit nº. 25. an, in motu gravium, ſola gravitas ſit internum principium, an etiam ſubſtantialis forma: & gravitatem ait eſſe principium proximum; formam, remotum. Si gravitas ſit principium motûs, & eadem immediatè fluat à forma, quo ſano ſenſu dici poteſt principium improprium?

An gravitas ſit propriè tribuenda generanti.

4. *Sed*, inquit, *dicitur improprium, quia motus iſte propriè & principaliter tribuendus eſt generanti.* Sed quo jure, quóve merito? Proculdubio motus maximè propriè tribuendus eſt ſuæ cauſæ proximæ, modò ea in eſſentia ſive forma radicetur; ità tamen ut principaliter & formaliter eſſentiæ ſive formæ, ut principio quo, & materialiter ſubjecto ſive ſuppoſito, ut principio quod, debetur. Generanti autem non tribuitur niſi remotè & valde improprié. Nam revera principium motûs in gravibus, ſi modò gravitas ſit illud principium, nec afficit

ficit nec denominat generans. Gravitas enim hujus plumbi non eſt gravitas generantis, ſed hujus ſubjecti. Sed dices, cùm eam generanti tribuamus, cauſalem eſſe locutionem. Atqui generans plumbi nec eſt proxima neque eſt interna cauſa gravitatis ejuſdem. Ipſe enim fatetur cauſam ejus eſſe formam. Cùm ergò præſentem teneas internam & proximam cauſam, abſurdum eſt, eâ contemptâ & rejectâ, externæ abſenti atque remotæ effectum adſcribere. Si enim effectus in plantis & animalibus, formis rectè adſcribatur, injuſtè aliis formis naturalibus denegatur; cùm formæ naturales non minùs internæ cauſæ ſint ſuarum operationum, quàm formæ quas animatas vocant ſuarum.

An quicquid movetur moveatur ab alio.

5. Operæ pretium fortè eſt, verbo expendamus quid Peripateticos ad tam durum & inſuetum loquendi genus adegerat. Dixerat Ariſtoteles, *Quicquid movetur, movetur ab alio:* quod intelligunt de corporibus inanimatis. Viventia enim interno principio duci agnoſcunt. Nè ergò internum motûs principium corporibus quoque inanimatis tribuatur, cautum eſt. Coguntur itaque recurrere ad *generans*, miſerum refugium! cùm frequenter aut longiùs abſit, aut nihil ad generati motum conferat, aut etiam, antequam motus incipiat, planè deſinat eſſe. Verùm concedit Suarius formam movere, materiam hunc motum recipere; ſed nolit admittere hunc motum adſcribi compoſito. Negat ergò grave ſe movere deorſum: admittit tamen motum in viventibus ab anima cauſari, & ſimiliter materiam eundem recipere. Si ergò in his motus rectè tribuitur compoſito, quid impedimento eſſe poteſt quo minùs in illis quoque pari jure eidem tribuatur? Sed gravitatem vult immediatè producere motum deorſum. Ego verò nequeo mente abſtrahere ullam entitatem quam dicit gravitas, præter ipſum niſum ſe movendi deorſum: qui niſus motus quidam eſt. Poſito niſu deſcendendi ab intus proveniente, ponitur gravitas, ſublato, tollitur; & ità tollitur, ut nulla ejus particula aut gradus ſupereſt. Gradus enim gravitatis & hujus niſus idem ſunt. Si ergò gravitas (ut vult Suarius) immediatè fluit à forma, motus perinde à forma eſt: ſimilitérque ſi gravitas rectè tribuitur plumbo, niſus quoque movendi deorſum eidem rectè tribuitur. Sed de hac re plenius differendum eſt in ſequentibus. Miſsâ

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 279 sur 591

©BIUM

jam authoritate, rationem qualemcunque ſubtexamus.

Internum motûs principium eſſe vitale.

6. Aſſero igitur, quod ſe aut aliud ab intus movet, eſſe ſufficiens vitæ principium. Quid enim eſt, ab intus movere aut moveri? Non eſt moveri ab alio, non eſt cogi. Dicit ergò movens ſuâ ſponte agere, ſuâ ſponte moveri. Motum igitur quem aggreditur appetit, & conſequenter percipit. Quid enim aliàs determinat, aut determinare poteſt, agens ad hoc agendum, aut ad hunc motum? Nihil extra ſe. In ſe ergò fovet vitale principium quo ſe determinat; nempe quo percipit quid ſit agendum & quorſum, quóque id appetit. Nam quî poteſt aliter ſuam indifferentiam contrahere, & ſe, quoad hîc & nunc, ad hoc aut illud determinare? Fruſtrà oggeris naturam determinari ad unum à generante, aut ab alia fortaſſe cauſa. Supponimus enim hîc agens naturale ab interno principio moveri & determinari. Hoc enim eſt ab intus moveri. Si quâ igitur opportuna eſt hæc objectio, reſervanda eſt dum accedamus ad minoris probationem, nimirum, naturam ſubſtantialem eſſe internum motûs principium. Dices, naturam eſſe agens neceſſarium. Fateor; non tamen cogitur, nec ab extrà determinatur. Aliud enim eſt, neceſſariò agere; aliud, cogi, aut ab extrà determinari. Agens purè naturale neceſſariò agit, quòd ejus facultas perceptiva objectum appetibile non ſub ulla indifferentia eligibilitatis, ſed ut directè appetendum, repræſentet. Quanquam igitur neceſſariò movere dicitur, ſpontè tamen movet, & non aliunde cogitur aut determinatur; ſed tantùm ex modo proponendi objectum ſe determinat, & ad movendum neceſſitat. Quare ſpontè aliquid agere aut movere tripliciter accipitur. Quod enim ab agente planè libero fit, maximè propriè dici poteſt ſpontè fieri: ſecundò, quod appetitur appetitu ſenſitivo, ſimiliter fit ſponté: & demum, quod à naturali agente appetitur, ſpontè quoque ſuo modo fit. Nulla enim ex his actionibus vim ab extrà illatam, aut coactionem aut determinationem ab externa cauſa provenientem, patitur. Quælibet igitur earum eſt ſuo modo actio ſpontanea, & ab interno atque vitali principio, quanquam diverſimodè modificato, fluit.

Probatur ratione.

7. Inſuper quod ab intus ſe movet, aliqualem ſui innovationem molitur. Nihil autem ſe it perditum; hoc eſt, nihil ſub ſpecie perdendi ſe, aut ſe deterius reddendi, innovationem

nem ſui tentat. Ergò ſub ſpecie meliorandi ſtatum ſuum hanc innovationem aggreditur. Agit ergò propter finem; finem ergò percipit & appetit; actióque conſequenter eſt vitalis. Miraculo ſimile foret, ſi naturalia agentia caſu moverentur, & interim regulariter ſemper agerent, nunquam ab optimo ſcopo aberrarent, perpetuò finem maximè appetibilem inſcia aſſequerentur. Quare ubi ab intus operantur, accuratè percipiunt & prævident exitum ſeu finem cœpti operis, & directè ad eundem collimant. Hinc illa encomia naturæ, eam nihil temere, nihil fruſtrà, omnia prudenter, agere, &c. Si ſit internum principium, proculdubio non eſt principium cæcum, nec cæci munere fungitur. Nonne ridiculum eſt, naturam ad omnia opera ſua prædeſtinari à generante & neceſſitari, imò cogi? Si enim ab extrà determinetur, non ab intus ducitur, nec ſuâ ſponte agit. Verùm quî poteſt ad plurimas ejuſdem ſpeciei actiones ſimul determinari? Omnis enim determinatio quoad hîc & nunc eſt ad unum. Non ergò antecedaneâ determinatione ad unum reſtringitur, ſed pro re nata modò ad actionem unam, modò ad aliam, determinatur. Si ergò novâ ſubindè determinatione contrahatur, ab intus id fit, intúſque habet vitale principium quo ſe ſic determinat: nimirum, quo quid ſit agendum percipit, & hîc & nunc idem proſequi appetit. Si autem percipiendo & appetendo quid ſit agendum definiat, facilè inferendum eſt, eſſe ſufficiens vitæ principium. Atque hæc habui dicenda de majore: ad minorem me confero.

8. Aſſero igitur, naturam ſubſtantiæ materialis eſſe internum motûs principium. Probatur, Quia natura eſt ultima & radicalis cauſa materialis & ſuffulciens formarum materialium, ſubſiſtentiæ modalis, omniúmque proprietatum & accidentium naturalium, quorum ab aliquo omnes operationes promanant. Eſt ergò efficiens cauſa omnium operationum naturalium, & conſequenter ipſius motûs quà naturalis. Equidem ut forma & finis frequenter coincidunt, & duntaxat ut inadæquati conceptus ejuſdem rei differunt: ità cauſa materialis & efficiens ſæpe eadem res ſunt, & ſecundùm noſtrum modum concipiendi tantùm diſtinguuntur. Etenim ſi natura fundamentalis ſubſtantiæ formas materiales, (quæ energeticæ ſunt,) necnon proprietates & accidentia naturalia, (quæ ener-

Naturam eſſe principium motûs.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 281 sur 591

©BIUM

getica quoque ſunt,) ſuffulciat, neceſſe eſt omnes naturales operationes ab ea tanquam ab ultima earum origine ſcaturiant. Non enim eſt naturalis operatio, niſi vel à materia, vel à forma, vel à proprietate aliqua, vel ab accidente naturali, proveniat. Quæ omnia ultimò dependent ab, & fundantur in, radicali ſubſtantiæ natura, quæ ſola eſt per ſe, & cætera omnia tanquam creaturas ſuas (ſi analogicè actioni creationis comparare liceat) in ſe ſuſtentat. Sublatâ enim in totum fundamentali hâc naturâ, omnia alia entia creata ipſo momento deſinunt eſſe. Si ergò verum ſit, quod vulgò decantatur, Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati; natura ſubſtantiæ eſt ultima & radicalis cauſa omnium operationum à formis aut accidentibus oriundarum. Quòd verò hoc principium ſit internum, ſatis per ſe conſtat, quia nihil rebus intimius eſſe poteſt ipſo eſſentiali earum fundamento, à quo intimè ſuſtentantur, & ſine quo in nihilum relabuntur. Inferendum itaque eſt, naturam eſſe internum, imò intimum, principium motûs.

Res operatur per id per quod eſt.

9. Secundò, idem probatur, quòd quicquid naturaliter operatur, per idem principium operetur per quod eſt: at omnis ſubſtantia propriè dicta per internum principium eſt: ergò per internum principium operatur, & conſequenter per idem movetur. Operari & movere propemodum idem ſunt; præſertim ſi intelligas de operationibus tranſeuntibus. Actio enim tranſiens perpetuò motum aut niſum movendi (qui in lata vocis acceptione motus quidam eſt) inſinuat: actio autem immanens certiùs tranſeunte vitæ indicium eſt; ut ſenſus, appetitus ſenſitivus, intellectus, voluntas, perceptio naturalis, & appetitus naturalis. Ità ut poſitâ in quocunque ſuppoſito naturali aliquâ operatione, ſive immanente ſive tranſeunte, in eodem ponitur internum motûs & vitæ principium, ſaltem ſi de actione tranſeunte æquè conſtet ac de immanente. Quare ubi dixi, *quod naturaliter operatur*, perinde eſt reſpectu illationis principii vitalis ac ſi dixiſſem, *quod naturaliter movetur*. Quod moneo, nè quis putet me ſenſum propoſitionis probandæ deſeruiſſe, quòd non videar tam procedere de motu quàm de alia operatione: ſed res in idem recidit, ut ex dictis liquet. Majorem igitur ſic illuſtro: Quod eſt per internum principium, & operatur per externum, naturali modo non operatur. Naturalis

turalis enim operatio eſt quæ à natura provenit; quæ non provenit à natura, neque naturalis eſt: at natura & eſſentia eadem res ſunt, tantùm videtur vocari natura in ordine ad operationem, & eſſentia in ordine ad conſtitutionem propriam. Cùm igitur eadem natura eſſentialis ſit diverſo reſpectu principium tum eſſendi tum operandi, clarè conſtat, agens naturale per idem principium operari per quod eſt. Minor non minùs evidens eſt, Omnem ſubſtantiam propriè dictam eſſe per internum principium. Eſt enim per ſe, hoc eſt, per ſuam eſſentiam, quam à nulla alia re mutuatur, quæque à nulla creatura dependet. Subſtantia ergò eſt per principium internum, imò intimum; & conſequenter per idem operatur.

Inanimata operari.

10. Qui nolit huic argumento ſubſcribere, tenetur aſſerere, præter animalia & plantas non dari corpus quod naturalem operationem edit; ſed omnia moveri quia ab alio moventur, & nihil moveri à natura ſua. Unde ſequitur, contra omnium experientiam, neque cœlum, neque terram, neque ſidera, neque planetas, neque elementa, neque meteora, neque mineralia, quicquam naturaliter agere. Durum profectò dictum, tam vaſtam, imò multò maximam, Univerſi partem omni naturali actione privari. Attamen horum accidentia, necnon formæ materiales, operantur. Nonne turpe eſt, nobiliores actiones accidentibus & formis quæ per inhærentiam tantùm ſunt tribuere, quàm ſubſtantiis ea ſuſtentantibus? Calor calefacit, lumen illuminat & actuat colores, ſapores afficiunt guſtum, odores olfactum, &c. Quid de his putemus? ſunt ſolummodo per eſſe mutuatum à ſubjecto in quo inhærent? Operantur itaque virtute ſubjecti à quo ſuſtentantur. Subjectum eſt internum & principale agens, ſed ſuſtentat formam & accidentia ut per ea operetur. Ultimum ergò principium ſubjecti quo eſt per ſe, eſt ultimum principium harum omnium operationum; hoc eſt, Natura fundamentalis ſubſtantiæ eſt ultimum principium energeticum. Hoc non ego primus dixi. Dixit olim Ariſtoteles, Natural. auſcult. l. 2. cap. 1. τὰ μὲν γὰρ φύσει ὄντα, πάντα φαίνεται ἔχοντα ἐν ἑαυτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως, *Nam quæcunque naturâ conſtant, videntur in ſeipſis habere principium motûs & quietis.* Et paulò infrà tradit Naturæ definitionem dictis conformem,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 283 sur 591

©BIUM

ὡς ἔστις ἡ φύσεως ἀρχῆς τινὸς καὶ αἰτίας τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτὸ, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός, *Tanquam natura ſit principium quoddam & cauſa cur id moveatur & quieſcat in quo ineſt primùm per ſe, non ex accidente.* Scopus Philoſophi in iſtis locis, ut videtur, eſt, diſtinguere artificialia à naturalibus: Illa interno motûs principio, nempe naturâ inſitâ, deſtitui, hæc verò iſtiuſmodi principio imprægnari, nempe ab intus moveri & quieſcere. Automata quidem moventur, ſed non ab interno principio; & propterea ſimulac primus impetus parti machinæ primò moventi ab extrà impreſſus defungitur, rotæ illico cæteræ movere deſiſtunt. Quorſum opus eſt plura attexere, cùm communi hominum conſenſu & modo loquendi idem confirmetur? Nonne omnes diſtinguunt operationes in naturales, & non naturales? Hæ ab externa cauſa dependent; illæ ab interna. Cur enim naturales vocentur, niſi quòd ſupponantur à natura manare? Exiſtimo igitur ſatis probatam eſſe minorem propoſitionem, Naturam eſſe internum motûs principium; & conſequenter, eſſe quoque ſufficiens principium vitæ. Atque hæc de cauſa Materiali.

Cap. XVIII.

Vita naturæ ſubſtantialis confirmatur à cauſa Formali.

Quid ſit vita.

1. Supereſt adhuc, quinto loco, expendamus Formalem vitæ cauſam, ipſam nimirum rationem formalem ſive eſſentiam ejuſdem: ut, ſi quâ fieri poſſit, vitam eſſe ipſam ſubſtantiæ in genere naturam indè monſtremus. Videntur enim Philoſophi genuinam vitæ rationem nondum ſatis aſſecuti: imò vixdum, an ſit accidens, an motus, an actio, an facultas, an qualitas abſoluta, an forma phyſica, an ſubſtantia, ſatis perſpicuè definierunt. Videtur autem hujus rei definitio ad complendam vitalitatis naturæ ſubſtantialis probationem ab anteriore valde neceſſaria. Si enim vita ſit tantùm accidens, aut accidentalis proprietas, eſt quid conſequens eſſentiam ſubſtantiæ, & non

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 284 sur 591

& non ea ipſa eſſentia, prout hìc ſupponi videtur. Hoc igitur primò explorandum eſt, an vita ſit Accidens, ſive proprium ſive commune, an non.

Vitam non eſſe accidens. Obj.

2. Eſſe accidens inferri poteſt, quòd ſit per inhærentiam in ſubſtantia, eámque ut quid eandem afficiens denominet. Prædicatur enim, non in quid, ſed in quale. Non enim dicimus ſubſtantiam directè eſſe vitam, ſed obliquè eſſe vivam, ſeu vitâ præditam. Hinc Galenus, ab aliquibus, vitam pro craſi quadam ſive temperamento habuiſſe putatur. Helmontius animam lumen vocat: ſed fortè metaphoricè, ut ei frequenter mos eſt, loquitur. Quin & videtur probari ex ſubito interitu plantarum & animalium, manente materiâ quodammodo integrâ; ut in cadaveribus animalium ſpontè morientium, aut ex morbis; ſed magis conſpicuè in violenter peremptis, præſertim in ſuffocatis in aquis & in ſtrangulatis. Etenim in his non tantùm partes ſolidæ, ſed & ſanguis omnéſque humores, ſine ſpectabili diminutione conſervantur; imò organizatio & figura omnium membrorum accuratiſſimè delineata (ut ex arte anatomica luculenter conſtet) manet. Denique, vita videtur gradibus variari, quod ſolis accidentibus appropriatur. Subſtantiæ enim non ſuſcipiunt magis & minùs, ut rectè advertunt Peripatetici. Quòd verò vita intenditur & remittitur patet, quia in lipothymia & ſyncope, aliiſque morbis, ut apoplexia, hyſterica paſſione, & ſimilibus affectibus, vita propemodum extinguitur: in ſanitate, & præſertim in florida ætate, in juvenibus & viris robuſtis multò eminentiore gradu relucet.

Reſp. Naturam non ineſſe ut accidens in ſubjecto.

3. Verùm enimvero his omnibus haud difficulter reſponderi poteſt. Primò, In memoriam revocandum eſt, quod priùs ſæpius monuimus, naturam ſubſtantialem diſtingui in duos inadæquatos conceptus, non realiter neque ex parte rei, ſed ſolummodo ratione, diſtinctos; ſcilicet in naturam fundamentalem, & energeticam: illam eſſe baſin omnium quæ in qualibet ſubſtantia ſunt; hanc ab eadem non differre niſi in modo conſiderandi. Illam enim contemplamur ut in ordine ad eſſe proprium: hanc, in ordine ad operationem. Veruntamen tam natura fundamentalis quàm energetica dici poſſunt inhærere reſpectu ſuppoſiti. Duplex ergò eſt inhærentia, altera abſque, altera cum, eſſentiali dependentia. Ac-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 285 sur 591

©BIUM

cidens inhæret in ſubjecto, & forma materialis in materia, cum eſſentiali dependentia: pars in toto, & inadæquatus conceptus abſtractus in concreto, abſque tali dependentia. Hoc modo fundamentalis natura ſubſtantiæ dicitur ineſſe & inhærere in ſuppoſito, nempe ut pars in toto, aut ut abſtractum in concreto. Prædicatur etiam ut pars de toto, non directè, ſed obliquè: nam abſtractum eſt quaſi pars concreti. Hinc etiam frequenter accidit inadæquatos conceptus, etiamſi ratione tantùm diſtinctos, non tamen directè & in abſtracto, ſed tantùm obliquè & in concreto, de ſe mutuò prædicari. Aliter enim foret acſi diceres, unum conceptum formalem ſive abſtractum eſſe alterum in ipſa ratione quâ diſtinguuntur; quod falſum eſt. Quanquam enim non diſtinguuntur re aut ex parte rei, ratione tamen cum fundamento in re diſcrepant. Atque ſic ſolvitur prima Objectio. Natura enim fundamentalis ſubſtantiæ à natura energetica, quæ ipſa vita radicalis eſt, ſolâ ratione differt. Etſi ergò obliquè tantùm prædicatur de ſubſtantia, aut ſubſtantia de ea, non tamen eſt accidens, ſed fundamentalis pars, ſeu primus & radicalis inadæquatus conceptus ſubſtantiæ.

Galeno ſatisfit.

4. Secundò, Quod ad Galenum attinet ejúſque authoritatem, certum eſt eum animam contemplatum eſſe tantùm in ordine ad medicinam faciendam, & quatenus paſſiones animi medicam opem fortè implorent. Sic enim rejicit ad temperamenta, à quibus eas aliquo modo dependere putat, & reſtitutâ juſtâ temperie ſanari ſupponit. Verùm de ipſa eſſentia animæ eum admodum fluctuâſſe, & nullubi quicquam certò ſtatuiſſe, conſtat. Libro enim quinto de Symptomatum cauſis, pathemata ad motum nativi caloris & ſpirituum revocat. Mox ſubjungit, *Etenim animæ eſſentiam in alia quapiam tractatione definire, audax fortaſſe facinus putabitur. In hoc verò opere, præter audaciam, etiam ſupervacaneum videtur.* Quibus manifeſtat ſe audax facinus judicâſſe, animæ eſſentiam velle definire. Hinc Gorræus, Medicus cordatus, necnon fidus Galeni interpres, *Animæ*, inquit, *ſubſtantiam ſe ignorare Galenus multis in locis ingenuè fatetur.*

Vitam primævam naturæ non mori.

5. Tertiò, Quod ad repentinam animalium mortem attinet, ſciendum eſt, vitam primævam ſeu inchoatam variis modificationibus expoliri poſſe, & tot eſſe modos vitæ ſimpliciter naturalis,

naturalis, quot in natura ſpecies corporum inanimatorum (ut communiter vocantur) reperiuntur. Verùm in plantis & animalibus vita ſimplex exaltatur, & alterius vitæ aſſociatione & confœderatione locupletatur. Vitam ſic modificatam vulgò vocamus *animam*; ſcilicet, vel vegetativam, vel ſenſitivam. In vita autem vegetabili vita naturæ tantùm duplicatur, & ſic conſtituit animam vegetativam; in animalibus quodammodo triplicatur. In his enim vita inſita partium ſolidarum non tantùm vitâ influente ſucci ſive ſanguinis vitalis perfunditur, ſed & influxu animali ulteriùs nobilitatur. Quare anima vegetativa eſt vita naturæ quatenus compoſita ex inſita & influente; & dicitur mori quandocunque hæc compoſitio diſſolvatur & fruſtretur. Non quòd originalis vita naturæ unquam intereat, ſed quòd iſta ejus confœderatio cum influente extinguatur. Similiter anima ſenſitiva eſt vita ex inſita & duplici influente, vitali & animali, conflata; quæ perit hâc exſolutâ compoſitione. Veruntamen anima ſenſitiva non ſtatim mori dicitur, ſi influxus animalis in aliqua parte externa, ut in membro paralytico, intercipiatur: ſed ſi in corde aut cerebro penitùs ſupprimatur, proculdubio mors adeſt. Negamus itaque in morte brutorum animam aliquam ſubſtantialem emigrare, & dicimus mortem animæ ſenſitivæ nihil aliud eſſe niſi diſſolutionem triplicis confœderationis vitæ, ut dictum: vitam verò ſimplicem naturæ, nempe primævam, non perire, neque mutari, niſi reſpectu alicujus additionalis modificationis.

Non vita, ſed vires admittunt gradus.

6. Quartò, Quod ad vitæ gradus ſpectat, nemo eſt Philoſophorum qui animam ipſam, ſive vegetativam ſive ſenſitivam, admittere gradus agnoſcit: tantùm vires vitales modò intendi, modò remitti, permanente eſſentiâ animæ invariatâ, volunt. Illas verò putant hanc conſequi, ut effectus; non conſtituere, ut cauſas. Neque hoc præter rationem. Etenim vires, ſive pro facultatibus ſive pro operationibus ſumantur, ſemper aliquid ſignificant ipsâ vitâ poſterius, ut mox videbimus: & conſequenter, gradualis virium variatio non ſatìs arguit intenſionem & remiſſionem ipſius vitæ. Quanquam enim micatio ſanguinis vitalis, ejúſque in omnes partes diſtributio, dicitur nonnunquam vita influens & originalis: hoc tamen ità dicitur reſpectu vitæ participatæ conſequentis,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 287 sur 591

©BIUM

quæ consistit in unione vitæ influentis & insitæ. Subjicitur itaque *vitæ* nomen variis acceptionibus. Sumitur pro vita insita, pro vita influente, & pro vita participata. Sumitur etiam pro vita naturali, eâque vel primævâ, vel modificante, vel ex utrisque concretâ. Vita primæva seu inchoata basis est cujusvis vitæ modificantis, éstque immutabilis & perpetua, nec ullo modo differt à natura energetica substantiæ in genere. Vita modificans subdividitur in materialem, & spiritualem. De hac non est cur hîc ulteriùs solicitemur. Illa fragilis est & caduca, variisque casibus obnoxia. Dividitur in simplicem, & compositam. Simplex non sic dicitur quòd nullo modo compositionem admittat, sed quòd non ex vitis distinctè conspiciendis aut monstrandis componatur. Mistum enim componitur ex pluribus elementis, sed eorum vitæ adeò intimè commiscentur, ut nulla earum quoquo modo à cæteris distincta conspiciatur aut monstretur. Vita composita duas aut plures vitas simplices, mirâ naturæ industriâ & artificio inter se contextas, confœderatas & unitas, complectitur; ità tamen ut earum quælibet à cæteris quodammodo distincta ostendatur. Vita concretè sumpta includit primævam, ut fundamentum, & modificantem, ut eam complentem & ad certam speciem contrahentem. In spiritibus vita primæva & modificans fortè non realiter differunt; & consequenter utraque est perpetua. Verùm in corporibus illa perpetua est, & hâc pereunte, novam subindè modificationem sibi adscisçit. Vita materialis concreta dividitur etiam in simplicem, & compositam: & hæc frequenter, utcunque minùs propriè, primis vitæ motibus seu operationibus adscribitur; ut calori vitali, micationi sanguinis, & pulsui cordis & arteriarum: quo sensu admittit gradus, & est accidens. Verùm causa harum operationum proxima, (quæ est vita modificans,) & multò magis causa ultima, (quæ est vita primæva,) vitæ insitæ, influenti aut participatæ substernitur, & earum neutra ulli vel minimæ graduum variationi obnoxia est.

Probatur vitam primævam non esse accidens.

7. Dilutis jam Objectionibus quibus vitam esse accidens probari videbatur, operæ pretium fuerit, si paucis non esse accidens evicero. Primò igitur hoc constare videtur, quòd vita intimior sit suo subjecto quovis accidente. Etenim nè

Divinâ

Divinâ quidem potentiâ ab eo, absque interitu ejusdem, separari potest. Impossibile enim est ut aliquid orbetur vitâ, & non simul moriatur. Siquidem mors nihil aliud est nisi privatio vitæ. Quod verò moritur, perdit eam essentiam quâ priùs fruebatur. Vita ergò erat ea essentia; quia illâ sola sublatâ, hæc unà aboletur. Si ergò vita sit essentia viventis, est intimior quovis accidente, nempe est ipsa intima natura viventis. Hoc evidentissimè cernitur in vita spirituum, ut Angelorum & animæ rationalis; à quibus si vitam dempseris, rem totam Angeli aut animæ annihilaveris. Immortales enim cùm sint, non aliter destruuntur quàm per viam annihilationis. Vita ergò iis essentialis est, & consequenter non est accidens.

Vitam non esse quantitatem, aut qualitatem.

8. Idem confirmatur percurrendo omnia accidentia in specie de quibus ambigi potest an vita in iis consistat. Inprimis, Vita non est Quantitas. Est enim entitas vigorosa & activa. Secundò, Non est Qualitas. Neque enim est qualitas relativa, neque absoluta. Qualitates relativas voco facultates, quia declarant relationem aptitudinis inter principium agens & ejus operationes. Verùm facultas, ut suprà cap. 14. explicuimus, dupliciter accipitur, vel concretè, quatenus includit simul cum relatione principium operans; vel abstractè, ut nuda relatio exprimens aptitudinem principii operantis ad suam operationem. Priore sensu tres primæ facultates, includendo principium earundem, ipsa natura energetica substantiæ, seu ipsum vitæ principium, sunt. Verùm hoc sensu non sunt qualitates aut accidentia, sed natura substantialis. Posteriore sensu ridiculum foret, si quis putaret vitam, tam nobilem entitatem, esse meram relationem inter agens & actionem ejusdem, & non esse quid absolutum isti relationi substratum. Equidem istiusmodi cogitationem indignam refutatione deputo. Devenio ad qualitates absolutas, quarum duæ sunt species, motus, & terminus motûs.

Non esse motum, sed principium motûs.

9. Tertiò, Aliquis imaginetur vitam in Motu consistere: Calor enim vitalis, micatio sanguinis, cordísque & arteriarum pulsus, motus quidam sunt. Concedendum est, hosce motus absolutè requisitos esse ad vitam animalium. Siquidem absque iis triplicata vitæ unio & confœderatio conservari non potest. Quòd verò non sunt generalis ratio & es-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 289 sur 591

©BIUM

ſentia vitæ, luculenter innoteſcit, quòd in plantis ſine hiſce motibus vita inſit. Inſuper iſti motus non coaleſcunt in unam entitatem. Calor enim vitalis realiter differt à pulſu; & pulſus ipſe ex contrariis motibus, ſyſtole & diaſtole, ac intermedia quiete, conflatur. Si ergò diaſtole ſit vita, ſyſtole non eſt, aut ſaltem interveniens quies non eſt: atque adeò vita ipſa in ſe ſubindè interrumpetur, nec erit ſibi continua. Similiter in micatione ſanguinis, ſanguis modò intumeſcit, modò iterum ſubſidit. Vel ergò intumeſcentia eſt vita, vel ſubſidentia: utroque modo interruptio contingit. Porrò, motus ſupponit cauſam moventem; quæ cauſa, ſi ſit interna, eſt principium motûs, & conſequenter eſt natura ſubſtantiæ & ipſa vita. Vita enim, ut ſuprà probavimus, eſt internum principium motûs. Si ergò tam vita quàm natura ſit internum principium motûs, ſequitur eſſe idem. Quare vita non eſt motus, ſed principium motûs, nempe eſt natura ſubſtantiæ in genere, quam definit Ariſtoteles eſſe *principium motûs & quietis.*

Vitam non eſſe terminum motûs.

10. Quartò, Vita non eſt Terminus motûs ſive ab extrà, ſive ab intus venientis. Non prioris, quòd vita (ſi quæ alia entitas) ſit interna & nativa ſuo ſuppoſito. Quicquid enim vivit, ſuam, non alienam, vitam vivit. Non poſterioris, quòd terminus motûs interni ſupponat alium motum internum ſe priorem: At nihil prius eſt, & ſuppoſito intimius, ſuâ vitâ. Nihil enim intervenit inter vitam & eſſentiam viventis: ſed vita immediatè fundatur in ipſa re cujus eſt. Etenim contradictionem implicat, aliquid à non vita ad vitam abſque eſſentiali mutatione deveniat. Si autem motus inter abſentiam vitæ & vitam in eodem ſuppoſito intercedat, idem ex non vivo fiat vivum abſque eſſentiali mutatione: quod, ut dixi, repugnat. Mortuum ſcilicet & vivum ſaltem ſpecie differunt, & impoſſibile eſt ut eſſentia unius ſpeciei in eſſentiam alterius migret abſque eſſentiali mutatione, ut per ſe notum eſt. Quintò, Vita non eſt Actio. Etenim quo jure vocaveris actionem, eodem etiam paſſionem vocare potueris. Omnes enim vitales facultates non minùs paſſivæ quàm activæ ſunt. Senſus enim priùs patiuntur ab objecto quàm eliciunt ſenſationem; & appetitus omnes appellantur paſſiones animæ: vires quoque vitales variis modis læduntur. Non ergò

Vitam non eſſe actionem.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 290 sur 591

ergò major ratio est cur vita nominetur actio quàm passio, eùm sit utriusque fons & principium. Non occurrit aliud accidens quod probabiliter sibi honorem essendi genus vitæ arrogare queat. Inferendum itaque est, vitam non esse accidens.

Formam physicam non esse primævam vitam;

11. De Forma physica adhuc dubitari potest, an essentia vitæ in ea consistat. Profectò ad rationem vitæ forma quovis accidente, sive proprio sive communi, propiùs accedit. Etenim illa, naturæ substantiæ, his multò intimior est. Non enim est proprietas aut accidens, sed natura quædam, sive additionalis essentia substantiæ. Quin & in plantis & brutis animalibus ipsam vitam in sua entitate manifestè involvit. Anima enim vegetativa & sentitiva, quæ formæ physicæ sunt, ob vitam quâ corpus impertiunt animæ cognominantur. Hinc communis ferè Philosophorum opinio est, nullum corpus quod non animâ aliquâ informatur vivere. Hinc Plato & Platonici, qui vitam omnibus corporibus communem invexerunt, animam mundi, à qua eam deducerent, simul excogitârunt. Adeò nullam vitam absque animæ præsentia & vivificatione agnoverunt.

sed modificantem.

12. Equidem quæ superiore paragrapho afferuntur magnam probabilitatem præ se ferunt, & ex parte quidem vera sunt, sed ex parte etiam falsa. Distinctione itaque opus est. Resumenda ea hîc est quæ suprà paragrapho 6. memoratur; ubi vita in primævam, modificantem, & ex utrisque concretam, herciscitur. Vita modificans materialis est ipsa forma physica. Etenim ut vita primæva est substantiæ natura fundamentalis considerata in ordine ad operationes; ità vita modificans est natura additionalis & complens similiter considerata in ordine ad operationes, quæ, ut suprà monstravi, nihil aliud est nisi ipsa forma physica. Concedimus itaque, formam ad rationem vitæ propiùs accedere quovis accidente, imò esse ipsam vitam modificantem. Etenim per vitam modificantem nihil aliud intelligo, nisi eam rationem seu additionalem naturam quâ vita primæva completur & determinatur ad certam legem seu modum essendi atque operandi. Hoc autem complementum quia determinat ad speciem, (eò enim quòd determinet ad legem essendi & operandi, determinat quoque ad speciem,) est prius ordine naturæ, & intimius suppolito, quovis

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 291 sur 591

©BIUM

quovis accidente. Eſt ergò eſſentia additionalis, ſeu forma phyſica. Atque hoc argumentum videtur vim demonſtrationis habere. Duo tamen in eo ſupponuntur quæ ulteriore elucidatione opus habent. Primum eſt, vitam modificantem à primæva realiter differre, ſeu formam phyſicam non eſſe vitam primævam. Secundum eſt, denominationem vitæ modificantis non ſolùm animis, verùm etiam omni formæ phyſicæ, vel ipſis inanimatis, competere. De quibus breviter.

Probatur non eſſe primævam.

13. Ad primum quod attinet, Formam phyſicam non eſſe vitam primævam, ſed duntaxat modificantem, ex eo evincitur, quòd educitur è potentia materiæ, & in eandem ſuſcipitur, ac ab eadem ſuſtentatur. Quod enim ità dimanat à materiali cauſa, ut in eadem perpetim ſuffulciatur, nec eſſe poſſit aliter aut diutiùs quàm ſic ſuffulcitur, non eſt de jure proprio, ſed merito alterius, cujus eſt, & quod modificat. Quid enim eſt modificare? Si de eſſentiali modificatione, de qua hîc loquimur, quæſtio ſit, nihil aliud ſignificat niſi complere in aliqua natura ſeu ſpecie, & determinare ad operationes iſtius ſpeciei. Supponit igitur aliquid antecedens ut inchoatum, quod complet, quódque determinat: & conſequenter vita modificans ſupponit antecedentem ut inchoatam, eámque perficit & ſpecificat. Dices, formam phyſicam ſupponere quid abſolutum, ſimúlque incompletum, in quo radicatur, quódque modificat; nempe naturam materiæ primæ per ſe ſubſiſtentem, quam complet. Verùm negabis fortaſſe modificare vitam aliquam primævam; ſed in iis corporibus in quibus vita cernitur, ut in plantis & animalibus, formam, eam de novo addere, eâque materiam afficere & modificare. Reſpondeo, formam phyſicam revera modificare naturam materiæ primæ; hanc verò includere naturam ſubſtantiæ in genere, quæ, quatenus energetica, eſt ipſa vita primæva cujuſvis ſubſtantiæ. Vita hæc, quatenus reſtringitur ad materiam, eſt materialis, & natura materiæ atque vita incompleta ejuſdem. In quantum igitur forma modificat eam naturam, modificat ipſam vitam primævam. Vita enim ſubſtantiæ in genere in materia prima à natura ejuſdem non realiter differt. Differentia enim contrahens in perpetuis ſolâ ratione à natura contracta diſtinguitur. Utraque enim eandem naturam, ſed, pro modo noſtro intelligendi, diverſimodè ſignificat: ſcilicet, prout vel magis abſtractè

ſeu

ſeu generaliùs, vel minùs abſtractè & ſpecialiùs, concipitur. Ubi verò ſuggeritur formam phyſicam in plantis & animalibus vitam de novo addere ; id planè negamus. Fieri enim nequit ut vita è materia pullulet in qua nullam radicem habuerat. Natura materiæ eſt materialis cauſa è qua forma phyſica dimanat ; & ità dimanat, ut in eadem, quamdiu eſt, immaneat, foveatur & ſuſtentetur ; hoc eſt, ut per continuam quandam dimanationem ab ea profluat. Verùm ſuperat captum meum, poſſe è re mortua, omni vitæ rudimento orba, vivam formam immediatè pullulare. Fruſtrà objicitur, vivas plantas è terra inanimata oriri. Plantæ enim ſunt ſubſtantiæ propriè dictæ, & per ſe ſubſiſtunt, nec vitam ſuam è terra ſugunt. At verò formæ materiales totam ſuam entitatem, ipſámque vitam quam habent, è materia hauriunt. Totum enim quod ſunt materiæ debent, ipſúmque eſſe ſuum ab ea mutuantur. Impoſſibile ergò eſt ut materia ulli formæ vitam impertiat, ſi in ſe nullum vitæ principium habeat. Sed (inquies) forma, modificando materiam, vitam in ea producit. Verùm neque hoc conſiſtere poteſt. Modus enim perpetuò ſupponit aliquod quod modificatur, quódque in re modificata, ante modi adventum, per modum principii ſive primi rudimenti iſtius modi, continetur: Verſatur enim modus eſſentialis circa rem modificatam, ut circa aliquid inchoatum, & nondum, in eo genere quo modificationem requirit, completum. Cùm ergò vita quam adfert forma materialis ſit tantùm modus, ſupponit aliquod rudimentum vitæ ſe prius, quod modificat. Quòd verò vita formæ materialis ſit tantùm modus, ex eo innoteſcit, quòd non ſit per ſe, ſed per inhærentiam in materia cum dependentia ab eadem. Quicquid autem dependenter inhæret, id in quo inhæret afficit & modificat: unde etiam idem denominat. Vita itaque formæ cujuſvis materialis, cùm non ſit ens per ſe, eſt ens entis, & modus alterius. Quod enim eſt per ſe, ſimúlque incompletum, aliquid in ſe continet per modum fundamenti ſeu principii quod ulteriùs perfici & compleri poteſt. Hinc forma, quæ complet, dicitur in potentia materiæ latuiſſe, educi è potentia materiæ, & in potentiam materiæ redire. Hæc autem potentia materiæ, præter relationem aptitudinis ad formam, nihil aliud eſt niſi materiæ natura ſubſtantialis, quà incompleta ; quæ, quatenus

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 293 sur 591

©BIUM

energetica, eſt ipſa ejus vita primæva. Hæc enim apta eſt aliâ vitâ modificante & complente ulteriùs perfici & ſpecificari. Vita autem modificans nequit eſſe primum vitæ rudimentum. Supponit enim prius quod modificat. Si enim vita aliqua ſit modus alterius, reducenda eſt ad aliud id genus abſolutum atque per ſe. Quare vita modificans revocanda eſt ad primævam. Illa enim hanc afficit & modificat, hæc illam ſuffulcit. Poſitâ ergò vitâ modificante, ſupponitur primæva, ex quibus unitis reſultat concreta & modificata. Vita igitur modificans eſt forma phyſica, ſed non eſt vita primæva, ſeu vita per ſe ſubſiſtens & fundamentalis. Quod ex priore ſuppoſitione erat probandum.

Objectioni ſatisfit.

14. Sed fortaſſe cuivis non placuerit his ſuperſedere: inſiſtat igitur, ſi velit, vitam quam addit forma phyſica nullo modo fundari in alia materiæ vita præcedanea, ſed eſſe rem planè novam, quam non omnis forma materiæ addit, ſed ea ſola quam animam dicimus. Id autem ſolis animis proprium, quod omnis anima vegetativa aut ſenſitiva materiæ addit, eſſe internum motûs principium, quo corpus animatum poteſt ſeipſum perficere, hoc eſt, ſeipſum movere & innovare, ut ulteriorem perfectionem indè conſequatur: & hanc vitam ſolis plantis & animalibus appropriari. Reſpondeo, animam vegetativam & ſenſitivam revera ſolis animalibus & plantis propriè adſcribi: eas verò ſolas internum motûs principium materiæ non addere, ſed omnes formas materiales idem perinde ſuppeditare: imò potiùs nullam formam phyſicam primum internum motûs principium materiæ adferre. Concedo quidem animas vegetativam & ſenſitivam diversâ ab aliis formis modificatione iſtud internum motûs principium afficere & ornare: imò quamlibet formam ſimiliter diverſimodè ab alia quacunque idem modificare. Nego verò ullam formam materialem primum internum motûs principium materiæ ſufficere: iſtud verò eſſe ipſam naturam energeticam ſubſtantiæ in genere. Primum enim motûs principium non eſt modus alterius, nec eſt per inhærentiam in, & dependentiam ab, alia creatura. Eſt enim entitas per ſe, & conſequenter eſt ipſa natura ſeu eſſentia ſubſtantiæ, quæ ſola eſt per ſe. Nè quis de hac re in poſterum dubitet, rem apertiùs declarabo. Per primum principium intelligo primam creatam

creatam motûs cauſam internam. Quod verò non eſt per ſe, nequit eſſe ea prima cauſa. Eſt enim per dependentiam ab alia cauſa creata ſe priore. Non ergò eſt prima. Quare nulla forma aut anima materialis eſt ſimpliciter prima cauſa creata iſtius motûs quem modulatur. Non enim eſt entitas per ſe, ſed eſſentialiter dependet ab alia cauſa creata priore, quæ eſt per ſe & independens ab alia creatura ; & conſequenter eſt eſſentia ſubſtantiæ in genere, ut dictum. Niſi enim eſſet per ſe, non foret prima cauſa creata, ſed ad aliam priorem adhuc eſſet recurrendum. Hinc fortaſſe ex parte profluxit vetus iſtud dictum metaphyſicum, *Quod eſt per accidens, reducendum ad id quod eſt per ſe.* Fruſtrà igitur aſſeritur in objectione, animam de novo addere materiæ internum motûs principium. Non enim addit primum iſtius motûs principium, ſed de novo modificat, & eo reſpectu eſt principium intermedium, ſeu fortè propinquum, aut etiam proximum ; nequaquam ultimum, ſeu primum. Quod enim ſuffulcit ſuffulciens, ſuffulcit ſuffultum. Si ergò vita primæva ſeu natura ſubſtantialis ſuffulciat formam, ſuffulcit quicquid formæ innititur. Quare eſſentia ſubſtantiæ per ſe eſt ultimum principium omnium. Dices, animam ſenſitivam eſſe ultimam cauſam ſenſationis. Reſpondeo, eſſe cauſam intermediam ſeu proximam, non ſimpliciter ultimam. Fundatur enim ſenſatio in perceptione naturali ; & niſi daretur perceptio ſimplex, perceptio compoſitione modificata ſeu ſenſatio fruſtrà exſpectaretur. Eſt ergò principium intermedium, non ſimpliciter primum.

15. Idem confirmatur ſic : Quod non eſt perpetuum & immutabile, non eſt principium ſimpliciter primum : At forma phyſica materialis non eſt perpetua : Ergó. Minor per ſe nota eſt. Major monſtratur. Quod fit motu ſe priore, non eſt principium motûs ſimpliciter primum : At quod non eſt perpetuum & immutabile, fit motu ſe priore : Ergó. Major oſtenditur ſic ; Quod in quovis ſuppoſito motu fit, nequit eſſe primum rei principium, aut primi motûs ejuſdem ; ſupponit enim aliquid ſe prius ex quo fit : neque poteſt eſſe primi motûs principium ; ſiquidem ſupponit motum ſe priorem quo mutatur, cujus principium eſſe nequit. Quî enim poteſt eſſe principium motûs ſe prioris, cujúſque vi producitur ? Mi-

Evincitur formam non eſſe vitam primævam.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 295 sur 591

©BIUM

nor quoque fic; Quod in ſuppoſito non eſt perpetuum, ſupponitur aliquando fuiſſe mutatum; quódque fuit mutatum, deſivit eſſe id quod fuit, & de novo incipit eſſe id quod non fuit: ſupponit igitur motum ſe priorem quo fit, cujúſque non eſt principium. Cùm ergò forma phyſica non ſit perpetua, ſed motum ſe priorem ſupponat, non eſt internum motûs principium ſimpliciter primum. Cúmque vita primæva ſit primum internum motûs principium, ſequitur formam phyſicam non eſſe vitam primævam, quod erat probandum.

Formam eſſe vitam modificantem.

16. Quod ad ſecundam ſuppoſitionem attinet, dico, formam phyſicam non ſolùm in plantis & animalibus eſſe vitæ participem, ſed & corporibus omnibus etiam inanimatis vitam modificantem addere. Non dico addere *animam*. Uſus enim loquendi non obtinuit ut formæ phyſicæ elementorum, mineralium, & ſimilium, vocentur *animæ*. Ariſtoteles enim *animam* definit eſſe formam corporis organici; unde uſus inoluit elementa, lapides, & omnia quæ carent organizatione, *inanimata* vocare. Nihil tamen prohibet quin, in natura, viva eſſe poſſint; ſed deſtituantur modò iſtâ peculiari vitâ modificante, quæ tribuitur animæ, & vitâ tantùm naturali atque inorganicâ gaudeant. Veriſimile autem eſt, Platonem generaliore ſenſu voce *animæ* uſum eſſe, pro natura energetica & viva ſubſtantiæ in genere, ut ſuprà viſum eſt. Utcunque ſit, datâ vitâ primævâ, quam ſuperiore ſuppoſitione vindicavimus, neceſſariò ſequitur omnem formam phyſicam materialem eſſe vitam modificantem. Si enim natura materiæ primæ quà energetica ſit vita primæva, & omnis forma phyſica eam naturam modificet & compleat, ut ſatis ſupérque declaravimus; neceſſariò evincitur hanc eſſe vitam modificantem. Modificat enim ex conceſſis primævam materiæ vitam.

Ulterior confirmatio.

17. Ulteriùs idem probatur, quòd natura ſubſtantiæ in genere ſit primum internum motûs principium, quódque vita primæva cujuſvis ſubſtantiæ in hoc interno motûs principio cónſiſtat, ut ſuperiore Capite fusè probavimus. Si igitur forma phyſica modificet naturam materiæ primæ, quæ includit naturam ſubſtantiæ, neceſſariò modificat primum internum motûs principium: cúmque id principium ſit ipſa vita primæva, neceſſariò quoque ipſam vitam primævam modificat.

ficat. Quòd verò omnis forma physica naturam materiæ primæ modificat, eam complendo & determinando ad speciem, omnes fatentur. Tenentur itaque unà fateri ea quæ modò inferebantur. Quanquam enim ista peculiaris vitæ primævæ modificatio, quæ vocatur *anima*, solis animalibus & plantis appropriatur; non tamen sequitur non dari alias vitæ modificationes, quæ corporibus inanimatis communes sunt. Etenim si istæ formæ physicæ quas *inanimatas* vocant primum motûs principium internum modificent, etiamsi modificationem istam organi aut vitæ duplicatæ, quæ propria est animis, non inferant, fieri tamen nequit quin, modificando primum id principium, primævam naturæ vitam unà modificent. Statuimus igitur non tantùm animas, sed & materiales omnes formas physicas, (in quantum omnes primum motûs principium modificant,) esse vitas modificantes, licèt non ejusdem ordinis cum animis.

Datur motus generalior quavis formâ.

18. Argumentum adhuc subjungere licet quod utramque suppositionem simul confirmet & illustret. Sic se habet: Generalissimus motus à nulla forma, sive generica sive specifica, primò manare potest: & consequenter nulla forma est ejusdem primum principium, omnísque eidem superveniens eum modificat. Motus enim qui à particulari forma provenit, perpetuò includit modificationem generalioris præexsistentis, eámque ad inferiorem speciem contrahit. Non negavero quin forma fortasse possit esse principium proximum cujusvis motûs seipsa non latioris; sed generalioris principium esse nequit: ut exempli causâ, anima sensitiva potest esse principium sensûs, appetitûs & motûs animalis; sed vegetationis aut motûs deorsum nequit esse proprium principium, quia hæc in multis corporibus reperiuntur in quibus non est anima sensitiva. Sic anima vegetativa potest esse principium distributionis succi vitalis, nutritionis, augmentationis, ramificationis seu organizationis plantarum; sed nequit esse principium temperamenti seu crasεως. Similiter, forma misti nequit esse principium motûs cujusvis elementi; nec elementi forma, motûs generalissimi omnium corporum. Sed hîc sistamus pedem. Etenim existimo duo minimùm esse omnium corporum motus generalissimi. Prior simpliciter generalissimus est, & extenditur ad omnes substantias creatas,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 297 sur 591

©BIUM

ſive materiales ſive immateriales. Accuratiſſimè ab ingenioſiſſimo Vicecomite Verulamio l. 2. Novi organi cap. 48. nomine motûs Antitypiæ depingitur ; ſed in ordine tantùm ad materialia. Verùm non tantùm corpora, ſed & ſpiritus, reluctantur annihilationi, & ſuam entitatem perpetuò tueri nituntur, & actu quidem ſe tuentur. Hæc tamen intervenit differentia ; corpora, inter luctandum, magnis ſubindè laboribus & mutationibus obnoxia fiunt, non item ſpiritus. Poſterior motus generalis ſolis materialibus appropriatur, & eſt motus mutationis formarum ; cujus principium nequit eſſe ulla forma in ſpecie, ut per ſe notum eſt, ſiquidem ad omnes extenditur, & omnibus antiquior eſt, cùm ſit motus ad formam. Cùm ergò hi duo motus generaliores & priores ſint omnibus formis, fieri nequit ut ulla forma ſit internum eorum principium. Nihilominus omnes formæ hos motus diverſimodè modificant. Etenim in motu mutationis, forma eſt quaſi terminus ad quem materia mutatione fertur, in qua acquiſita quieſcit & completur. Forma quoque motum antitypiæ modificat, ei ſimul conjungendo niſum defendendi naturam ſuam additionalem ; eique ſubſcribit materia, quouſque hæc defenſio cum præſervatione naturæ ſuæ primævæ conſiſtere queat. Atque adeò, ni fallor, clarè monſtravi, omnem formam materialem modificare & complere naturam ſubſtantiæ quatenus eſt primum motûs principium : cúmque natura hæc, quatenus eſt iſtiuſmodi principium, ſit etiam vita primæva, ſequitur, formas omnes vitam primævam modificare, omnéſque eſſe quidem vitas modificantes, non autem primævas : quod erat probandum.

Vita primæva quid.

19. Ex dictis eluceſcit, vitam primævam non eſſe accidens, non facultatem aut vires vitales, non motum aut actionem, non terminum motûs, non formam phyſicam ; imò nec eſſe ſubſtantiam, prout ea concretè ſumitur : eſſe tamen ſubſtantiam, prout eadem abſtractè & inadæquatè accipitur ; ſcilicet, eſſe entitatem per ſe ſubſiſtentem, ſed conſideratam in ordine ad operationes ; hoc eſt, eſſe naturam ſubſtantiæ energeticam, & internum motûs ſeu operationis principium : Hoc verò principium ſive hanc naturam variis modificationibus inferioribus ſubjici, quæ omnes differentias quas in corporum ſpeciebus cernimus producunt : Porrò, quia

quia natura substantiæ in genere est viva, formas eam modificantes etiam vivas esse, & quamlibet diversam vitæ speciem producere: quin & formas quæ corporum inanimatorum materias complent, simplici vitæ modificatione eas exornare; formas verò quæ plures vitas aliquo modo distinctè conspiciendas inter se complicant & quasi contexunt, appellari *animas*, quòd evidentiora vitæ specimina formis simplici vitâ constantibus edant: Nullas verò formas omni interno motûs aut operationis principio & vitâ modificante destitutas esse: Insuper, vitam completam & modificatam ex primæva & modificante conjunctis constare, rectéque distingui in naturalem, & animatam: illam variari in species corporum inanimatorum; hanc in plantas & animalia, inque varia alterutrius genera, insumi. Adeóque primam pensi partem, quæ à priore vitam naturæ substantialis probare & explicare pollicita est, absolvimus. Ad argumenta à posteriore prosequendum.

Cap. XIX.

Apparatus ad probationem vitæ naturæ substantialis à posteriore, seu ab effectis.

1. CAusata seu effectus naturæ substantialis sunt subsistentia modalis, forma materialis physica, facultates, operationes & formæ accidentales. Relationes enim prædicamentales ad hanc rem parùm faciunt. De subsistentia modali suprà Capite 4. & 5. satis dictum est; de formis quoque materialibus fusè disputatum Cap. 9, 10, 11. & 12. necnon cap. 18. Neque visum est sive priùs dicta repetere, sive plura addere. Supersunt facultates, operationes & formæ accidentales ulteriùs expendendæ. Attamen de facultatibus in genere suprà quoque Capite 14. disseruimus, ut & Capite 15. de tribus primis facultatibus, earúmque communitatibus, & differentiis ab aliis facultatibus vitalibus. Facultates inferiores referri possunt ad operationes, quas edunt. Operatio enim à fortiori operandi facultatem supponit. Quare de operationibus *Quid superest agendum.*

©BIUM

bus naturæ ſubſtantialis hîc primò dicendum, & conſiderandum ecquid ad vitam naturæ demonſtrandam contribuant: deinceps verò ad formas accidentales deveniendum, & quid ex iis quoque huc ſpectans colligi poteſt perpendendum. Priuſquam autem hoc preſſiùs aggredior, aliquid de operationibus in genere præmittendum videtur.

Operatio finita infinitæ quid intereſt.

2. Operatur Deus, & creaturæ: ſed vaſta intercedit differentia. In Deo nulla eſt potentia aut facultas; ſed quicquid ei ineſt ipſe Deus eſt, unus purus & ſimpliciſſimus actus. Quare intellectus, voluntas & omnipotentia in Deo non ſunt facultates; ſed ipſa entitas Divina, inadæquatè & per analogiam ad iſtiuſmodi facultates perfectiſſimas nobis notas in creaturis concepta. Similiter ubi dicimus Deum intelligere, velle, aut perficere aliquid, inadæquati conceptus ſunt, ab analogia iſtarum operationum in creaturis deſumpti. Agere enim in Deo non dicit entitatem diſtinctam ab ipſa Deitate; ut nec velle, aut intelligere: ſed hæc pro modulo imperfectæ intellectionis noſtræ inadæquatè concipimus, & analogicè diſtinguimus. Non quòd hic modus concipiendi erroneus aut falſus ſit. In Sacris enim literis ipſe Deus, condeſcendens ad noſtram imperfectionem, ſe per inadæquatos conceptus paſſim revelat. Neque verò falſum eſt dicere Deum velle, intelligere, aut operari: ſed hæc in Deo ipſe Deus ſunt. Viſum eſt hæc ſemel monuiſſe, nè in futuro diſcurſu importunè nobis moleſtiam creent. De operationibus quoque animæ rationalis & Angelorum hîc parùm ſoliciti ſumus: videntur enim potiùs ſeorſim tractandæ. Utcunque ſit, operationes materiales nobis notiores ſunt, & de iis hîc ex profeſſo agendum.

Operationes ſunt ſuppoſitorum.

3. Quod vulgò à Metaphyſicis decantatur, hîc expendendum eſt, *Actiones* ſeu operationes *eſſe ſuppoſitorum*. Diſtinguunt Scholæ principium operationis in *materiale*, ſeu concretum, & *formale*, ſeu abſtractum: Illud principium *quod*, hoc *quo*, nominant: illud, ſubjectum ſeu ſuppoſitum operans, non diſcriminando partem verè operantem à non operante, concretè & confusè ſignificat; hoc, principium à quo provenit ipſa vis & ratio operandi exprimit. Non dubium eſt quin illo ſenſu *actiones ſint ſuppoſitorum*, nempe in concreto & craſſo quodam modo loquendi. Verùm, ut rectè advertit Suarius

rius Disp. 34. s. 7. nº. 6. *Subsistentia* (suppleatur modalis) *non habet proprium & immediatum influxum in actiones suppositi.* Quam assertionem loco laudato fusè explicat & defendit; cuique ego, si de sola subsistentia modali intelligatur, assentior. Verùm secunda acceptio principii agendi magis distinctè & expressè rem ipsam quæ operatur declarat. Est enim principium quo solo operatio propriè & formaliter perficitur. Hoc dicitur principium *quo*. Dividitur in essentiale, & accidentale. Illud subdividitur in simpliciter primum seu ultimum è creatis, & additionale seu modificans: hoc quoque subdividitur in accidens proprium, & commune. Hîc tamen advertendum est, accidentia minùs propriè appellari principia agendi, cùm propiùs accedant ad naturam instrumentorum: imò & ipsa forma physica materialis non æquè propriè sibi nomen principii arrogat ac natura fundamentalis. Illa enim est per inhærentiam in hac; hæc est per se, & sustentat illam. Hinc alius modus ista verba interpretandi, *actiones esse suppositorum*, colligitur; nimirum, intelligendo per suppositum subsistentiam fundamentalem, ut ultimum principium *quo*, seu ut ultimam sive primam rationem quâ perficitur actio: atque hunc sensum axiomatis celeberrimum esse & perutilem. Docet enim quid in specie fit à quo omnes operationes ultimò dependent, & in quibus inventis acquiescendum est. Datâ causâ actionis proximâ, ut calefactionis aut frigefactionis, putà calore aut frigore, non statim supersedendum est; sed causa caloris aut frigoris in eo subjecto adhuc pervestiganda. Si in animalibus disquisitio de calore instituatur, recurrimus ad motum vitalem, ad micationem sanguinis, ipsámque vitam; hanc animæ materiali adscribimus: & quia anima materialis non per se subsistit, ulteriùs ascendimus ad naturam substantiæ per se, quæ animam ipsam ejúsque vitam ultimò sustentat. Jam verò si quis, nactus naturam per se, velit in eo subjecto ulteriorem causam creatam perquirere, frustrà est: quia, è principiis creatis, natura, quatenus per se, est simpliciter ultimum; in quo acquiescendum, nisi fortè mens sit de prima causa supernaturali inquirere.

Quo sensu verum.

Veteres per suppositum intellexerunt subsistentiam fundamentalem.

4. Veruntamen hæc non ità accipienda sunt, quasi intenderemus suppositum & subsistentiam fundamentalem esse terminos convertibiles, (non enim sunt;) sed quòd esse per se sit

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 301 sur 591

©BIUM

ſit ima baſis cujuſvis ſuppoſiti, & ipſa ratio ob quam actiones ſuppoſito tribuuntur. Ex hac autem parte noſter Suarius non æquè feliciter ſeſe expedit. Cùm enim non diſtinguat ſubſiſtentiam modalem à fundamentali, paſſim confunditur. Nihilominus ipſe Suarius verum atque proprium operationis principium optimè intellexit; id nimirum nihil aliud eſſe niſi naturam ſubſtantialem: verùm quia huic naturæ omnem ſubſiſtentiam per ſe negaverat, nullo pacto eam nomine ſuppoſiti admittere potuit. Nos autem ſuprà monſtravimus, ſubſiſtentiam fundamentalem, & primam ejus naturam energeticam, realiter idem eſſe, & utramque ex natura rei à ſubſiſtentia modali diſcriminari. Exiſtimo igitur naturam ſubſtantialem, quatenus eadem eſt cum ſubſiſtentia fundamentali, (etiamſi non ſimul includat ſubſiſtentiam modalem,) potuiſſe olim, confuſo quodam modo, vocari ſuppoſitum. Veteres enim, quicquid realiter per ſe ſubſiſtebat, ſuppoſitum nominabant; & ſubſiſtentiam modalem vel non intelligebant, vel ſaltem à ſubſiſtentia fundamentali non diſtinguebant. Aſſeruerunt itaque operationes eſſe rerum per ſe ſubſiſtentium, hoc eſt, habentium ſubſiſtentiam fundamentalem: (nam de modali non videntur magnopere ſoliciti.) Attamen nè, hoc affirmando, nomen ſuppoſiti ad incertam ſignificationem deducam, idem diſtinguo. Dupliciter itaque accipi poteſt: vel propriè & accuratè, & ſic dicit ſubſiſtentiam modalem; vel vulgariter & more veterum, & ſic omittit, ſeu quaſi negligit, iſtum modum; ſed perpetuò ſubſiſtentiam fundamentalem includit, abſque qua impoſſibile eſt ulla operatio producatur. Atque hoc ſenſu intelligo commune iſtud Philoſophorum axioma, [*operationes eſſe ſuppoſitorum.*] Etenim hoc modo verba ipſam fundamentalem operandi rationem (ſcilicet entitatem per ſe) exprimunt, & pernobilem ſententiam conficiunt, Entitatem per ſe eſſe ultimam ſeu primam omnium operationum cauſam. Veruntamen ſive veteres iſta verba [*Actiones ſunt ſuppoſitorum*] ità intellexerunt, ſive ſecùs, haud multùm moror: hoc ſaltem aſſero, entitatem per ſe, ſive naturam ſubſtantialem propriè dictam, eſſe ultimum & radicalem fontem omnium operationum. Hoc verò ſuprà Cap. 17. probavimus. Hîc inferendum eſt, Operationes materiales quæ vitam arguunt, ſi quæ tales inveniantur,

Suppoſitum diſtinguitur.

tur, non tantùm accidentia, aut formas physicas, à quibus magis immediatè profluunt, esse vivas probare; sed & ascendere ad naturam substantiæ per se subsistentem, eámque vivam esse demonstrare. Quemadmodum enim vitra colorata, radios luminis transmittentia, eos variè afficiunt & modificant; sublato autem originali lumine nihil amplius agunt: ità formæ materiales & accidentia, vitæ primævæ naturam variè immutant & alterant; sed sublatâ eâ vitâ, illico omni operatione privantur. Forma enim ipsa, & quicquid vitæ est in forma materiali, profluit è primæva vita naturæ substantialis; ità ut sublatâ hâc, illa unà tollitur, nullúmque vitæ vestigium reliquum est: atque idem multò magis dicendum est de accidentibus. Utraque enim suum esse, & quicquid in se habet, à natura substantiali, quatenus est per se, mutuatur; ut ex suprà dictis clarè eluceſcit. Hîc verò non procedimus à causis vitæ ad effectus ejusdem, sed contrà, ab effectis ad causas, nempe à posteriore.

Descriptio operationis activæ &

5. Operatio activa in genere definitur, *causatio* seu *productio alicujus effectûs, operis, seu termini.* Hæ enim voces realiter idem significant, & solâ ratione inter se distinguuntur. Siquidem eadem res, quatenus respicit suam causam, est effectus; quatenus operans, est opus; quatenus movens, est terminus. Interímque hi diversi respectus non variant rem in absoluta entitate sua. Quòd verò operatio activa sit causatio efficientis, Suarius, ut mihi videtur, efficaciter probat Disp. 18. s. 10. nº. 5, 6, 7. Utrùm verò sit modus termini sui, aut dependentia hujus à sua causa, (ut ibi insinuare videtur,) infrà considerabimus. Verùm operatio passiva potiùs est *causatio materialis*; viz. est *receptio seu sustentatio prædicti effectûs, operis, seu termini.* Verùm vix possumus aliter operationes in genere describere aut explicare, & propterea ad earum divisionem protinus descendendum est.

passivæ.

Quinque operationum species.

6. Operationes distinguuntur in quinque species; actiones, passiones, cessationes, motum, & quietem. Dices, divisionem operationum sequi debere divisionem facultatum. Cùm ergò sint tres tantùm primæ facultates, sequitur esse tres tantùm generalissimas operationes, perceptionem, appetitum, & motum. Respondeo, revera cuilibet facultati respondere suam operationem; ut perceptivæ, perceptio-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 303 sur 591

©BIUM

nem; appetitivæ, appetitum; motivæ, motum. Quas ſpecies operationum primarum maximè proprias & legitimas puto,& in eas vitam naturæ ſuprà diviſimus: verùm de iis ambigitur, an in corporibus reipſa inſint, nécne. Neceſſe itaque eſt alias operationum differentias hîc proſequamur, ut à notioribus ad ignotiora procedamus. Hinc igitur operatio reſpectu efficientis cauſæ audit actio; reſpectu recipientis, paſſio; reſpectu amotionis utriuſque, ceſſatio; reſpectu innovationis, motus; reſpectu abſentiæ innovationis, quies.

Quo ſenſu quies eſt operatio.

7. Dices, ceſſationem & quietem non eſſe operationes. Fateor,ſi in ſe ſolùm ut nudæ privationes ſpectentur: verùm ſi ut appetitui ceſſantis aut quieſcentis gratæ vel ingratæ conſiderentur,omnino ad operationes revocandæ ſunt. Si enim velis agere aut movere,& actio aut motus ab extrà ligetur,paſſio quædam naturæ infertur: è contrà, ſi velis ceſſare aut quieſcere,& nihil ab extrà impediat,tute ipſe facultatem tuam ſive agendi ſive movendi ligas: utrovis modo operatio quædam involvitur. Utcunque ſit, eâ latitudine operatio hîc ſumitur, ut ceſſationem & quietem tanquam ſpecies actioni & motui oppoſitas,ſimúlque tractandas, quoquo modo complectatur.

Actio & motus ſeorſim tractanda.

8. Objicies iterum,actionem,paſſionem,& ceſſationem,omnes operationes comprehendere,nec opus eſſe motum & quietem adjiciamus. Reſpondeo,illas,ut & hæc,modò latiùs,modò ſtrictiùs accipi; ità ut in aliqua fortè vocum acceptione actio, paſſio & ceſſatio omnes operationes contineant: nihilominus cùm ſaltem ratione, nempe quoad modum ſignificandi, & ut inadæquati conceptus inter ſe differant, ſat fundamenti eſſe cur ſeorſim proponantur, & ſtrictiùs inter ſe comparentur. Etenim ens, unum, verum & bonum inter ſe non realiter diſcrepant; diſtinctè tamen conſideranda ſunt. Non dico actionem & paſſionem non realiter differre à motu: ſed ſi hoc detur, non indè fruſtrari operationum in dictas quinque ſpecies diſtinctionem; quòd diſtinctio rationis ad diſtinctam tractationem ſufficiat. Jam verò quòd quinque ſpecies enumeratæ ſaltem ratione inter ſe diſcriminantur, ex eo liquet, quòd actio cauſationem agentis, paſſio receptionem paſſi, ſed motus innovationem recipientis, dicat. Similiter ceſſatio propriè negat actionem, aut paſſionem; ſed quies, innovationem quieſcentis.

9. Porrò,

9. Porrò, Quoniam (ut dixi) actio & motus modò latiùs, modò ſtrictiùs, ſumuntur, operæ pretium fuerit hîc eorum ſignificationes ab ambiguitate liberemus. Primò igitur, Actio lato ſenſu omnem cauſationem activam (ut & paſſio receptivam) includit: & ſic omnis operatio activa eſt actio; & receptiva, paſſio: ipſe motus actualis quatenus ab agente procedit eſt actio; & quatenus in paſſum imprimitur, eſt paſſio. Quin & eadem operatio, ſed diverſo reſpectu, eſt nonnunquam tum actio, tum paſſio: ut perceptio naturalis reſpectu ſubjecti percipientis eſt ejus actio; reſpectu objecti eandem excitantis, eſt paſſio. Similiter appetitus eſt actio appetentis; & paſſio, reſpectu objecti informantis. Secundò, Sumitur actio ſtrictiùs & magis propriè, pro ſolo niſu movendi, ſive motus indè conſequitur, ſive non. Niſus enim fruſtrari poteſt, motus actualis nunquam. Hoc ſenſu in futuro diſcurſu actio plerumque ſumitur. Tertiò, Actio adhuc ſtrictiùs capitur, pro ſolo niſu movendi in paſſum impreſſo, præciſo termino à quo in agente cœpto: & ſic intelligendi ſunt qui dicunt actionem eſſe in paſſo; & actionem & paſſionem, quoad ſubſtantiam alterutrius, idem eſſe. Quartò, Accipitur actio ſtrictiſſimè, pro ſolo niſu movendi in agente excitato; qui eſt actuatio facultatis motivæ, & pars atque terminus à quo totius actionis. Hoc modo dicimus agens eſſe ſubjectum actionis, & Divus Thomas paſſim aſſerit actionem eſſe in agente, nimirum primum niſum movendi ibi eſſe. Similiter motus variè accipitur. Primò, latiſſimè, pro qualicunque vel minima variatione cujuſvis rei, quâ ea aliter ſe habet quàm antea. Hoc ſenſu non tantùm motus actualis, ſed & omnis actio atque paſſio, omníſque niſus movendi, quin & ipſa perceptio ac appetitus, ſub motu comprehenduntur. Aliter enim res percipiens aut appetens ſe habet quàm eadem non percipiens aut non appetens. Secundò, Sumitur motus ut perceptioni & appetitui contradiſtinctus; qualiter ſumitur in diviſione trium primarum operationum, viz. in perceptionem, appetitum, & motum. Hoc modo includit tum motum ſuiipſius, tum alterius extra ſe, nempe omnem niſum movendi omnémque motum actualem. Tertiò, Sumitur motus ſtrictè & propriè, quatenus opponitur conatui ſeu niſui movendi. Definitur, *motus qui paſſo innovationem, ad priorem*

Actionis variæ acceptiones.

Motûs acceptiones.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 305 sur 591

©BIUM

ſtatum,ſine novo motu eóque contrario, non reducibilem,infert. Vocamus hîc,ob penuriam dictionum, *motum actualem*; quanquam aliàs motus, in latiſſima acceptione vocis,dicatur quoque actualis. Sed in futura diſquiſitione, motus actualis, & plerumque ſola vox *motûs*,ut actioni ſeu niſui movendi oppoſitus ſumitur. Hujus enim terminus ſolâ privatione ſeu ceſſatione nisûs aboletur,illius autem minimé. Inſuper actionis ſecunda ſpecies ſeu niſus movendi duplex eſt; vel impotens, vel prævalens. Impotens eſt *cauſatio conſimilis nisûs in paſſo*, hoc eſt,*impotentis, quem nullus motus actualis conſequitur*: ut calculus exiguus menſæ impoſitus nititur eam deorſum ferre,ſed fruſtrá. Ejus ergò cauſatio eſt niſus impotens, ſeu irritus. Niſus prævalens eſt *cauſatio motûs actualis in paſſo hujus reactione nonnihil contemperati.* Motus enim actualis eſt,in agente, tantùm niſus movendi, ſed prævalens. Siquidem actio, ſive producat motum in paſſo, ſive non, utrobique nititur; & idem niſus, ſi reſiſtentia paſſi ſit ſe debilior,producit motum actualem; ſin fortior,non: & conſequenter actio utrovis modo eſt *niſus movendi.* Diſtinctio enim hæc,non à ſola æſtimatione virium agentis,ſed vel maximè à comparatione earundem cum majore vel minore reſiſtentia paſſi, oritur. Eadem enim actio vocetur impotens reſpectu fortioris reſiſtentiæ,& prævalens reſpectu debilioris: ut drachma plumbi,quæ eandem ubique gravitatis vim exſerit, in araneæ telam incidens,eam perrumpit; ſed filo cannabis excepta, irretitur. Quare,ut niſus impotens eſt in agente prima pars totius cauſationis debilis, ità niſus prævalens eſt prima pars totius motûs actualis, nimirum quatenus includit ejus proceſſum ab agente; quanquam præciſo eo proceſſu,tota cauſatio, quatenus in paſſum recepta, ſatis exprimatur ſolo nomine motûs actualis. Atque hæc de diſtinctionibus harum dictionum.

Reactionem contineri ſub actione.

10. Verùm quid de harum operationum differentiis porrò ſtatuendum ſit, infrà accuratiùs dicetur: hîc quintuplicem earum diviſionem proſequimur. Contra quam adhuc objici poteſt, reactionem eſſe earum ſpeciem, adeóque jam numerum ad ſenarium excreſcere. Fateor reactionem eſſe operationem; ſed contineri ſub actione in genere. Hæc enim dividi poteſt in actionem primariò ſic dictam,nempe aggreſſoris, & ſecundariam ſeu reactionem, defenſoris: eſt & tertia ſpecies, quâ alterutrum agens alterum aggreditur,& ſeipſum ſimul defendit.

fendit. Atque hæc tertia ſpecies manifeſtè evincit, tam actionem defenſivam quàm offenſivam eſſe veras actionis ſpecies. Cùm enim eadem operatio, quâ agens ſe defendit, hoſtem impugnet, cúmque concedatur actionem aggreſſoris eſſe propriam ſpeciem; ſequitur defenſoris quoque eſſe ejuſdem rationis. Fieri enim nequit ut eadem operatio ſit ſimul vera actionis ſpecies, & ſimul non vera. Ut, exempli causâ, calefactio ignis eminus invadit aquam; hujus frigefactio non pertingit ad ignem. Quare hactenus actio aquæ tantùm defenſiva eſt, & cavet, quantum poteſt, nè ipſa calefiat; & conſequenter contemperat duntaxat actionem calefaciendi in ſe ſuſceptam. Habes itaque exemplar nudæ actionis aggreſſoris, nempe ignis, & reactionis ſimplicis, nempe aquæ. Jam aqua propiùs ad ignem admoveatur, ità ut ſe mutuò tangant. Quid ſequitur? Illa, eâdem frigefactione quâ modò reagebat & contemperabat calefactionem ignis, nunc cominus commiſſa in hunc inſuper inſurgit, & conatur eundem frigefacere & extinguere. Ignis è contrà, qui modò offenſivè tantùm egerat, nunc aquæ frigefactionem reactione repellere, atque ſe defendere, cogitur. Verùm non alio modo ſe defendit quàm calefactione. Quare ut eadem frigefactio aquæ eſt actio & reactio; ità eadem calefactio ignis eſt actio & reactio. Alterutra enim, quatenus ſubjectum oppoſitum impetit, actio eſt; & quatenus ſuum tuetur, reactio: adeóque eadem res ſub diverſa conſideratione modò actio, modò reactio, audit. Rectè itaque actio, ut genus quoddam, reactionem ſub ſe complectitur: ſiquidem hæc ab illa non differt niſi ut eadem res diverſimodè relata. Interim quòd actio ſit aliquando tantùm offenſiva, ut actio ignis in aquam diſtantem; aliquando tantùm defenſiva, ut reactio aquæ ſe defendentis ad diſtantiam; aliquando tam offenſiva quàm defenſiva ſimul, ut actiones tum aquæ tum ignis cominus certantium; actio in genere rectè diſtinguitur in offenſivam, defenſivam, & utriuſque rationem participantem.

11. Adhæc dividuntur actiones, ut & motus, in immanentes, emanantes ſeu tranſeuntes, & partim immanentes partim tranſeuntes. Actiones immanentes ſic dicuntur, quòd in ipſo agente maneant, nec extra ipſum terminum quærant. Totæ enim intus peraguntur, & in perficiendo ſuum ſubjectum

Alia diviſio actionis, & motûs.

©BIUM

jectum versantur. Hoc modo facultas perceptiva, appetitiva & motiva ad intus (nempe quatenus hæc de melioratione seu perfectione propriæ entitatis solicita est) exercentur. Manifestè autem sunt vitales operationes. Etenim perceptio & appetitus naturalis (si modò dentur) certissimè & ex omnium consensu vitales sunt. Neque quidem de virtute plastica, (quæ ad motivam immanentem spectat,) quâ partes formantur, aut de rectrice, (quam aliqui *Archeum* vocant, quámque Hippocrates simpliciter *Naturam*, ubi *naturas esse morborum curatrices* asserit, nominat,) quâ reguntur, an sint quoque vitales, quisquam hactenus dubitavit, aut jure dubitare potuit. Etenim quî fiat ut vis formativa naturalis adeò accuratè omnes partes intus delineet, si desit idea ad cujus exemplar formet? aut cui usui adsit idea, si non percipiatur, & excitet appetitivam, atque dirigat motivam? Profectò ex hisce operationibus naturæ vita evidentissimè monstratur; neque fortè de eis opus est simus ulteriùs anxii. Actiones transeuntes sunt *nisus movendi* seu assimilandi *aliud*, nempe passum, *& terminum extra se producunt*. Motus verò transiens dicitur, quia ab externo motore vel agente provenit. An verò actio sit aliquid in agente, aut motus in movente, infrà dicetur. Verùm hæ actiones & motus, nimirum transeuntes, licèt minùs apertè vitam naturæ arguant; quatenus tamen sunt conatus quidam sibi assimilandi passum, suam quoque vitam produnt: quin & ipsæ passiones, quatenus iis passum reluctatur, & seipsum tueri nititur, ejus vitam testantur. Actio (& similiter motus) partim immanens, partim transiens, *non tantùm suum subjectum, hoc est, seipsum, sed & simul quid aliud extra se, aut saltem aliam sui partem, movere nititur*. Ut grave non tantùm seipsum, verùm etiam alia, quibus imminet aut allidit, deorsum ferre conatur: Musculi à nervis excitati seipsos, & unà secum articulos, rapiunt: Cor (uti creditur) se & arterias pulsare facit. Hæ autem operationes ut naturam utriusque præcedentium participant; ità naturæ vitam partim directè, partim indirectè, probant.

Alia divisio operationum.

12. Præterea, distinguitur adhuc operatio in naturalem, violentam, & mixtam. Naturalis operatio vel ab intus provenit, vel saltem naturæ internæ grata est. Violenta nec ab intus provenit, nec naturæ internæ grata est. Mixta partim ab extrà,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 308 sur 591

extrà, partim ab intus, provenit; & partim grata eſt, partim ingrata. Operatio purè ab intus veniens neceſſariò vitalis eſt. Provenit enim ab interno motûs principio; quod, tam ratione, quàm ex conſenſu Philoſophorum, Capite 17. eſſe vitale probavimus. Sunt autem qui, in totum, hujuſmodi principium in materialibus negant. Aiunt enim, *Quicquid movetur, movetur ab alio.* Alii quidem agnoſcunt in plantis & animalibus, ſed in aliis corporibus negant. Diſputatio longior eſt quàm quæ hîc inſeratur. Exſpectanda igitur Capite proprio: ubi etiam aliquid de operatione violenta, necnon de mixta, quæ ſeditioſa eſt, & partim placet, partim diſplicet, obiter advertendum eſt.

Sunt & aliæ difficultates has operationes ſpectantes, quas, cum his, ad quinque Capita ſequentia reducere poſſumus. Primum ſtrictiùs inquirit in generales differentias inter ſe actionis, paſſionis, reactionis, ceſſationis, motûs, & quietis. Secundum quærit an actio ſit aliquid in agente, & quidnam. Tertium, an terminus ſpecificet actionem. Quartum, an terminus ex natura rei à ſua dependentia aut inhærentia, an ratione tantùm, diſtinguatur. Quintum, utrùm axiomata quædam huc ſpectantia, quæ circumferuntur, vitam naturæ refellant. Hiſce autem amotis remoris, ad vitæ naturalis demonſtrationem ex operationibus preſſiùs deveniendum eſt.

CAP. XX.

Differentiæ Actionis, Paſſionis, Reactionis, Ceſſationis, Motûs, Quietis, & Terminorum iis reſpondentium, perpenduntur.

1. QUoad realitatem actionis, Clariſſ. Suarius, Diſp. 48. ſ. 1. n°. 9, 10, 11. eos refutat qui exiſtimant actionem agenti tribui per ſolam extrinſecam denominationem. Quærit enim quo jure effectus denominet ſuam cauſam. Si enim nihil interveniat inter ea præter coexſiſtentiam utriuſque termini, nulla ratio eſt cur unum, ſic coexſiſtens, alterum denominet. Quidvis enim aliud coexſiſtens cauſam quamlibet aut effectum perinde ſuum dicat. Cùm enim nihil com- *Actionem non eſſe extrinſecam denominationem.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 309 sur 591

©BIUM

mercii aut entitatis inter ea intercedat, nullum fundamentum hujus denominationis relinquitur. Infert itaque, necessariò aliquid intervenire, & effectum necessariò procedere à causa. Interrogat verò quid sit hoc *procedere*. Possunt enim duæ res coexsistere sine tali processione, & consequenter processio potest esse aliquid ex natura rei à rebus coexsistentibus, nempe ab agente & termino, distinctum. Profectò, ex hoc argumento, quis facilè putet Suarium intendere, actionem aliquid intrinsecum agenti addere: Verùm cùm expressè dicat, actionem nihil esse in agente, non video quî possit hinc inferre, eam agenti tribui per intrinsecam denominationem. Fatetur enim duo coexsistere posse, etiamsi alterum non sit alterius causa. Requirit igitur ut aliquid inter ea interveniat, ob quod alterum eorum causa, alterum effectus, audiat. Verùm si id quod intervenit non sit causæ intrinsecum, sed extrinsecum, quî fiat ut causa intrinsecam denominationem indè consequatur? Etenim ut effectus est extra entitatem causæ, ità idipsum quod Suarius inter effectum & causam interponit non minùs est eidem extrinsecum. Quare potiùs existimo actionem intrinsecè denominare agens, quòd ejus terminus revera priùs fuisset in virtute intrinseca causæ, licèt postea actu ex eadem effluxit, seu extrà eminuit. Fateor utcunque, perdifficile esse reddere rationem actionum Divinarum: fortè autem, cùm infinitæ sint, modo nobis inscrutabili peraguntur; saltem credibile est, eas viâ infinitè efficaciore quàm actiones creaturarum perfici. Quocirca duo adhuc de hac re mihi asserenda videntur: 1. infinitam virtutem non requirere entitatem mediam inter se & terminum, sive ex parte sui sive ex parte termini: 2. virtutem finitam aliquid requirere tam ex parte agentis quàm ex parte passi, sed fortasse non ex parte termini.

Actionem creationis nihil Deo addere.

2. Quoad assertionem primam, aio, impossibile esse ut creatio Divina naturæ Divinæ aliquid intrinsecum addat. Repugnat enim Divinæ perfectioni, vel minimam mutationis apparentiam in entitate sua admittere. Quare dicendum est, actionem in creatione nihil Deo addere, nisi inadæquatum conceptum solâ ratione distinctum, & terminum actionis tempore productum. Verùm quo modo æternitas & immutabilitas Dei cum temporali creatione consistant, Suarius Disp. 20. s. 6. nº. 8, 9, 10. explicare conatur; ubi is cui animus

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 310 sur 591

mus eſt pleniùs ſibi ſatisfaciat. Porrò, veriſimile eſt infinitam virtutem, inter ſe & terminum, non requirere mediam entitatem; quia infinitè ſuperat omnem reſiſtentiam, & immediatè attingit terminum, nec eò gradatim pervenit. Non enim primò inchoat, & dein perficit, opus; ſed ſimul inchoat & perficit. Nulla enim ſolida reddi poteſt ratio, cur ipſe terminus ab infinito agente non immediatè profluat. Eadem quippe difficultas, quæ accidit circa proceſſionem termini abſque entitate media, de proceſſione ipſius entitatis mediæ abſque alia media, in infinitum ſequetur. Si enim cauſa prima nequeat immediatè productionem termini attingere, quòd hic ſit extra entitatem ſuam: ob eandem cauſam, nequit immediatè attingere ipſam entitatem mediam ſine alia media, quæ non minùs eſt extra entitatem ſuam. Quin &, ſi cum entitate media terminum producere poſſit, quid impedit quò minùs producat ſine eadem? Conſentiunt enim Metaphyſici, Cauſam primam, quicquid poteſt cum ſecunda, poſſe ſine ea. Sed & major fortè difficultas, ſuppoſitâ entitate mediâ, oboritur, Quî fiat ut ea (quandoquidem finita eſt) creaturæ productionem ex nihilo immediatè attingat. Siquidem Cauſa prima per vicariam actionem aut poteſtatem non creat. Fieri enim nequit ut creatura dependeat à Deo mediante aliâ creaturâ, aut mediante aliquo rudimento aut inchoamento ſui; ſed immediatè & per ſeipſam, necnon ſecundùm totam ſuam entitatem, à Deo eſt. Etenim entitas media inter Deum & creaturam concipi non poteſt. Quis enim audet aſſerere, dari entitatem quæ nec ſit Deus nec creatura? Sed dices, eſſe modum creaturæ. At neque hoc fortaſſe ſatis tutò dicitur. Prior enim ordine naturæ eſt hic modus quàm creatura cujus modus eſſe ſupponitur: quod repugnat communi Metaphyſicorum de modis ſententiæ. Dicunt enim, rem eſſe materialem ſui modi cauſam, & conſequenter priorem eſſe. Reſpondet Suarius, Diſp. 20. ſ. 6. nº. 27. reſpectu actionis creandi *non requiri prioritatem ex parte termini, quia illa non requirit veram cauſalitatem, ſed meram terminationem.* Attamen ſi non requirat cauſationem, ſignum eſt non differre niſi modo concipiendi à termino. Quod enim infinitâ cauſatione producitur, non in duos conceptus ex natura rei, ſed ſolùm ex inadæquato modo concipiendi, diſtin-

©BIUM

guitur. Potest enim res quæ simul & integra creatur, in inadæquatos conceptus, ut in suum fieri & factum esse, quæ solâ ratione distinguuntur, absque errore resolvi.

Creationem passivam non esse modum creaturæ.

3. Verùm vult Suarius creationem passivam esse modum creaturæ. Quare si hic modus per Divinam potentiam suspendetur, creatura manet absque creatione, hoc est, manet increata; Quod in terminis repugnat. Similiter, si creatura separabilis sit à sua dependentia, fiet independens. Dices, has suppositiones absurdas esse. Fateor, quia absurdè creatio passiva, ut & dependentia, ponuntur ut modi creaturæ, cùm sint inadæquati conceptus ejusdem. Si autem essent modi, per Divinam potentiam à creatura, manente ejus entitate increatâ atque independente, separabiles forent. Modus enim, ut passim docet Suarius, & Metaphysici omnes adstipulantur, est, per Divinam potentiam, à re modificata, hâc manente, separabilis. Quare absurditas in positione horum modorum, non in suppositione separabilitatis eorum si ponantur, sita est. Inferendum itaque est, neque creationem passivam neque dependentiam esse modos creaturæ, aut entitates medias inter Deum & creaturam, sed esse hujus inadæquatos conceptus solâ ratione distinctos. Ubi verò urget Suarius, duas res coexsistentes per suam solam coexsistentiam non denominari sive causam sive effectum; respondeo, Deum & creaturas iniquè inter se comparari ut duo entia disparata, aut eo modo coexsistentia quo creaturæ coexsistere dicuntur; cùm tota creaturæ entitas è Divina profluat. Comparantur itaque ut ens primum, & secundum à primo immediatè & essentialiter dependens. Porrò, si quæsiveris (quòd dixerim creationem Deo nihil addere) an actio creandi sit in Deo extrinseca tantùm denominatio; existimo, dicere principium agendi æternum & omnipotens, à voluntate sua ab æterno determinatum ad operationem emittendam in tempore: temporalem verò creationem, quà talem, Deo addere tantùm relationem rationis, & eatenus ei per denominationem extrinsecam attribui, prout explicat Suarius Disp. 20. s. 6. n°. 8, 9, 10. loco suprà laudato. Atque hæc de priore exceptione contra Suarii ratiocinium: sequitur altera.

Actionem distingui ab agente & termino.

4. Ad secundam dico, in actionibus transeuntibus virtutem finitam

finitam aliquid requirere abſolutum, ut viam ad terminum, tam ex parte agentis, ut actu agat, quàm ex parte paſſi, ut actu patiatur; ſed nihil ex parte termini, ab hoc ex natura rei diſtinctum, ut dicatur dependens aut inhærens. Propoſitio fortè nimis perplexa videatur. Reſolvo itaque in tres magis diſtinctas. Sit prima, Actio finita eſt aliquid abſolutum in agente, tam ab eo quàm à ſuo termino, ſaltem ex natura rei, diſtinctum. Secunda, Paſſio eſt aliquid abſolutum in paſſo, tam ab eo quàm à ſuo termino, ſaltem ex natura rei, diſtinctum. Tertia, Terminus ex natura rei non diſtinguitur à ſua dependentia aut inhærentia, ſed ratione tantúm.

Actionem diſtingui ab agente.

5. Prima propoſitio argumentatione Suarii (quanquam præter mentem Authoris) rectè confirmatur. Etſi enim non procedat de agente infinito, de finito tamen rectè concludit. Agens enim & non agens in aliqua re abſoluta differunt: alioquin agens diceretur ſolùm agens per extrinſecam denominationem. Duæ enim creaturæ rectè inter ſe comparantur ut duo entia coexſiſtentia. Niſi ergò aliquid inter ea præter coexſiſtentiam interveniat, unum nequit intrinſecè denominare aliud agens. Verùm hoc argumentum non ſatis evincit (neque Suarius evincere intendit) iſtud interveniens eſſe in agente. Poteſt enim (ut ipſe opinatur) eſſe in paſſo, ut dimanans ab agente; atque hoc ab Authore intenditur. Reſpondeo, rem quæ dicitur agens, in aliqua re aut modo differre ab eadem quatenus non agens; vel inutilis eſt hæc argumentatio ad id probandum quod intenditur, actionem non eſſe meram extrinſecam denominationem. Nullum enim eſt in agente internum fundamentum à quo hæc denominatio deſumi poteſt; & conſequenter fundamentum denominationis eſt planè extraneum. Dices, ità eſſe extra agens *ut fluens ab agente*. Sed iſtud *eſſe fluens ab agente*, éſtne aliqua entitas *in agente*, nécne? Si nihil ſit, recurrit objectio, *actionem eſſe extrinſecam denominationem*. Sed agens eſt *terminus à quo* procedit actio. Quæro igitur, an eſſe terminum *à quo* fluit actio ſit in agente aliquid abſolutum, ab eodem ex natura rei diſtinctum. Si nihil ſit in agente, adhuc fruſtramur. Non dubium eſt quin terminus *à quo* in agente aliquid dicat. Etenim in caſu recto de agente prædicatur, *Agens eſt terminus à quo procedit actio*. Sed dubitari poteſt an dicat aliquid ſive

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 313 sur 591

©BIUM

realiter, sive ex natura rei, distinctum à re quæ dicitur agens. Certum est, rem, quamdiu est agens, *esse terminum à quo procedit actio*; quamdiu non agit, *non esse terminum istum*. Quare *esse terminum à quo*, à re quæ dicitur agens separari potest, & actu separatur ab eadem non agente. Ideóque terminus iste realiter differt à re quæ modò agens, modò non agens, dicitur. Quod enim ab aliqua re absque miraculo actu potest separari, ab eadem realiter differt. Cùm ergò terminus hic à suo subjecto naturaliter separatur, patet esse realiter distinctum.

Eam aliquid agenti addere, & quid.

6. Quæri hîc potest, quid hic terminus, de formali, finito agenti addat. Respondeo, creaturam, cùm finita sit, non posse actionem suam edere, præsertim transeuntem, absque *aliqua vigoratione sui ad agendum*, hoc est, absque *conatu seu nisu movendi*. Hinc enim in actionibus animalium non tantùm nisus, sed & labor & defatigatio, diutiùs exercitatis oboritur. Profectò mihi monstri simile est, si subjectum agendo defatigetur, interímque ipsa actio in eo nihil sit. Quin & si omnem in agente nisum agendi negaveris, actio cessationi actionis quid interfuerit? Proculdubio quod cessat *agere*, cessat *niti*. Sic enim agens à non agente optimè discriminatur, & alioquin nullum inter ea discrimen invenire est. Porrò, agens ob actionem laudatur, vituperatur, accusatur, in jus trahitur, remuneratur, pœnas luit, atque hæc justé. Quare agens realiter & per aliquid intrinsecum à non agente distinguitur. Cúmque nihil internum præter nisum movendi quo à non agente discriminetur excogitari queat, hoc certè id ipsum est per quod ab eo differt. Hinc colligimus, formalem rationem actionis transeuntis in agente consistere in nisu aliquid extra se efficiendi, simúlque in actuali propagatione ejusdem nisûs in passum, usque dum aliquem ejusdem terminum attingat. Distingui igitur potest actio transiens in integre, & præcisè conceptam. Integre concepta, nisum agentis ut partem sui principem includit: præcisa ab hoc nisu, continet tantùm consimilem actionem in passo ab agente excitatam. Atque hâc fortasse distinctione nonnullæ Scholasticorum sententiæ, alioquin oppositæ, reconciliari possunt. Aliqui enim in actione terminum *à quo*, ut explicuimus, includunt; alii præcîdunt.

Actionem

7. Advertendum est, me hîc explicare actionem transeuntem

tintem ſolo nomine nisûs movendi, quanquam in agente ſit aliquando motus actualis; ſcilicet contingit ſæpe motum paſſi non concitari abſque actuali motu ipſius agentis: ut equus trahit currum; ſi non actu moveatur equus, currus ſtat immotus: ſimiliter manus motu ſuo movet malleum: gravia non deorſum alia corpora ſecum rapiunt, niſi ipſa ſuo motu deorſum ſimul ferantur. Atque adeò frequenter motus hoc genus occurrit, ut miror non veniſſe in mentem Scholaſticis; ubi ſtatuunt actionem in agente nihil eſſe, eos non ſaltem excepiſſe eas actiones quæ ipſo motu actuali agentis in paſſum derivantur. Sed ſubtiliſſima aliquando ingenia, partium ſtudio nimis intenta, quæ coram oculis ſunt non cernunt. Verùm ſive actio agentis ſit in eo motus actualis, ſive non, reſpectu actionis tranſeuntis eſt perpetuò niſus movendi: utpote ex renitentia paſſi, nè producat motum actualem, impediri poteſt. Ut pila, allidens pavimento, actuali ſuo motu hoc deprimere nititur, ſed fruſtrá. Ità ut ejus motus, in ſe licèt actualis ſit, eſt tamen tantùm niſus movendi reſpectu pavimenti, quod ejus impetu non movetur. Imò niſus prævalens, etiamſi producat motum actualem in paſſo; quòd tamen contingat ut non producat, quódque ex accidente ſit ſi non præpediatur, rectè vocatur in agente niſus movendi. Agens enim nititur vel tunc cùm actualem motum tam in ſeipſo quàm in paſſo cieat: verùm hoc caſu niſus prævalens à motu actuali ſolâ ratione & nomine tenus diſcrepat. Dices, motum actualem agentis non eſſe cauſationem motûs paſſi, ſed eſſe modò principium ſeu cauſam ejuſdem: habet enim hic motus ſuum terminum in agente, nempe, ejus novum ſitum; & unius actionis eſt tantùm unus terminus. Reſpondeo, unam actionem unum duntaxat poſtulare terminum, modò ſit adæquatus toti actioni; ſin minùs, plures partiales termini uni totali actioni applicari poſſunt: ut manus vibrata unà quatit gladium; tota actio duos partiales admittit terminos; nempe, ſitum tremulum ipſius manûs, & gladii. Eâdem actione quâ movetur manus, movetur quoque gladius. Hinc ſuprà diſtinctioni notiſſimæ actionum & motuum, in *immanentes* & *tranſeuntes*, tertium membrum adjecimus, in *partim immanentes, partim tranſeuntes*. Quare actio ſic prævalens duos, aut etiam plures, partiales terminos, ſive coordinatos, ſive ſubordinatos,

eſſe perpetuò niſum movendi.

©BIUM

natos, sibi vindicare potest. Imò, propter plenitudinem Universi, impossibile est ut aliquid se totum (nisi circulariter) aut aliquam sui partem actu moveat, & non simul aliquid aliud circumstans è situ suo detrudat. Sed hæc obiter. Redeamus ad terminum *à quo actionis*, quem nisum movendi nominavimus.

Pars princeps actionis est in agente.

8. Contra quem adhuc urgeri potest, actionem transeuntem non tantùm differre à suo *termino quem* producit, verùm etiam à *termino à quo* fluit. Terminus enim *à quo* est in agente; at actio in recipiens transit, quod supponitur agenti non continuari. Ergò terminus *à quo* nulla pars actionis transeuntis est, nec ei continuatur. Respondeo, actionem non incipere citra terminum suum *à quo*, sed in eo, hoc est, primam partem actionis esse in agente, & secundam in passum recipi. Existimo igitur actionem in sua ratione terminum suum *à quo* ut principem sui partem includere, & indè ad extrà derivari. Etenim nisi lux esset in sole, à se radios non spargeret. Dices, lumen non esse in sole, sed lucem; vocari verò lumen postquam è sole exit. Esto; de nominibus non laboramus: saltem lux est quasi lumen in corpore solido seu opaco coacervatum & accumulatum: lumen verò luci, ut rivus fonti suo, continuatur. Lux enim proculdubio rem luminis in se complectitur, scilicet ut in radice seu fonte. Nihil enim dat quod non habet, neque è se effundit quod in se nullo modo continet. Incipit igitur actio transiens in termino *à quo*, & indè profluit. Virtute itaque continuationis suæ cum isto termino aliquid absolutum in agente significat. Neque contiguitas inter agens & passum sufficit ad hujus continuationis interruptionem. Videmus enim lumen per varia corpora contigua, aerem, aquam, vitrum, &c. decurrere, nec tamen proinde continuationem suam cum sole abrumpere. Potest ergò accidens hoc genus in subjectis contiguis continuari, scilicet si per modum radii à corpore luminoso, aut actionis à re nitente, diffundatur.

Nisum movendi esse primam actionis partem.

9. Etenim agens, utplurimum, suo nisu movendi, eundem terminum quem effluxa actionis pars attingit, ab initio attingere intenderat, atque eo fine nisum instituerat. Vel ergò dicendum est, duas actiones subordinatas, quarum altera immanens,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 316 sur 591

immanens, altera transiens est, ad productionem unius & ejusdem termini concurrere : vel concedendum est, nisum agentis esse partem totius actionis, quâ producitur iste terminus. Profectò, ut mihi videtur, actio propriè immanens est, quæ ab intus venit, cujúsque terminus est immanens ; & transiens, cujus terminus est extra subjectum quod actionem inchoat. Si ergò terminus quem sibi proponit agens sit extra se, & actio, quâ eum efficere tentat, ad extrà fluat ; est actio transiens : sin terminus sit intra se, & actio ab intus veniat ; est actio immanens. Agens enim aliquando terminum assequitur absque excursione actionis extra se, & actio immanet : aliquando verò agens ab initio nititur actionem proferre, & terminum in passo extra se producere, & actio transit : imò aliquando partim in se, partim extra se, terminum efficit, & actio est partim immanens, partim transiens. Sed de hac actione, ut & de immanente, (quæ extra agens nihil est,) an sit aliquid in agente, dubitari nequit. Ità ut res tota redit ad actionem purè transeuntem. Sed agens in actione, hoc genus, nullum in se terminum producit, aut producere intendit ; tantùm intus, ut actionem extra se emittat, & terminum extra se attingat, nititur. Nullus ergò terminus inter hunc nisum agentis & terminum passo illatum intervenit. Fluit enim nisus externum terminum versùs, & in eo solo finitur & acquiescit. Atque hinc demum solidum argumentum sumitur, quo nisum agentis esse partem actionis transeuntis evincitur. Cuilibet enim actioni suus respondet terminus, & actio continuatur dum ad terminum pertingat. Si ergò nisus agendi ad extrà non terminetur in proprio subjecto, necesse est usque & usque protendatur & fluat in passum, donec in eodem terminum consequatur. Inferendum itaque est, nisum agendi ad extrà actioni transeunti continuari, ejúsque primam partem esse.

10. Dices, hinc potiùs evinci, *terminum à quo* esse aliquid per modum principii aut causæ actionis, quàm ullam ejus partem. Respondeo, non esse propriè principium aut causam ; sed ipsam causationem consimilis causationis, seu consimilis nisûs movendi, in passo : non autem hæ sunt duæ causationes, sed duæ partes unius & ejusdem continuæ. Comparamus enim actionem radio, qui non tantùm quoad durationem, verùm etiam

Terminus à quo non est principium agendi.

Actionem dividi in partes.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 317 sur 591

©BIUM

etiam quoad extensionem, in se continuatur. Radii duratio continuatur per successivam fluxionem ejusdem è radiante, & illico perit interceptâ aut cessante eâ fluxione, ut constat ex interjecto corpore opaco inter radians & oculum. Non enim est de natura sua res permanens; sed ejus entitas novam & continuatam fluxionem è causa sua, ut persistat esse, jugiter quærit. Similiter, actio (quæ causatio quædam est) continuatur & durat, quòd ejus causa persistat esse in actu, hoc est, persistat agere: si causa vel momento cesset esse in actu, actio unà esse desinit. Continuatur itaque & una fit ex continua actualitate causæ, absque qua evanescit. Impossibile enim est ut maneat causatio, actualitate causæ cessante; aut cesset, manente causâ in actu. Actio igitur respectu durationis est una & continua durante causâ in actu, non ultrà; & consequenter dividi potest in partes secundùm durationem: ut actio horæ primæ, secundæ, vel tertiæ, &c. quæ tres partes sunt durationis unius actionis. Actio enim, si agens tres horas sit actu agens, tres horas absque intermissione, utuna & eadem, continuatur; ut per se notum est. Similiter, respectu extensionis, ut radius (quasi linea à radiante ad opacum ducta) unus & continuus est, adeóque in partes saltem per assignationem divisibilis; ità & actio à principio ad ultimum suum progressum continuatur, & consequenter est quoque in partes dividua. Dividamus itaque totam actionem transeuntem in actuationem activæ seu motivæ facultatis agentis in agente, quæ est causatio consimilis causationis in passo, & in passi receptionem ejusdem causationis, unà cum qualicunque termino ejusdem. Dividamus etiam hanc secundam causationis partem, tanquam lineam aut radium, in tres (aut quot volueris) partes. Sit prima causatio extra agens, quæ in passo primò producitur; secunda, quæ secundò; tertia, quæ tertió. Jam verò ut prima actualitas agentis est causatio primæ consimilis causationis in passo; ità hæc est causatio secundæ; & secunda tertiæ; sic procedendo ad ultimam actionis extensionem. Hic enim est modus generationis per viam multiplicationis sui in proxima materia. Etenim non est migratio accidentis ex uno subjecto in aliud; sed prima causationis seu actionis pars est productio secundæ, & secunda tertiæ, &c. donec actionis vigor paulatim fatiscit. Quare

pars

pars actionis agentem actuans est ipsa causatio primæ partis actionis in passo, hæc remotioris, & sic deinceps. Hinc fit ut actio ferè momento ad ultimam suam extensionem excurrat. Ut lumen à sole ad terram subitò projicitur. Nisus illuminandi est actuatio lucidi, simúlque causatio luminis in æthere. Primum lumen sic causatum est causatio secundi, secundum tertii, &c. unde ferè momento lumen ad terram pertingit. Hanc itaque continuationem celerémque radii decursum aliqui, conferendo baculo seu hastæ à sole ad terram demissæ, haud ineptè illustrârunt. Extremitas hastæ soli continua primò impellitur; hic impetus est partis proximæ trusio; hæc remotioris: sic procedendo dum ad alteram hastæ extremitatem impulsus perveniat. Ità ut hæc actio quàm proximè ad simultaneam accedat. Cùm enim prima pars actionis agentem actuans sit productio secundæ, & hæc tertiæ, momento ferè radius ad ultimam suam extensionem perducitur. Dices, in radio A B C (in quo A soli proximum, C terræ, supponitur) A non esse causam luminis B, nec B luminis C, sed solem esse causam totius radii. Respondeo, ità esse. Non enim dico primam partem radii esse causam secundæ B, aut B esse causam C; atqui A esse ipsam causationem luminis B, & B luminis C: ità ut sol sit causa proxima totius radii; qui non dividitur in tot causas luminis, sed in tot subordinatas causationes ejusdem, quarum omnium causa est sol. Hanc rem diligenter advertere debet qui vult absque migratione accidentium à subjecto in subjectum hujusmodi multiplicationis processum rectè concipere & explicare. Nihil enim propè velociùs decurrit quàm hæc subordinatio causationum sine interventu novæ causæ. Nam causatio prima est causatio secundæ, secunda tertiæ, &c. Adeò ut vix aliquid morulæ inter causationem primam & secundam, aut secundam & tertiam, intervenit; nisi obstet vel aliqualis resistentia passi, vel ipsa finita virtus agentis, quæ nihil perficere potest præcisè in momento. Quapropter ut lumen solâ privatione aut interceptione causæ cessat; ità actio, absque contrario, cessante causâ, de se desinit: est enim tantùm causatio. Dices ergò, primam causationem esse secundam, secundam esse tertiam, &c. Respondeo, non ità esse. Secunda enim causatio B non directè de A, sed obliquè, prædicatur, ut prima causa-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 319 sur 591

©BIUM

tio est secundæ, & secunda tertiæ. Sunt igitur tantùm partes unius continuæ causationis. Cùm ergò causatio actuans facultatem motivam agentis sit ipsa causatio causationis in passum impressæ, cúmque nullum producat terminum in agente, sed solum eum quem attingit actio in passum propagata ; sequitur actionem agentis, eámque in passo causatam, esse duas partes continuas unius & ejusdem actionis ; quòd unicum duntaxat terminum producant. Adhæc, si in forma velis Objectioni satisfaciamus, dico, principium dupliciter accipi, vel pro causa, vel pro prima parte rei. Si pro causa sumatur, nisus movendi non est principium actionis transeuntis, sed natura motiva agentis : sin pro prima parte, est principium & terminus *à quo* actio fluit. Quanquam enim hic nisus duos inadæquatos conceptus admittit, alterum quà actuat facultatem motivam agentis, alterum quà est causatio nisûs consimilis in passo : eadem tamen res est quæ utroque munere fungitur. Fateor, motivam facultatem esse vel sui, vel alterius motivam : illius actuationem esse actionem immanentem ; hujus, transeuntem. Nihilominus cùm hoc loco motivam quatenus est in ordine ad transeuntem ferè considéremus ; concedendum est, solam actionem transeuntem eam posse actuare. Cùm ergò omnis actio transiens (sive actualem motum producat sive non) sit perpetuò nisus movendi aliud, sequitur eum nisum esse actuationem facultatis motivæ, & eundem simul esse causationem consimilis nisûs in passo ; aliter enim non esset actio transiens, ut esse supponitur. Inferendum igitur est, nisum movendi, qui actuat facultatem motivam agentis, esse causationem consimilis nisûs in passo, & esse primam partem totius actionis, eidémque continuari non ut principium, sed ut partem & terminum *à quo* totius.

Quid sit hic nisus movendi in agente.

11. Si quæras, cujusmodi entitas sit actuatio facultatis activæ consideratæ in se & ut in agente : dico, non esse effectum aut terminum actionis, (sic enim requireret aliam actionem quâ produceretur, & indè inferretur processus in infinitum ;) sed esse modum complentem & perficientem facultatem agentis : non enim fit per aliam causationem. Attamen, ut alii modi è sua materiali causa absque media entitate resultant ; ità actio per seipsam è facultate immediatè emanat. Atque hic est unus inadæquatus actionis conceptus : alter est, esse causa-

tausationem consimilis causationis in passo. Priorem voco nisum movendi consideratum quà actuat facultatem motivam agentis; posteriorem, eundem nisum quà est productio consimilis nisûs movendi in passo. Verùm de his satis jam dictum est.

Actio, passio & motus similiter respiciunt terminum.

12. Hactenus absolutam actionis transeuntis entitatem exquisivimus, & ab agente discriminavimus: supereſt ejus differentiam à suo termino expendamus. Sed hoc tantisper differendum est, dum passionis quoque differentiam à passo, ut & ab actione, necnon utriusque ab actuali motu, invenerimus. Siquidem actio, mediante motu actuali, vel saltem mediante passione, suum terminum assequitur; & consequenter eâdem operâ actio, passio & motus actualis cum suis respectivis terminis comparari possunt. Quapropter tractatio termini, usquedum hæ differentiæ aliquo modo assertæ fuerint, protrahenda est.

Differentia inter passum & passionem.

13. Verùm differentia inter passionem & passum adeò conspicua est, ut parùm negotii faceſſat. Est enim passio ipsa *receptio nisûs movendi ab agente fluentis, terminúmque in passo producentis.* Nisus movendi in passo productus non à passo provenit, sed ei est extraneus, & plerumque præternaturalis; imò mutationem quandam seu innovationem ejusdem minatur, & ex parte assequitur. Si ergò hoc extraneum quod recipitur sit ens reale, hoc est, si aliquid reale passo addat, satis constat idem ab eodem realiter distingui. Non enim est de natura passi, neque ejus receptio aut sustentatio respicitur ut rei ad se spectantis, sed ut extraneæ, & utplurimum præternaturalis. Necesse autem est hæc passiva causatio sit aliquid reale in passo, quòd sit productio termini realis in eodem. Sed tota difficultas reliqua de hac re est inventio entitatis cujusmodi ea in passo sit. Non enim est entitas permanens, aut in facto esse, sed fluxio, & via ad aliquid, seu ipsum fieri & productio entis. Quare est modus passi ab extrà proveniens, quo mediante hoc passivè concurrit ad productionem, hoc est, ad receptionem, termini in se. Dices, non posse esse modum passi, quia modus non realiter differt à re quam modificat. Respondeo, dari tria modorum genera, dari modos afficientes, terminantes, & unientes: modos afficientes realiter à suis subjectis differre posse, terminantes & unientes forsitan

©BIUM

tantùm modaliter. Jam passio est modus afficiens; inhæret enim in passo, idémque ut subjectum suum afficit: non autem afficit ut accidens completum, sed ut rudimentum & ipsum fieri accidentis, nempe termini, cujus est productio. Non me latet, Suarium putare passionem esse modum termini, & esse ipsam dependentiam termini à sua causa: de qua re infrà videbimus. Atque hæc de differentia inter passum & passionem.

Distinctio actionis à passione.

14. Procedo ad distinctionem actionis à passione. Actionis quatuor acceptiones Capite præcedente notavimus: verùm secunda acceptio, scil. nisus movendi sive se, sive aliud, sive utrumque simul, in quovis eorum genere totam actionem complectitur: acceptio autem tertia & quarta dicunt tantùm partem totius actionis: & quarta, primam partem in agente cœptam, tertia, partem alteram in passum propagatam, exprimit. Jam verò actio in quarta acceptione à passione realiter differt. Nisus enim movendi, facultatem agentis motivam actuans, est in agente; & passio, quòd in solo passo inhæreat, ab eo nisu subjecto dividitur, & consequenter ab eodem realiter differt. Nullo enim sano sensu nisus movendi, quatenus in agente, est passio, sed causatio passionis.

Actio tota differt à passione.

15. Secundò, Nisus movendi in secunda acceptione vocis, quatenus totam actionem involvit, ab alterutra sui parte realiter distinguitur. Totum enim plus continet quâlibet sui parte, & consequenter ab eadem realiter discrepat. Suprà autem probavimus, nisum movendi in agente, esse primam partem actionis quâ producitur terminus; & nisum movendi in passum distributum, esse alteram ejusdem partem. Unde conspicuum est, hosce duos nisus esse partes ejusdem totius, & consequenter alterutrum realiter differre à suo toto. Certum quoque est, nisum agentis, quatenus in agente, concitato consimili nisu in passo, immediatè cessare, & solâ vi novæ atque continuatæ fluxionis ab agente durare: ità ut actionis hæc continuitas non fit in se permanens, sed jugiter fluens; nempe fluat in passum, & eo ipso in agente desinat esse, nisi quatenus hoc permanens in actu continuè renovetur. Etenim facto termino, aut parte ejus, pars actionis eam præcisè producens defungitur: si autem actio ulteriùs manere

manere dicatur, per alias sui partes continuatur. Impossibile enim est, causatio alicujus partis terminii, eâ jam factâ, permaneat. Est enim ac si diceres, eam partem esse adhuc in fieri, cùm jam antea sit facta; quod repugnat.

Actionem in passo non differre à passione.

16. Tertiò, Actio seu nisus movendi in tertia vocis significatione suprà exposita (nempe nisus movendi in passum propagatus) à passione solâ ratione differt. Fateor enim, in hoc sensu, *substantiam* (ut loquuntur) actionis & passionis eandem planè rem esse. Siquidem actio ipsa est res quam passum recipit & patitur: & actio in passum recepta, quatenus ab extrà venit, est hujus passio. Si ergò hoc sensu se intelligi velint qui actionem & passionem solâ ratione distingui asserunt, iis assentior. Eadem enim res in passo inhærens, respectu hujus, passio, respectu causæ efficientis, actio audit. Superest igitur accuratè inveniamus substantiam totam utriusque in qua iis convenit. Certum est, utramque, tum actionem tum passionem, nisum movendi includere: ecquid verò aliud, vixdum satìs ostenditur. Suarius, Disp. 20. s. 5. nº. 24. negat actionem in genere includere substantiam motûs. Ait enim, *includere tantùm substantiam fluxûs:* nimirum propter actiones Divinas: verùm de aliis actionibus quæ in materia fiunt, motum esse substantiam actionis largitur. Nihilominus (ut hoc sustineatur) motus in latissima acceptione vocis sumendus est, quatenus omnem operationem, tam activam quàm passivam, complectitur: alioquin occasionem errandi facilè ministret. Motus enim quatenus opponitur nisui movendi non semper *substantia* actionis est. Etenim actio ex renitentia passi eousque ligari potest, ut nullum motum actualem in passo producat: ut siquis ingentem columnam manu premat, illa hujus pressuram facilè repellit, & immota stat. Quare substantia actionis non est actualis motus, sed solùm nisus movendi. Quanquam verò passum reprimit actualem motum, semper tamen nisum ab agente provenientem patitur. Actio enim ipso momento agendi infert passionem; (aliter enim non esset actio transiens:) sed motum, quem agens actione suâ inferre conatur, non semper infert. Quare motus actualis non necessariò spectat ad substantiam actionis. Quæret fortè aliquis, ecquid aliud præter nisum movendi ad hanc substantiam spectet. Existimo hunc nisum secum unà

Substantiæ actionis quid.

deferre

©BIUM

deferre ideam motûs & formæ quam agens motu inducere molitur, actúque resistentiam passi minorare. Hinc passum, percipiens motum formámque inferenda, & utraque suæ naturæ ingrata esse, renititur, nec finit eadem in actum prorumpere. Atque hinc conspicuum est, quam reactio in rerum natura originem & locum sortitur, eámque inter motum actualem passi & nisum agentis quodammodo intervenire. Interea loci habemus substantiam actionis ad extrà propagatæ, quam passum patitur; scilicet nisum quendam agentis quo motum, eóque mediante formam quandam, inferre nititur, actúque resistentiam passi debilitat, & in idem istius motûs seu formæ ideam infert. Hoc enim totum actio transiens quatenus in passum recipitur significat; eundémque nisum, ideam motûs & formæ, necnon debilitatem aliqualem resistendi, passio quoque denotat. Constat igitur actionem & passionem hoc sensu quoad *substantiam* utriusque realiter idem esse; & solâ relatione hujus ad passum, illius ad agens, inter se differre. Nam actio dicit habitudinem transcendentem ad agens, à quo effectivè profluit; & passio similem habitudinem ad passum, tanquam ad suam materialem causam, in quam recipitur, & in qua sustentatur. Atque hoc modo, quantum rei veritas patitur, nosmet Clarissimo Suario reconciliavimus.

Reactio quid.

17. Observavimus modò, reactionem inter nisum movendi & motum actualem intercedere; & consequenter, priùs quàm ulteriùs in differentias horum inter se inquirimus, aliquid de ipsa reactione dicendum est. Eam esse quandam actionis speciem, superiore Capite declaravimus; dividíque posse hanc in offensivam, defensivam, & partim defensivam, partim offensivam. Actio offensiva, agentis seu aggressoris est, de qua hactenus locuti sumus. Actio purè defensiva est nuda reactio, de qua agimus. Actio partim defensiva, partim offensiva, est actio recalcitrans, quæ partim defendit passum, partim incessat ipsum agens; ità ut hoc casu inter agens & patiens prælium quoddam seu certamen committatur: alterutrum enim in alterum insurgit, & ab altero repatitur. De actione hac recalcitrante seu reverberante, an sit, dubitari nequit, cùm innumeris instantiis evidenter probari queat. Ipsa acies ferri frequenti secatione retunditur aut hebetatur;

Ejus divisio.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 324 sur 591

tur; baculus cedendo frangitur, &c. Reactio pura eſt *niſus paſſi defendendi ſe à mutatione quam percipit agens conari ſibi inferre.* Agens enim perpetuò conatur ſibi aſſimilare, & conſequenter mutare, paſſum: Paſſum, hoc percipiens, reniti-tur, & ſe tueri ſatagit. De hac reactione, an ſit nécne, fortè quis dubitet, quòd vix ſatis apertè occurrat objectum in quod reagat. Cùm enim ſit reactio pura, ejus reniſus ſupponitur non pertingere ad ipſum agens, adeóque deeſt ſubjectum in quod recipiatur. Reſpondeo, eſſe toto genere actionem immanentem & perfectivam ſui, & conſequenter eſſe vitalem. Nam ſe vindicare à mutatione aut corruptione, eſt ſeipſum perficere. Hæc autem actio in agentem non inſurgit, ſed ſibi ſoli, hoc eſt, ſuo ſubjecto, nè innovetur, cavet. Quare actionis intentio non ad extrà, ſed ad intus & ad propriam conſervationem, terminatur. Eſt ergò ipſum paſſum, hoc caſu, ſuæ reactionis ſubjectum. Dices, paſſum manifeſtâ aliquâ qualitate ſæpiſſimè repellere agens: ut ingens ſaxum ſuâ gravitate obliquæ pulſioni debilioris agentis reſiſtit. Reſpondeo, gravitatem duobus inadæquatis conceptibus ſubjici. Secundùm priorem eſt qualitas, & declarat quomodo ſe res habet ad operationem: ſecundùm poſteriorem, & reipſa, eſt motus ſeu niſus movendi ſe deorſum. Hi duo conceptus non ſunt duæ res, ſed duo duntaxat conceptus ejuſdem rei ſolâ ratione diſtincti. Grave igitur ſuo motu deorſum repellit lateralem pulſionem debilioris agentis, motúſque hic provenit ab interno principio. Utpote idem grave in declivi loco poſitum levi appulſu deturbatur, quia de natura ſua tali motui minùs reſiſtit. Quòd verò datur reactio pura, innumeris propè inſtantiis monſtrari poteſt: ſed ſufficiat nominâſſe eas quæ ex influxu ſolis in terram oriuntur. Hujus enim radii varios nanciſcuntur effectus, pro varia natura recipientium, ſive animalium, ſive vegetabilium, ſive mineralium, aliorúmque corporum inanimatorum. Cùm enim hi radii plurimis horum benigni ſint, quodlibet eorum pro modulo ſuo reagendo, ſimúlque cooperando, eos excipit, & in uſum ac emolumentum ſuum convertit. Non verò horum reactio ad ſolem uſque retorquetur, aut retorqueri vel debet vel poteſt; ſed intus manet, & occaſionem hinc arripiens, ſe intrinſecè perficit. Quare contemperatio hæc radiorum & converſio

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 325 sur 591

©BIUM

Divisio reactionis puræ.

ad usum suum est reactio pura. Dividitur autem ea hoc genus in repellentem,& contemperantem. Repellens, *passum à mutatione quam agens inferre nititur sartum tectum servat.* Contemperans, *mutationem quam agens molitur corrigit, mitigat, demulcet, temperat, ut sibi tolerabiliorem aut commodiorem reddat.* Notandum est, reactionem hanc purum putum nisum movendi nunquam repellere, sed eum totum in se admittere: tantùm avertere motum actualem, & mutationem indè oriundam. Sed (inquies) cur ità fit? Fortè ex eo provenit, quòd actio transiens necessariò sit productio quædam in passo. Quanquam verò passum cavet (saltem quantum in se est) nè agens motum actualem aut mutationem permanentem in se producat: impossibile tamen est præcaveat nè simplicem nisum movendi ejúsque aliqualem terminum in se efficiat. Actio enim transiens sine passione, aut passio (quæ productio quædam est) sine re producta, implicat contradictionem. Dico insuper, reactionem præsupponere actionem. Non igitur est reactio nisi præcesserat actio. Nisus movendi priùs admittitur quàm excitatur passum naturale ad reagendum. Cúmque hujus renisus sit purè defensivus sui, non impugnat actionem, nisi quatenus sit illatura motum actualem, & consequenter mutationem aliquam. Tota igitur reactio pura versatur vel in repulsione, vel contemperatione motûs actualis, terminíque indè consecuturi. Animalia quidem à longinquo sibi prospiciunt, & vel fugiendo, vel occultando se, vel alio modo evadendo, vel denique parando se ad pugnam, ipsam actionem aggressoris eludere conantur: corpora naturalia non item. Verùm est quoque in animalibus constitutio naturalis, quæ ad reactionem antequam ab agente aliquo actu provocetur non excitatur; ejúsque reactio est ejusdem generis cum ea corporum naturalium. Dubites adhuc de termino hujus reactionis. Cùm enim sit actio quædam, non est sine suo termino. Dico, terminum hujus reactionis esse conservationem passi: quam plenè assequitur in reactione repellente; in contemperante,saltem obtinet ut motus agentis minùs lædat.

Actio & motus actualis quo modo inse comparandi.

18. Tempestivum jam est redeamus ad collationem inter se actionis & motûs actualis. Verùm hæc collatio variari potest secundùm varias acceptiones terminorum. Motus autem

tem in latissimo sensu omnem operationem includit. Quare hunc sensum hîc rejicimus; ut & secundam acceptionem superiore Capite memoratam, quâ in se nisum movendi continet: & solam tertiam significationem ibidem datam, quâ opponitur nisui movendi, & significat motum actualem, hîc amplectimur. Actionis autem differentias ab hoc motu in quarta, secunda & tertia vocis acceptione, ibidem exposita, sigillatim explorabimus.

Motus passi differt à parte actionis in agente.

19. Primò, Actio in quarto vocis sensu, quatenus dicit nisum movendi in agente cœptum, realiter differt à motu actuali. Primò enim, fieri potest ut nisus movendi in agente motum actualem in passo, quem intenderat, non producat: quo casu ab eodem, ut res actu existens à re potentiali seu non existente, hoc est, realiter, differt. Secundò, Si eveniat motum actualem in passo produci, nisus movendi in agente, quo producitur, ab eo quoque realiter differt. Nisus enim est in agente, & motus actualis est in passo: motus autem agentis à motu passi actu dividitur. Si verò, tertiò, supponas nisum movendi non esse actualem motum in agente, sed tantùm esse causationem motûs actualis in passo; à fortiore ille ab hoc realiter discrepat, viz. ut nisus movendi includens negationem motûs in se ab actuali motu alterius. Adeóque in toto hoc genere comparationis nisus movendi in agente ab actuali motu passi realiter distinguitur.

Motum passi differre ab actione tota.

20. Secundò, Actionis acceptio secunda Capite præcedente notata totam actionem quâ producitur terminus, tam nisum movendi in agente cœptum, quàm eum in passum influxum, simul & uno conceptu involvit. Hoc sensu, si actio cum motu actuali passi componatur, manifestè ab eodem realiter disterminatur; scilicet, ut totum ab una sui parte. Motus enim actualis passi est tantùm pars totius actionis quâ terminus in passo producitur, & nisus agentis est altera pars ejusdem, ut suprà susiùs probavimus.

Actionem in passo à motu non differre.

21. Tertiò, Actio in tertia significatione vocis, quatenus sumitur pro nisu movendi prævalente in passo hærente, (præciso termino à quo in agente,) non differt à motu actuali passi. Atque hoc sensu planissimè assentior Suario, motum esse *substantiam* actionis, & motum actualem in passo excitatum, sive ut actio sive ut passio consideratur, non realiter aut

©BIUM

ex parte rei, sed solâ ratione discriminari. Etenim sive motus hic denominatur actio, sive passio, nihil passo additur aut demitur nisi relatio transcendentalis, hinc ad passum, illinc ad agens: quæ duæ relationes substantiam rei (quæ, ut dixi, consistit in motu actuali) solâ ratione distinguunt. Dices, me suprà substantiam actionis in nisu movendi posuisse, & ibidem motum actualem rejeciſſe. Fateor, & rectè. Contingit enim aliquando, agentem non inferre motum actualem; quo casu alia quærenda erat substantia actionis, quam declaravimus esse nisum movendi. Si quando autem eveniat, agens in passum non tantùm nisum movendi, sed & motum actualem inferat, me non negare, quin affirmare, substantiam actionis in hoc motu actuali consistere: tantùm, ut hanc substantiam compleamus, addimus, hunc motum actualem secum in passum ideam tam suam quàm termini inducendi unà imprimere. Atque hæc de convenientiis & differentiis harum operationum.

Terminus liberatur ab ambiguitate.

22. Tandem respiciamus ad earum terminos, ut an, & quomodo, illæ ab his distinguantur perquiramus. Sed ipso limine vox [*terminus*] distinguenda est. Sumitur itaque, 1. pro termino vel vocis, vel rei: de quibus Logici consulantur; ut & de terminis Syllogismi. 2. Pro tempore designato quo certæ actiones momenti peragendæ sunt: ut termini juridici, quibus de causis decernitur; ut & termini Academici, quibus lectiones & disputationes publicæ resumuntur. 3. Pro limite quovis, ut pro finibus agri: vel pro puncto quo terminatur linea, scil. pro principio, fine & termino, partibus continuis ejusdem rei communi. 4. Pro termino fluidi. Fluidum enim de se quodammodo interminatum est, & terminatur vase, aut alio solido, quo continetur, aut quod continet. 5. Pro fine motûs unius naturæ, quem motus alterius naturæ immediatè excipit, ità ut sint simul tempore, & solùm ordine naturæ sint successivi: ut motus generationis momentaneus, qui videtur componi ex duabus instantiis naturæ simul tempore coincidentibus; nempe ex fine seu termino motûs præternaturalis seu præparatorii, & principio motûs naturalis seu eductorii formæ: de quo videatur Caput 11. n. 2. 6. Pro complemento naturæ interminatæ & incompletæ: sic forma terminat materiam; & similiter quan-

titas

titas interminata materiæ quærit terminum, nempe quantitatem terminatam, quâ compleatur. 7. Pro complemento modali ; quo ſenſu ſubſiſtentia modalis eſt terminus naturæ ſubſtantialis. 8. Pro prima parte rei ; & ſic actuatio facultatis motivæ dicitur terminus à quo totius actionis, ut ſuprà explicuimus : quanquam hic terminus reducatur quoque ad ſeptimam ſignificationem, nimirum, in quantum, ut modus, complet facultatem, ſed non ut prima pars actionis. 9. Pro effectu actionis aut motûs actualis : & hoc ſenſu hîc conſideramus.

23. Dividitur in terminum purè fientem, factum, & partim fientem, partim factum. *Terminus purè fiens eſt ſola debilitas quædam renitentiæ paſſi, quæ ceſſante actione per ſe definet eſſe* : Eſtque terminus actionis impotentis. Agens perpetuò conatur movere paſſum : ſed ſi illud ſit hoc debilius, nequit actualem motum concitare ; attamen ſaltem ſuum niſum movendi infert. Quòd verò paſſum aliquando fortius ſit agente, eique reluctetur, motus actualis non ſemper producitur. Interim actio non penitùs fruſtratur, ſed ſaltem producit aliqualem *debilitatem reſiſtentiæ paſſi*. Quod demonſtrari poteſt. Si enim libram unam granorum hordei equi dorſo impoſueris, hujus vires tantillo ponderi non cedunt ; ſed ſi millies idem pondus multiplicaveris, ejus vires ferendo non fuerint. Unde conſtat ſingulam libram aliquid ad earum reſiſtentiam frangendam contribuiſſe. Quanquam enim actio frequenter non aſſequitur terminum quem quærit ; ſemper tamen aliquem invenit : viz. *debilitat reſiſtentiam paſſi*. Si igitur hoc ſolum ſit quod volunt, qui dicunt *actionem eſſe cum victoria*, rectè ſe res habet : ſin aliud velint, nempe actionem reſiſtentiæ paſſi eò uſque prævalere, ut in eo motum actualem ſemper concitet, falſiſſimum eſt, ut infrà patebit. Quòd verò hæc debilitatio paſſi ſit entitas in fieri, ſolâ ceſſante actione, ſcilicet ſolâ privatione cauſæ, defungitur, nec exſpectanda eſt actio contraria ut amoveatur. *Ejus diviſio. Quid fiens.*

24. Terminus factus eſt *ſtatus ſeu habitus novus in paſſum ab agente prævalente mediante motu illatus, quique ſolâ privatione cauſæ non deletur ; ſed novo motu, eóque ſive directè ſive indirectè contrario, ut paſſum ad priſtinum ſtatum reducatur, opus habet*. Ut raritas eſt terminus rarefactionis, quæ non reducitur abſque *Quid terminus factus.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 329 sur 591

©BIUM

contrario motu, viz. eo condensationis. Sic motus localis producit novam locationem solo contrario motu reducibilem. Sed terminus motûs circularis absque motu contrario videtur restitui : sed est motus partium, non totius, nisi secundùm partes : partes autem, quæ ab oriente ferebantur, exacto semicirculo, orientem versùs redeunt : qui motus sunt contrarii, quanquam indirectè. Advertendum est, causationem termini facti esse actionis prævalentis ; termini verò purè fientis, esse impotentis seu debilis respectu resistentiæ passi.

Quid partim fiens, partim factus.

25. Terminus partim factus, partim fiens, est habitus incompletus & adhuc in motu : ut magnitudo in continua augmentatione aut diminutione. Siquidem magnitudo jam assecuta, est habitus seu terminus factus: sed de futuro assequenda, est adhuc in fieri. Similiter situs lapidis projecti, durante motu, est respectu spatii jam emensi terminus factus ; sed adhuc fiens respectu futuri seu continuati. Locatio enim in omni morula temporis innovatur. Hic terminus est duplex : vel de natura sua permanens, nisi quòd à causa actuali continuè agatur ; ut in exemplo dato de situ lapidis in motu : vel est qualitas seu forma fiens, cujus ipsa entitas consistit in motu ; ut calor est terminus calefactionis, & simul est qualitas facta respectu præcedentis calefactionis, sed adhuc in fieri, non tantùm respectu futuræ, verùm etiam respectu propriæ entitatis, quæ consistit in motu. Quæres, si caloris entitas posita sit in motu, quo sensu vocetur qualitas seu forma absoluta. Respondeo, eundem motum sub diversis considerationibus, seu sub diversis inadæquatis conceptibus, ratione tantùm distinctis, vocari posse vel motum, vel qualitatem sive formam absolutam. Nam calor quatenus est luctatio quædam expansiva in suo subjecto concitata rectè dicitur motus ; sin consideretur ut affectio inhærens in subjecto, idémque ad alias operationes disponens, est propriè qualitas. Qualitas enim absoluta nihil aliud est nisi *constitutio quædam suum subjectum vel ad agendum, patiendum, cessandum, movendum, vel quiescendum, disponens.* Siquidem si scias ad quas operationes & mores res est disposita, unà scis qualitates ejusdem. Etenim cùm quæramus qualis hic vel ille sit, scire expetimus hominis indolem, hoc est, ad quas actiones seu operationes sit proclivis.

Atque

Atque hæc de variis acceptionibus vocis [*termini :*] redeundum jam ad distinctionem actionis à suo termino.

26. Clarissimus Suarius (eo loci ubi differit de differentia inter actionem & suum terminum) non distinguit terminum fientem à termino facto ; quam tamen distinctionem hîc prosequi tenemur, ut mox patebit : tantùm in genere asserit & probat, tam actionem immanentem quàm transeuntem à suo termino differre, Disp. 48. s. 2. nº. 12, 13, 14. Verùm quòd nos hîc non tam de actionibus immanentibus quàm de transeuntibus agamus, lectorem ad loca citata relegamus : tantùm argumentum quod nº. 16. adducit (quòd tam actionibus immanentibus quàm transeuntibus commune sit, quódque vim demonstrationis præ se ferat,) hîc reticere non licet. *Secundò,* (inquit) *est ratio à priore, quia actio ut actio, si sit vera ac propria, nihil aliud est quàm productio aut effectio aut causalitas efficientis causæ : sed impossibile est vel mente concipere veram productionem, quin per eam aliquid sit productum, vel causalitatem actualem sine re aliqua causata : ergò impossibile est etiam intelligere actionem sine termino.* *Actionem differre à suo termino.*

27. Jam verò ut applicemus hoc argumentum ad terminos purè fientes, hinc elucescit eos ex parte rei à sua causatione esse distinctos. Nam debilitas qualiscunque resistentiæ passi, quanquam videatur solâ ratione à causatione debilitante distingui, nimirum quòd cessante hâc illa spontè cesset ; reipsa tamen ex hoc argumento innotescit, esse verum effectum à sua causatione, saltem ex parte rei, distinctum. Daretur enim alioquin vera atque realis productio in rerum natura absque re producta respondente ; quod repugnat. Hoc porrò confirmatur, quòd licèt debilitas resistentiæ passi à sua causatione naturaliter separari nequeat ; Divinâ tamen potentiâ illa in passo manere potest, hâc sublatâ ; & consequenter, saltem ex natura rei, ab eadem distinguitur. At verò si *actio impotens* suum producat terminum à se distinctum, multò magis *actio prævalens.* Hæc enim efficaciùs operatur, & intentum ab agente terminum actu assequitur ; illa hoc respectu frustratur. 1. *A termino fiente.*

28. Etsi igitur actio impotens tantùm ex parte rei à suo termino distinguatur ; nihil tamen prohibet quin actio prævalens terminum à se realiter distinctum edat. Atque hoc videtur 2. *A termino facto.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 331 sur 591

©BIUM

Probatur primò. videtur mihi duobus argumentis clarè evinci. Primum est, effectum duarum causarum efficientium se mutuò contemperantium realiter à causatione alterutrius differre: At terminus actionis prævalentis, nempe terminus motûs actualis, est effectus duarum causarum efficientium se mutuò contemperantium: Ergò, à simplici alterutrius realiter differt. Ad propositionem dico, duas causas luctantes inter se non producere eundem effectum quem alterutra sibi permissa produceret. Effectus, enim, naturæ utriusque causationis est particeps. Oportet igitur alterutra suam respectivam partem, non totum, sibi arroget. Quemadmodum enim filius partim patri, partim matri, similis est; ità terminus actionum luctantium alterutri est ex parte affinis, neutri identicus. Etenim actio prævalens majorem mutationem, quàm potest actione passi infracta, daret; & reactio, si fortior esset, minorem redderet. Effectus itaque non est idem quem alterutra causatio sola produceret; nedum est idem cum alterutra una earum: & consequenter ab utrisque realiter discrepat. Dices, ab utrisque simul sumptis (non obstante hoc ratiocinio) posse non differre. Sed contrà est; quòd effectus unus sit, & ex partibus inter se pugnantibus non consistat: ut raritatis gradus ab actione rarefactiva agentis, & reniſu passi, inductus, nec est rarefactio, nec est nisus rarefactioni oppositus, nec ex utrisque conflatus; sed est absoluta raritas ejusdem speciei & naturæ cum aliis raritatibus ejusdem gradûs, utcunque ab aliis causis productis. Atque hæc de propositione. Ad assumptionem quod spectat, assero, terminum nisûs prævalentis seu motûs actualis non produci absque reactione seu reluctatione passi. Hoc enim, vim sibi illatam percipiens, lege naturæ quantum potest se tueri tenetur. Insurgit itaque contra mutationem inferendam, eámque, si totam avertere aut repellere nequeat, (quod hîc supponitur,) saltem demulcet, mitigat, sibíque faciliùs ferendam præstat. Cùm igitur actio finita non sit irresistibilis, necessum est resistentia passi eam plùs minùs attemperet & variet. Hinc vulgare dictum profluxit, *Quod recipitur, recipitur ad modum recipientis.* Aqua enim priùs teporem quàm fervorem concipit: quod non fieret, si passum sine resistentia totam actionem ignis admitteret. Sublatâ enim hâc resistentiâ, quid impedit quò minùs ignis statim

ſtatim ab initio motum, nempe calorem, ſuæ violentæ calefactioni æquivalentem inferret? Verùm, cùm ſenſim primò teporem, dein fervorem, introducat, patet aquam vim ejus impetuoſam nonnihil retundere & contemperare: adeóque effectum non eſſe planè eundem quem cauſatio ſibi relicta produxiſſet; nedum eſſe eundem cum ipſa cauſatione ſua: quod erat monſtrandum.

29. Alterum argumentum ſupponit actionem prævalentem, quatenus in paſſum receptam, eſſe motum actualem. Hinc aſſerit, terminum motûs actualis eſſe ab eo motu realiter diſtinctum. Ad cujus propoſitionis plenam probationem tria ſtatuenda ſunt. 1. Terminum motûs actualis eſſe novum ſtatum ſeu habitum in paſſo productum. 2. Hunc terminum ſeu novum ſtatum eſſe à motu, quo producitur, naturaliter ſeparabilem. 3. Res hoc modo ſeparabiles eſſe inter ſe realiter diſtinctas. *Probatur ſecundò.* Ad primum dico, motum actualem concipi non poſſe, niſi ut proceſſum ab uno termino ad alium. Terminus à quo eſt ſtatus ſeu habitus, terminus ad quem eſt ſimiliter ſtatus ſeu habitus. Intelligo per ſtatum, id quod ſtat ſeu permanet, donec novo motu varietur; & per habitum, id quod habetur ſeu poſſidetur, donec motu alio amittatur. Hiſce poſitis, dico terminum motûs localis eſſe iſtiuſmodi ſtatum ſeu habitum, quem paſſum motu acquirit, & quo non ſpoliatur, niſi alio motu. Hoc adeò evidens eſt, ut explicatione magis quàm probatione opus habeat. Res inſtantiis gerenda eſt. In motu locali, ſuppone hunc lapidem (aut aliud quodvis) moveri: ejus motus neceſſariò producit novum lapidis ſitum; qui terminus eſt & novus ſtatus, ſed invariabilis abſque alio motu. In motu alterationis, frigefactio aliquem frigoris gradum pro ſuo termino agnoſcit; ſed non niſi alio motu abolendum. In generatione, pro termino novum exſurgit compoſitum, ſolâ corruptione perdendum. In augmentatione, motus ad majorem magnitudinem, in diminutione, ad minorem terminatur. In neutra contingit innovatio, abſque alio motu. Quod ad motum circularem attinet, ſuprà reſponſum dedi. Concludendum eſt, omnem motum actualem novum paſſi ſtatum inferre. Ad ſecundum accedo, terminum ſeu novum ſtatum eſſe à motu, quo producitur, ſeparabilem. Probatur ſic: Motus ceſſare poteſt,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 333 sur 591

©BIUM

vel succumbente, vel quiescente, vel recedente, vel alio modo impedito, motore, (causæ enim naturales non irresistibiliter agunt ;) eóque momento quo motor ab actione avertitur, motus desinit esse. Imò producto termino, motus eum præcisè producens necessariò evanescit, & cum termino facto est inconsistens, ità ut hic ab illo non tantùm separabilis est, sed implicat contradictionem ut simul actu stent. Entitas enim motûs consistit in ipso *fieri* termini, nec opus est novo motu hoc *fieri* amoveatur. Facto enim termino, spontè desinit esse. E contrà, status novus motu illatus, cessante motu, persistere potest in esse. Passum enim non deducitur in alium statum sine novo motu. Unde patet, terminum semel factum non ampliùs pendere à motu quo fit. Motus enim qui præcisè ad aliquem situm terminatur, eo assecuto, peractus est, & per viam simplicis privationis extinguitur. Situs autem permanet, & absque novo (ut dictum) motu naturaliter non variatur. Quare terminus à motu quo causatur est naturaliter separabilis. Tertium quasi conclusio est, Res hoc modo separabiles esse inter se realiter distinctas. Ad realem enim distinctionem rerum id solum requirunt Metaphysici, ut absque miraculo ab invicem separari queant. Vide Suarium Disp. 7. s. 2. Inferendum est, motum actualem à suo termino realiter distingui.

A partim fiente, partim facto.

30. Quod ad terminum partim fientem, partim factum, attinet, is eodem modo à motu quo fit, quo terminus factus à sua causatione, distinguitur, hoc est, realiter. Cùm enim in entitate sua terminum factum partim includat, actionem prævalentem & motum actualem, ut causationem suam, necessariò præsupponit : modò autem probavimus motum actualem dare terminum à se realiter distinctum. Utcunque enim terminus hic sit ex parte fiens ; ex eo tamen quòd sit ex parte quoque factus, exsistere potest cessante suâ causatione, nec destruitur absque alio motu. Cùm igitur naturaliter potest à sua causatione separari, est quoque ab eadem realiter distinctus.

Communitates & differentias harum operationum & terminorum iis respondentium hactenus prosecuti sumus. Supersunt nonnullæ difficultates de actionis subjecto, necnon de ejusdem specificatione, strictiùs examinandæ ; & demum deveniendum est ad tertiam propositionem suprà propositam,

Terminum

Terminum nec realiter nec ex parte rei à ſua dependentia conjuncta aut à ſua inhærentia differre. Sed hoc Caput jam prolixius eſt; reliqua in ſequentibus exſpectanda.

Cap. XXI.

An Actio ſit aliquid in agente; & quidnam ſit.

Quanquam ſententia noſtra de ſubjecto actionis ex dictis ſuperiore Capite haud difficulter eliciatur: quòd tamen nonnullæ difficultates vixdum ſatis evolutæ reſtent, viſum eſt aliquot Quæſtiones ex profeſſo hîc reſumere; & primò, An actio ſit aliquid in agente, nécne.

Quæ actiones per effluvia fiunt; quæ non.

1. Ut apertiùs procedamus, ipſo limine eorum opiniones qui actiones per effluvia, cum eorum qui per ſolam impreſſionem paſſionis & motûs ſeu nisûs movendi, perfici volunt, inter ſe conferendæ ſunt. Inprimis verò ſciendum eſt, ex neutra harum ſententiarum actiones ſimpliciter omnes per effluvia fieri, ſed nonnullas duntaxat, eáſque maximè activas & vigoroſas: ut, primò, eas per radios projectos, ut per lumen ſolis, ignis, cujuſvis corporis lucidi, ut & fortaſſe impensè calidi; ſecundò, eas per effluvia regulariter obliqua, qualia à multis exiſtimantur ea magnetis, electri, necnon fortaſſe ea quibus perfici creduntur curationes unguenti armarii & pulveris ſympathetici, & conſimiles; tertiò, eas per effluvia vaga ſeu erratica, ut ea morborum contagioſorum, necnon corporum fragrantium aut fœtentium, omniúmque fermentantium, quæ incerto modo huc illuc in & cum aere deferuntur. Quòd verò omnes actiones hoc modo non perficiuntur patet, 1. quòd multa corpora agant per totam ſuam molem, ut gravia deorſum prementia, venti ſecum obvia quæque obliquè rapientes, flumina, &c. 2. quòd multa per qualitatem aliquam, ut dura per duritiem, aſpera per aſperitatem, acuta per aciem cæſim, per aculeos punctim, &c. 3. per adhæſionem, ut gluten, cæmentum, cera, &c. Sed non exſpectandum eſt ut omnes actiones, aut omnium genera, cùm propè infinita ſint, hîc percurramus: id tantùm agimus, ut innoteſcat diſſertationem

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 335 sur 591

©BIUM

nem de actione, in priore Capite habitam, quatenus ea paſſionem immediatè infert, (etiamſi fortaſſe omnes actiones ad eandem normam non fiant,) non eſſe parergam.

Quæ per effluvia in agente accipiunt.

2. Inſuper qui actiones per effluvia peragi contendunt, in partes adhuc abeunt. Sunt qui putant effluvia ipſam ſubſtantiam paſſi ſubire, eámque immutare: alii ſubire tantùm poros arbitrantur. Utrùm verò effluvia exeant per poros, an per ſubſtantiam, & ſimiliter an ingrediantur per poros, an per ſubſtantiam, accuratè hîc definiendum non eſt. Hoc ſaltem certum eſſe opinor, permeationem frequenter fieri per poros: quanquam ſubitionem per ſubſtantiam, impoſſibilem non putem. Verùm ſive per poros ſive per ſubſtantiam effluvia pervadant, certum eſt, non exire è corpore à quo oriuntur ſine actione & motu in eodem priùs excitato. Qui ergò hoc modo actiones exponunt, neceſſariò tenentur eas in agente agnoſcere. Si dicant eaſdem, quatenus in agente, non eſſe tranſeuntes, ſed immanentes; regerendum eſt, effluvia non eſſe ipſam actionem formalem, ſed ad ſummum eſſe inſtrumenta quibus agens principale ad agendum utitur. Quare actio & motus quibus effluvia cientur & emittuntur vel habenda ſunt pro actionibus tranſeuntibus, vel actiones tantùm effluviorum dicendæ ſunt tranſeuntes. Mihi enim dubium non eſt, in hac emiſſione effluviorum veras actiones tranſeuntes dari; cùm certiſſimum ſit, corpora, in quæ effluvia incidunt, ab iis pati. Vel ergò actio effluviis, vel eorum principio, tribuenda eſt: ſed profectò non illis, & conſequenter huic. Actio enim evidentiùs ideam agentis principalis quàm effluviorum in ſe continet: ut patet in radiis viſivis, qui deferunt ideam objecti emittentis, aut etiam reflectentis, non autem ſuiipſius. Quare effluvia emiſſa in ſe deferunt actionem tranſeuntem agentis principalis. Etenim ſi ſuam actionem in paſſum deferrent, ſuam ideam in idem æquè efficaciter imprimerent: quod non uſu fit. Quare effluvia emigrantia, inſtrumenta ſunt quibus agens principale ſuam actionem in paſſum inurit: & conſequenter, hæc actio priùs aliquid erat in agente quàm paſſo communicabatur. Si dixeris, actiones quas deferunt effluvia eſſe in his, non in agente; reſpondendum eſt, ſatis eſſe, fuiſſe aliquid in agente, & eidem etiamnum continuari continuato effluxu. Sed urgebis,

gebis, ex conceſſis, actionem hanc non denominare principale agens ut ſubjectum, ſed ut originem & cauſam. Manifeſtè enim ſubjectatur in effluvio donec in paſſum propagatur, & ſaltem denominat principium poſtquam ex eo egreſſa eſt. Reſpondeo, *terminum à quo* hujus actionis fuiſſe primò in principali agente, & ex eo in & cum effluvio emigrâſſe: quia verò *terminus à quo* continuatâ ſucceſſione tranſeunti actioni unitur, denominat ſuum principium, ut ſubjectum primæ ſuæ partis ſeu *termini à quo*, cui tota actio continuatur, & per quem ſpecificatur. Fateor itaque hîc, ſubjectum dupliciter accipi, vel pro ſubjecto alicujus totius actionis, vel pro ſubjecto principalis partis ſeu *termini à quo* ejuſdem. Priore modo actio per effluvium tranſiens eſt in effluvio, & indè in paſſum traducitur: poſteriore eſt in agente principe, in quo ejus primus & ſpecificus terminus fundatur.

Effluvia per poros egredientia:

3. Porrò, qui putant agentis effluvia poros tantùm, non ſubſtantiam, paſſi penetrare, neceſſum habent agnoſcere actionem immediatè in paſſum recipi ut paſſionem accidentalem, non ut ſubſtantiam effluentem ab agente. Effluvia enim ſecundùm hanc ſententiam non ſubeunt ſubſtantiam paſſi, ſed duntaxat per poros & per contactum in poris ei approximantur. Neceſſe eſt ergò, ſi effluvia actionem agentis principalis deferant, eam ut accidens, non ut ſubſtantiam, in paſſum influant. Quare horum ſententia omnium actionum ultimam explicationem nomine accidentium poſtulat; quemadmodum in ſuperiore Capite fecimus. Nec opus eſt horum gratiâ alia actionum expoſitio quàm accidentalis exſpectetur. Sola igitur ſententia eorum qui ſubſtantialem effluviorum penetrationem ad actionem tranſeuntem peragendam exigunt, actionibus accidentalibus opponitur. Imò horum ſententia vix ſuſtineri poteſt, ſi ipſam effluviorum ſubſtantiam eſſe formalem actionis rationem velint. Subſtantia enim eorum pura facit tantùm mixturam, & ab actione illata clarè diſcriminatur. Fateor quidem, effluvia actionem agentis quam in ſe continent in paſſum indere, ſed non ut ſubſtantiam, atqui ut entitatem accidentalem ab extrà venientem. Adeóque tandem vindicavimus ſuppoſitionem prioris Capitis, in quo actiones tranſeuntes creaturarum ut accidentia

per ſubſtantiam.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 337 sur 591

©BIUM

dentia ab agente in paſſum illata tractantur. Nec neceſſum eſt his opinionibus ulteriùs hîc immoremur.

Quo ſenſu actiones ſunt in agente.

4. Preſſiùs jam accedendum eſt ad actionis tranſeuntis inhærentiam in agente examinandam. Dicendum non eſt, actionis eam partem quæ in paſſum imprimitur adhuc in agente inhærere, quod ſolùm argumenta adverſæ partis concludunt: ſed ſtatuendum eſt, actionis aliquam partem (nempe ejus primam & ſpecificantem partem) à qua tota propagatur, ſeu ejus terminum, nimirum *à quo*, ut ſuprà explicuimus, cui tota actio ut dependens continuatur, in agente inhærere. Etſi hæc aſſertio videatur in ſuperiore Capite ſatis probata, aliquid tamen hîc addendum eſt, ſed ſtrictiùs & magis ex profeſſo. Tria argumenta à Suario Diſp. 48. ſ. 4. nº. 3, 4, 5. ex parte Cajetani contra ſententiam ſuam adducuntur: quibus ſigillatim reſpondet eâdem ſectione, nº. 15, 16, 17. Reſponſa ex parte fortaſſe vera ſunt, ſed ex parte tantúm.

Cajetani argumenta expenduntur. Primum.

5. Primum argumentum eſt, *actionem eſſe accidens, & conſequenter inhærere in ſubjecto, atque adeò in agente, cùm potentiam aliquam agentis actuet.* Reſpondet Suarius, *actionem, ut ſic, dici analogicè accidens, & ideo non oportere ut dicat propriam habitudinem inhærendi alicui, ſed emanandi ab aliquo*, &c. Nolumus diſſertare de modo loquendi. Concedimus itaque Suario actionem eſſe rem ab aliis accidentibus multò diverſam, non tamen eſſe accidens analogicum; ſed eſſe entitatem accidentalem, realem, abſolutam, & quidem pernobilem. Concedimus quoque diverſimodè ab aliis accidentibus inhærere; ſcilicet, ſecundùm totam ſuam entitatem, non in uno ſubjecto; attamen ſecundùm principem ſui partem eſſe in agente, ſecundùm alias partes eſſe in paſſo. Ubi verò largitur Suarius, actionem eſſe actum agentis, id quod in quæſtione eſt quodammodo concedit. Actus enim facultatis activæ neceſſariò eſt in eodem ſubjecto in quo eſt facultas; & conſequenter ut hæc in agente eſt, ità & ille. Sed evadere conatur Suarius, dicendo actum hunc non eſſe *inhærentem*, ſed *emanantem*. Cæterùm emanare nequit, quod non ineſt; neque actuare poteſt, quod non agentis potentiæ actu unitur. Actuare enim eſt informare, & conſequenter aliquo modo inhærere; ſed ſaltem inhærere ut terminum à quo, & ut in fluxu ad extrá. Modò inhærere agnoſcat, non moramur. Non enim dicimus inhærere

rere ut terminum finientem, ſed ut inchoantem, ſimúlque actuantem, cauſalitatem agentis. Utpote cauſalitas agentis incompleta eſt & potentialis, donec hic actus advenerit. Hic actus potentiæ activæ eſt *terminus à quo* actio fluit, cuíque continuatur, necnon à quo, quatenus pendet ab agente, ſpecificatur, imò & à quo cauſaliter individuatur. Dices, totam actionem actuare potentiam agentis. Reſpondeo, totam actuare, ſed per principem ſui partem, videlicet, per terminum à quo, cui tota continuatur, & à quo tota quà ab agente dependet. Item totam actionem actuare potentiam, quia actus durante totâ actione durat: neque propterea rectè Suarius indè colligit, actionem quantum ex ſe extrinſecè denominare. Cùm enim ſit actus potentiæ activæ in agente inhærentis, virtute iſtius actûs, cui tota actio unitur, intrinſecè, quanquam non eodem modo quo actio immanens, denominare dicatur. Actio enim immanens intrinſecè denominat reſpectu utriuſque termini, à quo & ad quem, ipſiúſque fluxûs intermedii: actio autem tranſiens tantùm ratione termini à quo. Atque hæc contra ſolutionem primi argumenti.

6. Secundum argumentum priori affine eſt. *Si actio non eſt in agente ut in ſubjecto, in nullo ſubjecto erit: At verò hoc repugnat*, &c. Reſpondet Suarius, *non eſſe inconveniens aliquam actionem tranſeuntem in aliquo ſubjecto non eſſe, ſed tantùm in termino.* Puto eum loqui de actione creationis, de qua ſuperiore Capite vidimus: hîc ſolas creaturarum actiones expendimus. Sed pergit; *De omni actione, ut actio eſt, diximus, non habere per ſe ac formaliter proprium ſubjectum inhæſionis. Hinc fit ut, licèt mediâ paſſione alicui ſubjecto inhæreat, non tamen illud denominet quatenus actio, ſed quatenus paſſio. Unde etiam actio immanens, quatenus denominat hominem agentem vel operantem, formaliter non concipitur ut inhærens illi, ſed ut ab illo.* Hæc Suarii reſponſio intimam quæſtionis difficultatem movet; quo nimirum modo actiones inhæreant in ſubjecto. Nihil certius eſſe poteſt quàm quòd omnia accidentia ab & in aliquo ſubjecto ſuſtententur. Verùm non neceſſe eſt, in tanta formarum accidentalium varietate, omnes inſint eodem modo. Diſtinguimus itaque inhærentiam in paſſivam, & activam. Inhærentia paſſiva ea eſt cauſatio materialis quâ paſſiones, motus & termini facti in ſuo ſubjecto ſuſtentantur. Formæ efficientes ſeu

Secundum.

©BIUM

seu qualificantes, & disponentes ad actionem, hoc modo inhærent. Inhærentia activa ea est causatio materialis quâ subjectum se perficere conatur, & suas activas potentias actuare atque exercere. Formæ hoc modo perficientes sunt actiones sive immanentes sive transeuntes. Quæ omnes sunt vitæ substantialis germani fructus & vitales perfectiones. Nam perficere se est evidens vitæ naturalis indicium, ut ex testimoniis Philosophorum & ratione suprà evicimus. Verùm Suarius videtur non agnoscere inhærentiam activam, at passivam modó. Negat enim actionem nomine actionis habere subjectum inhæsionis. Verùm si ità esset, actio non actuaret potentiam activam, quæ inhæret in agente. Sed urget num. 8°. *non posse intelligi rem aliquam quæ ità sit actio pura, ut per eam nihil intrinsecè factum intelligatur*, &c. Fateor, qui vitam naturæ nescit, vix posse actionem purè ab intus provenientem concipere. Verùm qui mecum vitam naturalem agnoscunt, actiones simul inhærentes & indè transeuntes agnoscere facilè queunt. Positâ enim perceptione, excitatur appetitiva; posito actuali appetitu, excitatur potentia motiva. Quare potentia motiva sopita jacet donec ab appetitu experrecta fuerit. Hæc verò excitatio seu actuatio potentiæ motivæ eadem res est cum actu ejusdem potentiæ, & cum termino *à quo* actionis, ut suprà explicuimus; quæ omnia facilè concipiuntur. Nè quem verò turbet vox ista *actio pura*, sciat nullum potentiæ actum ità purum esse, quin creaturæ conveniat, vel eo ipso quòd sit actus potentiæ, qui eatenus imperfectus est, & non cadit in Deum.

Tertium. 7. Tertium argumentum est, *actionem esse perfectionem. Unumquodque enim est propter suam operationem, quæ est cujusvis rei perfectio.* Huc accedit frequens Divi Thomæ testimonium. Respondet Suarius, negando *actionem esse propriè perfectionem agentis, quatenus perfectio est à forma intrinsecè perficiente. Solet autem dici actio agentis creati perfectio extrinseca, quatenus ejus perfectio quodammodo ad alia extenditur; quod in rebus habentibus limitatam perfectionem censetur pertinere ad quandam perfectionem extrinsecam earum: sed revera agens ut agens magis declarat perfectionem suam quàm perficitur, nisi ex actione aliquod commodum reportet, vel recipiendo in se terminum actionis, ut in iis quæ agunt actione immanente, vel mediante suâ actione se conservando aut tuendo à contrariis.* Hoc errat Suarius, putat actionem

nem nullam agenti addere formam perficientem. Ab eo igitur quæro, an potentia agendi ſit perfectio. Si ſit, ut negari nequit, quæro iterum, an potentia agendi ſit de ſe perfectio omnibus numeris completa. Non dubium quin ſit incompleta & imperfecta. Fruſtrà enim eſt ea potentia quæ nunquam deducitur in actum. Fieri ergò non poteſt quin id quod potentiam in actum deducat eandem ulteriùs perficiat: ſed operatio potentiam operandi in actum perducit: eſt igitur actus & forma actuans ſeu perficiens potentiam operantis: cúmque ea potentia ſit perfectio inchoata agentis, neceſſe eſt actualis operatio ſit conſummatio ejuſdem. Sed urget Suarius, ſaltem eſſe perfectionem extrinſecam. Revera actionis pars in paſſum propagata, niſi quòd continuetur termino ejuſdem *à quo*, dicatur ſuo modo extrinſeca: verùm quòd tota actio per principem ſui partem agentis potentiam ab intus venientem actuet, eſt planè eatenus intrinſeca perfectio. Inſtat adhuc Suarius, declarare modò agentis perfectionem. Fateor nobiles actiones tranſeuntes eſſe evidentiſſima intrinſecæ perfectionis indicia: non tamen propterea ſequi, eſſe tantùm indicia. Multæ enim affectiones perfectiones ſunt, ſimúlque incurrunt in ſenſum: ut temperies moderata, juſta partium proportio, quæ internæ perfectiones ſunt, ſimúlque, quatenus in ſenſum incurrunt, ſubjecti internam perfectionem declarant. Quod ad ſententiam D. Thomæ attinet, mihi pluſquam probabile videtur, eum conſtanter actionem in agente ponere, cùm Suarius nullum ejus locum in quo diſertis verbis id negat adducere potuerit. Etenim conatur tantùm probare fuiſſe ſententiam Ariſtotelis, & indè infert, fuiſſe quoque ſententiam Divi Thomæ. *Nunquam enim* (inquit) *ſolet Ariſtotelem deſerere in iis quæ purè philoſophica ſunt.* Hoc argumentum faciliùs fortè admitteretur, niſi D. Thomas ipſe contrarium paſſim teſtaretur. Atque hoc etiam quodammodo fatetur Suarius, dicendo, *ejus teſtimonia eſſe difficilia:* deinceps verò evaſiones varias quibus parti ſuæ in eludendo Divi Thomæ apertas dictiones ſubveniat, enumerat.

8. Adhuc ſuperſunt Objectiones quibus Suarius ſententiam ſuam firmare conatur; quas ille ad duo capita revocat. Primum eſt, *Actionem non realiter diſtingui à termino.* Cui ſatiſ- *Satisfit objectionibus Suarii.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 341 sur 591

©BIUM

faciendum in proximæ Quæſtionis eventilatione, ad quam ſpectat. Alterum caput eſt, *Actionem non fluere ab agente per aliam actionem, ſed per ſeipſam. Non ergò ità fluit ex eo, ut in eo maneat.* Si enim per ſeipſam fluat, quî fiat ut ſimul per ſeipſam maneat? Reſpondeo, verba iſta, *per ſeipſam fluere*, dupliciter accipi poſſe. Vel enim ſonant, non fluere per aliam diſtinctam actionem; vel, unam partem actionis eſſe nullo modo cauſationem alterius ejuſdem. Priore modo verum eſt, unam actionem non fieri per aliam; ſic enim daretur proceſſus in infinitum: verùm poſteriore falſa eſt aſſertio, unam partem actionis tranſeuntis non eſſe cauſationem alterius. Nihil enim abſurdi hinc ſequitur. Quandoquidem non ponimus inter cauſationem, & cauſam proximam, aliam cauſationem, & ſubindè aliam, ut metuamus proceſſum in infinitum: ſed dicimus, ipſum niſum movendi, ſeu vigorationem agentis ad movendum aliud, eſſe actum facultatis motivæ, & ſimul eſſe cauſationem conſimilis niſûs in paſſo, atque adeò termini. Hæc pars prima cauſationis in virtute agentis eſt cauſatio ſecundæ, &c. Infinita autem cauſationum ſeries ſatìs cavetur quando in aliqua prima ſiſtitur. Quoniam verò ſæpius diximus primam partem cauſationis eſſe productionem ſecundæ, & ſic deinceps; æquum eſt ſemel probemus. Dico igitur, actionem totam conſtare ex partibus, non tantùm reſpectu durationis & graduum, ſed & reſpectu extenſionis, diſtinctis. De prioribus non opus eſt hîc aliquid ſubjungamus: de extenſione actionis aliquid omnino dicendum eſt. Si enim non extendatur actio, fruſtrà in partes dividitur: ſin extendatur, eſt proculdubio diviſibilis, & partes continet. Supereſt ergò monſtrandum, actionem eſſe extenſam. Innumeris inſtantiis certare poſſumus. Sol agit in terram: Solis igitur actio ad terram continuatur. Similiter ignis ad aliqualem diſtantiam aſſidentes calefacit. Quare actio ſecundùm longitudinem extenditur. Suppono agens immediatè primam actionis partem producere, & mediante hâc ſecundam, & mediante ſecundâ tertiam, &c. Aliter enim vel dicendum, ſolem agere ad diſtantiam, non agendo in medium; vel ſolis actionem migrare per medium. Attamen neutrum rectè dici poteſt. Nam ponere actionem ad diſtantiam ſine actione media, eſt ponere mutationem ſitûs abſque motu: quod concipi nequit.

Quo ſenſu actio fluit per ſeipſam.

Actionem eſſe extenſam.

Actio

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 342 sur 591

Actio enim, hoc dato, ab agente ad passum distans sine motu transit. Sin dixeris actionem migrare per medium ; vel ut substantia, vel ut accidens, sic migrat. Si ut substantia ; fateor quidem substantiam posse de loco in locum moveri ; sed in hac dissertatione de actione seu causatione accidentali agitur. Sin ut accidens ; non video quomodo migrationem accidentium à subjecto in subjectum vitemus. Si enim actio per seipsam (ut loquitur Suarius) in passum distans fluat, necesse est per seipsam per medium (aut etiam per diversa media inter solem & terram) transeat, priusquam passum ingrediatur. Tutiùs ergò dicitur, agens primam actionis partem immediatè producere, & per eam secundam, &c. Idem quoque dicendum est, si agens & passum sint contigua. Actio enim non sistitur in superficie passi, sed aliquò usque corpus subintrat. Nam ignis ollæ latus sibi proximum primò calefacit, & sensim ejus calefactio profundiùs extenditur, & demum ad oppositum latus pertingit. Fluere igitur (quo sensu actio dicitur fluere) est se in nova materia celeriùs aut tardiùs propagare. Quare prima pars actionis, quæ est nisus movendi, quatenus est in agente, hoc modo se diffundit, nempe multiplicando seipsam in materia proxima, atque adeò in remotiore ; sed non deserendo primum subjectum, aut novum sibi adsciscendo. Nisus itaque agentis in agente natus indè se propagat in passum, consimilem nisum in eo excitando. Fieri ergò nequit quin primus nisus sit causatio sequentis ; sed non ut diversæ actionis, atqui solùm ut diversæ partis sui. Si ergò vult Suarius actionem per seipsam fluere à subjecto in subjectum, aut à parte in partem, aliter quàm se propagando in ea subjecta aut partes, (modo quo declaravimus,) eum directè negamus.

9. Quod ad alteram Suarii clausulam attinet, *Actionem ex agente non ità fluere, ut in eo maneat* ; spectat ad durationem actionis. Dicimus igitur actionem, respectu durationis, non esse de natura sua ens permanens, sed fluens, & hoc sensu rectè dici à Suario actionem fluere, & non manere in agente, nisi per continuam sui renovationem, nempe permanente causâ in actu ; & tunc ejus primam partem quoad durationem, simulac primam partem passionis, & mediante hâc termini in passo, fecerit, desinere esse per simplicem privationem : atque

Quo sensu actio manet in subjecto.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 343 sur 591

©BIUM

idem de ſecunda parte ejuſdem, mutatis mutandis, &c. dicendum eſt. Neque mihi cum Suario in hac re (nempe de duratione actionis) controverſia eſt, niſi quòd inſinuare videatur, adverſarios ſuos velle actionem, finitâ ſuâ cauſatione, adhuc in agente manere: quod negamus.

Agens à non-agente activè variatur.

10. Sed pergit Suarius, *Agens ex eo præcisè quòd agit non movetur*, &c. *quia*, inquit, *agenti, ut agens eſt, per accidens eſt mutari.* Reſpondeo, agens in actione tranſeunte neque neceſſariò movere aliud, neque moveri ſeu mutari; ſed tantùm niti movere aliud. Niti autem nec eſt actu moveri, nec movere, ſiqui em fruſtrari poteſt, ut ſuprà declaravimus. Verùm cùm agens à non-agente in aliqua re differat, neceſſe eſt aliqua variatio agenti ex eo quòd agit adveniat. Ubi ergò dicit Suarius, *agenti per accidens eſſe mutari*, diſtinguenda eſt mutatio in paſſivam, & activam. Paſſiva mutatio non incidit agenti ex eo quòd eſt agens: activa verò & perfectiva ſui omnino agenti propria eſt; quà nimirum agens exſerit ſe, & actuat ſeu exercet potentiam ſuam motivam, cujus actus, ut dixi, perfectio quædam eſt. Verùm quia acquiſitio iſtius perfectionis non ſolet nomine *mutationis* venire, captioſa eſt iſta dictio, *agenti per accidens eſt mutari.* Cùm enim intelligi ſoleat de ſola mutatione paſſiva, non rectè variationi activæ, quæ agenti contingit, applicatur. Agens enim non tam mutatur, quàm ſeipſum mutat & perficit.

Non neceſſe eſt tota actio ſit in eodem ſubjecto in quo eſt terminus.

11. Secundò, urget, nullum terminum actionis manere in agente. Si intelligat per terminum actionis effectum ejuſdem, fateor nullum effectum actionis in agente comparere. Agens enim in actione tranſeunte nititur movere aliud, non ſeipſum. Sin intendat Suarius, nullam novam entitatem in agente ubi ex non-agente fit actu agens reſultare, negamus. Reſultat enim novus actus potentiæ motivæ, qui reſpectu potentiæ eſt actus; reſpectu agentis ut cauſæ, eſt ipſa ejus cauſatio, quæ in aliud paſſionem infert; reſpectu actionis in paſſum receptæ, eſt terminus *à quo*, ſeu eſt prima & originalis pars totius cauſationis agentis, cui tota actio continuatur. Atqui objicit, *non poſſe intelligi rem aliquam quæ ità ſit actio pura, ut per eam nihil intrinſecè factum intelligatur: res enim facta in extrinſeco ſubjecto non poteſt eſſe intrinſecus terminus actionis manentis in alio ſubjecto.* Reſpondeo, ab eo qui judicat actionem

actionem tranſeuntem eſſe modum termini non poſſe intelligi eam eſſe in agente, niſi terminus quoque in eodem ſit. Hoc fortè præjudicium acutiſſimum alioquin ingenium fefellerat. Sed infrà probabimus, actionem non eſſe modum termini. Sed pergit, *actionem per quam nihil intrinſecè factum eſt non eſſe intelligibilem.* Fateor, actionem integram (cùm ſit cauſatio ſeu productio) ſine ullo planè termino ſeu effectu concipi non poſſe. Nos verò omni actioni ſuum terminum aſſignamus. At hoc, inquies, non ſufficit; ſiquidem requirit *terminum intrinſecè factum.* Quid intelligit per [*intrinſecè factum*] ex verbis ſequentibus colligere eſt; nimirum eum velle, *intus in ipſo agente factum.* Sic enim pergit, *rem factam in extrinſeco ſubjecto non eſſe terminum actionis manentis in alio ſubjecto.* Atque hic ſenſus eſt conformis opinioni Suarii, tum quà putat actionem eſſe modum termini, tum quà aſſerit actionem eſſe effectivam cauſationem. Si enim actio ſit in agente, & ſit in agente effectiva cauſatio, fuerit quoque cauſatio effectûs ſeu termini in agente. Argumentum rectè concluderet, ſi actio eſſet modus termini, aut ſi tota actio eſſet in agente: ſed actio tranſiens in agente eſt duntaxat inchoatio actionis, ſeu prima pars ejus, & eſt illatio paſſionis in paſſum, & mediante hâc eſt productio termini. Aliis verbis exprimam. Prima pars actionis tranſeuntis in agente eſt niſus movendi paſſum, qui eſt productio conſimilis nisûs in paſſo, quo fit aliqualis terminus: ità ut prima pars actionis non immediatè, ſed mediante ſecundâ, attingit terminum; tota autem actio eſt immediata productio ejuſdem. Quæres, quo indicio totam actionem non eſſe in agente innoteſcit. Reſpondeo, eo, quòd in actione tranſeunte duo ſint neceſſariò ſubjecta, agens & paſſum. Quare duæ minimùm partes ad hanc actionem requiruntur. Prior in agente, ut hoc intrinſecâ denominatione vocetur agens: poſterior in paſſo, ut terminus in eodem producatur. Si tota actio foret in agente, non attingeret terminum extra ſe in paſſo: ſi tota actio eſſet in paſſo, ea non omnino penderet ab agente. Inciperet enim in paſſo, & nihil ejus in agente præexiſteret unde ab hoc dependentia initium ſumeret. Fruſtrà mihi narras facultatem motivam agentis. Ea enim otioſa foret, ſi nihil entitatis actualis, unde actuaretur, ei accederet. Dic mihi

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 345 sur 591

©BIUM

quomodo facultas quieſcens abſque acceſſu alicujus modi aut actûs actuetur. Si nequeas, concedito actioni tranſeunti aliquid entitatis in agente, ut facultas indè nitatur, & inferat paſſionem, atque eâ mediante edat terminum.

Principium agendi eſt inſufficiens, niſi actuetur niſu movendi.

12. Sed objicit Suarius, *Poſito principio agendi, & effectu ejus, & dependentiâ effectûs à ſuo principio, ſublatâ per intellectum quâcunque aliâ entitate, ſufficienter intelligitur & effectus in actu, & cauſa efficiens in actu: ergò impertinens eſt fingere quandam aliam rem diſtinctam realiter ab effectu, & priorem naturâ illo, quæ ſit actio illius. Nam actio ſolùm ponitur ob cauſalitatem agentis & dependentiam effectûs: ſed hæc intelliguntur optimè ſine illa entitate: eſt ergò gratis conficta.* Reſpondeo, facultatem agendi non eſſe ſufficiens principium alicujus effectûs niſi actuetur; non actuari, niſi nitatur effectum producere. Poſito enim principio potentiali, & qualicunque effectu, nulla erit dependentia hujus ab illo; imò non dabitur ſufficiens relatio effectûs ad tale principium. Dices, Suarium ſupponere actuale principium; ergò neceſſe eſt ſupponat quoque, principium nitens hunc effectum dare. Non enim actu producit, niſi nitatur; dato hoc, paſſio infertur, effectus producitur, & dependentia hujus à ſuo principio ſatis ſtabilitur: nec aliud fingimus, aut opus eſt fingamus. Habemus enim ſufficiens principium, effectum, & hujus ab illo dependentiam, nempe actionem, quâ illud hoc producit. Quare ſpecioſa hæc argumentatio ex falſo ſuppoſito procedit. Nempe ſupponit principium agendi actuale ſine actuali niſu aliud movendi; quod aſyſtaton. Urgeri adhuc contra noſtram ſententiam poteſt, me eo fine partem actionis in agente ponere, ut activam ejus facultatem actuet. Verùm una actionis pars, ubi tota ad facultatem actuandam requiritur, non ſufficit. Aliter enim facultas, partis tantùm actionis, & partis termini, cauſa fuerit. Reſpondeo, totam actionem actuare facultatem, ſed mediante primâ parte, quòd prima actionis pars ſit productio ſecundæ, & hæc tertiæ, &c. Mediante igitur primâ parte, facultas eſt totius actionis, ipſiúſque termini, cauſa. Si enim *cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati*, multò magis cauſatio cauſationis eſt cauſatio termini. Utpote cauſa cauſæ in productione effectûs operatur per principium intermedium; at cauſatio cauſationis non per tale principium, ſed per partem ſui

ſui à ſe productam, ſibique continuatam, effectum attingit. At verò ſi nulla actionis pars ſit in agente, neceſſe eſt tota facultati ſit extrinſeca, & ab eadem independens, nec agens à non-agente intrinſecè differat. Totum ergò quod à Suario poſtulo eſt, ut actio ſit ſaltem aliquid in agente: dabo illi viciſſim, impoſſibile eſſe ut tota ibi ſit. Nam quî diceretur tranſire, ſi nulla ejus pars in paſſum exciperetur?

Actus ſeu niſus lucendi eſt in ſole.

13. Tertiò, arguit Suarius ab actione ſolis in illuminatione. *Per ſe* (inquit) *eſt incredibile, quòd, ut ſol illuminet aerem, priùs neceſſariò fluat à luce ſolis alia res vel modus, qui in ipſo ſole maneat, ipſumque aliter afficiat. Quorſum enim fingitur talis entitas? aut quod eſt indicium ejus? aut in qua potentia ipſius ſolis talis actus recipitur? Sicut enim actio ſolis, quæ eſt illuminatio, fluit à luce ſolis; ità ſi ab ipſa flueret in ipſum, deberet proximè recipi in ipſamet luce: nam ſicut ſol illuminat quatenus lucidus eſt, & ideo illuminatio procedit formaliter à luce; ità ſol conſtituitur actu illuminans quatenus lucidus eſt: ergò ſi illuminatio conſtituit actu illuminans manendo in illuminante proximè, immediatè manebit in luce ejus, illam conſtituendo in actu ſecundo, ſicut viſio manet in viſu.* Reſpondeo, de lumine dubitari poſſe an fiat per effluvia, an per motum quendam ſtriationis à luce fluentem, & in corpus diaphanum impreſſum. Priore modo, ex evidentia terminorum liquet, effluvia priùs in ſole exſtitiſſe quàm ex eo effluebant. Cùm enim, ſecundùm ſententiam hanc, luminoſi radii ſolis ſubſtantiales ſint, & non ex nihilo fiant; neceſſe eſt è ſole egrediantur, & conſequenter in eo priùs fuerant. Nulla enim difficultas vetat migrationem ſubſtantiarum de loco in locum, cùm ſuo marte ſubſiſtant: Accidentia verò nequeunt ſic migrare, quòd ſint modi alterius à quo eſſentialiter dependent. Poſteriore modo, illuminatio ſumitur ut entitas accidentalis, & non migrat è ſole in corpus diaphanum proximum, ſed, in eodem, motu generatur; ità ut lux non tantùm potentiam illuminandi dicat, ſed & actualem niſum radios lucis quoquoverſus ſpargendi. Hic niſus actuat potentiam illuminandi, & eſt prima pars ſeu terminus *à quo* totius illuminationis, ſeu totius actionis. Eſt autem actus lucis, viz. facultatis lucendi in ſole; & eſt prima cauſatio luminis in æthere. Niſi enim eſſet in ſole niſus radiandi, nullos radios extra ſe emitteret. Quare niſus diffundendi

©BIUM

dendi radios, in ſole, eſt actuatio lucis, & eſt motus ejuſdem rationis cum eo radii luminis, niſi quòd ſubjecto & vigore diſtinguantur. Hoc palàm fit ex luce lunæ, quæ nihil aliud eſt niſi lumen ſolis à corpore opaco lunæ reflexum: item ex lumine in nube collecto, quod lucis quoque ſpeciem præbet. Evidentiſſimè autem idem confirmatur ex luce & lumine lucernæ. Hoc enim, necnon illa, ſuppreſſo libero motu flammæ, illico extinguitur: ut ex admotis cum flamma ventoſis ut & ex applicatione vaſis pyramidalis vulgò ad extinctionem candelæ comparati, aut etiam ex temerario emunctorii uſu, aut denique ex qualicunque alia arcta flammæ compreſſione, ſatis innoteſcit. Hiſce jam viſis, ad argumentum Suarii reflectamus. Totum procedit ex errore & falſa ſuppoſitione. Supponit adverſarios ſuos aliam rem aut modum luci addere, ſeu affingere. Sed hi ſupponunt lucem componi ex potentiali lucendi principio & actuali: hoc verò nihil aliud eſſe niſi niſum actualem diffundendi radios lucis; hunc eſſe in ſole, & eſſe actum lucis, & cauſationem luminis, & eſſe primam partem totius actionis, ſeu totius illuminationis. Lucem denique non eſſe actuale principium lucendi abſque hoc niſu radiandi: eo autem dato, nihil aliud in ſole requiri. Jam procedat. *Quorſum fingitur talis entitas?* Nulla fingitur. *Aut in qua potentia ſolis talis actus recipitur?* In potentiali principio lucendi, cujus actus cum potentiali lucem actualem conſtituit. Lux enim in entitate ſua includit niſum lucendi ut actum ſuum, & ut primam partem totius illuminationis. Lux ergò non eſt mera potentia lucendi, ſed ſimul actus, & in ſe primam partem totius actionis illuminandi, nempe ipſum niſum radiandi, complectitur; qui niſus eſt productio primi luminis extra ſolem, hoc ſecundi, &c. Motus ergò lucis de ſe propagat motum luminis, & eſt terminus à quo ejuſdem. Quare niſi talis actus ſeu niſus radiandi eſſet in ſole, nec lucem actualem in ſe contineret, nec lumen extra ſe produceret. Sol enim non duabus actionibus, primò lucem in ſe concipit, dein lumen emittit; ſed eâdem actione motûque ſui utrumque edit. Unde ſequitur, actum lucis eſſe ipſam cauſationem luminis, & primam principem partem totius actionis illuminandi, cui lumen ut ſecunda pars totius actionis continuatur. Non autem

rectè

rectè infert Suarius, lumen manere in ſole. Manet enim in æthere; ſed continuatur luci ſolis ut pars ejuſdem actionis. Tribuitur itaque ſoli ut pars luci continuata, nempe ut una actio cum niſu lucendi, quæ totius illuminationis pars princeps eſt, & in ſole inhæret. Non ergò rectè infert Suarius, illuminationem aeris eſſe receptivè in ſole & luce. Non enim eſt; ſed eſt quaſi eminenter, ſeu per principem & originalem totius actionis partem, in ſole, cui tota actio effluens (lumen quippe totum in aerem diffuſum) unitur. Atque adeò argumenta Suarii contra noſtram aſſertionem, *actionem eſſe aliquid in agente*, adducta ſolvimus. Ad alteram Quæſtionem priùs motam jam deveniendum eſſet, ſed in proximum Caput differimus.

Cap. XXII.

Utrùm Terminus Actionem, an Actio Terminum, aut quid aliud utrumque ſpecificet.

1. UT in hujus Quæſtionis examine feliciter procedamus, ipſo limine quid ſit *ſpecificare* inquirendum eſt. Non mihi dubium eſt quin *ſpecificare* ſit in genere, *rem ad ſpeciem contrahere ſeu determinare, atque adeò ab omnibus aliis diſtinguere.* Dupliciter hoc fit, vel *conſtitutivè*, vel *effectivè*. *Conſtitutiva ſpecificatio* fit per ipſam eſſentiam, quæ conſtituit rem in ſe, & diſtinguit ab omnibus aliis, hoc eſt, ſpecificat. Enimvero per id ipſum per quod res eſt, ab omnibus aliis diſtinguitur. Eſſentialis hæc ſpecificatio non videtur ea quam quærimus. Ipſe enim Suarius aſſerit, & efficaciter probat, (ut ſuprà vidimus) *actionem à ſuo termino ex parte rei diſtingui*; & conſequenter, neque hunc eſſe eſſentiam illius, neque illam hujus. *Effectivè ſpecificare* eſt, efficere totam eſſentiam rei ſpecificatæ, & per eam ab omnibus aliis diſtinguere. Efficiens cauſa, cujus virtute totus effectus activè producitur, hoc modo ſpecificat. Similiter concurſus cauſarum efficientium, ſive cooperantium, ſive ſubordinatarum, ſive inter ſe luctantium, necnon efficiens cum inſtrumentis ſuis, ſi ullus ex his totum

Quid ſit ſpecificare.

Specificatio duplex. Conſtitutiva quid.

Quid effectiva.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 349 sur 591

©BIUM

effectum edat, eum quoque ſpecificat. Impoſſibile enim eſt totum effectum cauſare, & eundem in nulla ſpecie conſtitutum producere. Nulla verò cauſa, aut concurſus cauſarum, cum vel ſine inſtrumentis, niſi totum effectum procreet, eidem hoc genus integram ſpecificationem largiri poteſt. Cùm enim hæc ſpecificatio in integra ſeu completa rei productione conſiſtat; neceſſe eſt, claudicante productionis integritate, unà claudicet ſpecificatio; & cauſis complentibus productionem, complementum quoque ſpecificationis debeatur. Sit ergò hoc ratum, *cauſam efficientem in tantum ad effectivam termini ſpecificationem concurrere, in quantum ad ſpecificæ eſſentiæ ejuſdem productionem contribuit.* Verùm tripliciter hæc ſpecificatio efficienti tribuitur; vel directè, vel mediante facultate, vel mediante actione ſeu cauſatione ejuſdem. Directè tribuitur cauſæ efficienti, ut *ſuppoſito* ſeu vero *principio quod* operatur; facultati, ut *principio quo*, nimirum in quo peculiaris & propria ratio cauſandi continetur & exprimitur; actioni ſeu cauſationi, ut *medio exſecutionis*. Quare ſive dicimus facultatem, ſive actionem, hoc eſt, cauſationem, producere aut ſpecificare effectum, intendimus efficientem cauſam mediantibus illis hoc præſtare; juxta vetus dictum, *Actiones ſunt ſuppoſitorum.*

Solum agens primam partem actionis ſpecificare.

2. Hiſce jam definitis, procedimus ad ſpecificationem actionis: & quoniam eam ſuprà in duas partes diviſimus, quæro primò, quid primam actionis partem in agente, nempe *niſum movendi paſſum*, ſpecificat. Exiſtimo ſolum agens hoc efficere. Ratio eſt, quia ſolum agens hunc niſum in ſe ſuſcitat, neque ad eum ſuſcitandum aliâ re aut causâ extra ſe opus habet: ſuâ enim perceptivâ appetitivam ſatis irritat, & hâc ſuam motivam, ad ſe actuandam. Actus autem motivæ facultatis eſt niſus movendi paſſum. Quare facultas immediatè & per ſeipſam hunc niſum exſerit. Imò non eſt ſufficiens facultas motiva, ſi, ad agendum incitata, nè niti quidem poſſit. Non ergò mihi dubium eſt quin prima pars actionis, ſeu primus niſus movendi paſſum, à ſola motiva facultate agentis proveniat. Cùm ergò agens totam entitatem huic parti actionis largiatur, neceſſe eſt eam quoque ſpecificet. Fateor dari aliquando cauſas ſocias; ſed primus earum niſus eſt cuilibet proprius. Si putes paſſum aut terminum ipſum aliquid ad hanc ſpecificationem conferre, falleris. Paſſum enim

enim nondum ſupponitur in agens inſurgere, ſed totam hujus primi nisûs vim pati. Aliter enim agens & paſſum commutaverint vices, & agens paſſum fuerit in ipſa eductione primæ partis actionis ſuæ: quod abſurdum eſt. Nam niſus hic movendi eſt in agente, & paſſum ſupponitur adhuc quieſcere, donec ab agente irritetur. Non ergò concurrit cum agente in hac prima actionis parte elicienda. Quin &, hoc dato, id incongruitatis ſequeretur, paſſum cum agente in inferenda paſſione in ſeipſum conſpirare. Denique, gratis hoc objicitur, & præter mentem omnium auctorum. Supereſt tantùm terminus, qui ad hujus primi nisûs eductionem ſe concurrere cum agente prætendère poteſt. Attamen neque hoc dicere auſus eſt quiſquam. Terminus enim eſt ordine naturæ poſterior hoc primo movendi niſu, & cum eo, aut in eo, nullo modo cooperari poteſt. Nihil enim operatur antequam eſt; & terminus nondum eſt. Primus enim niſus movendi paſſum, qui, mediante paſſione, primam partem termini præcisè efficit, partem eam anticipat, & ipſo momento quo emergit, deſinit eſſe. Si dicas, actionem utplurimum continuari: Eſto; ſed continuatur per alias ſuas ſuccedentes partes, quarum quælibet quoque, productâ termini parte ſibi accuratè reſpondente, evaneſcit; ità ut nihil quicquam entitatis ulla pars actionis à termino mutuetur. Cùm ergò terminus nihil ad entitatem primi nisûs movendi conferat, certum eſt, eundem nihil ad effectivam ſpecificationem ejuſdem contribuere.

3. Ad ſecundam actionis partem, quæ in paſſo fit, accedo, quæ eſt *niſus movendi in paſſum illatus*; quæque ſive vocetur actio, ſive paſſio, ſubſtantia rei (ut loquuntur) eadem eſt. De hoc niſu quæritur, à qua re ſpecificetur: ſed quæſtio adhuc videtur ambigua; quòd is niſus poteſt eſſe vel *impotens*, vel *prævalens*. Si de *niſu impotente* quæſtio inſtituatur, puto ſolum agens eum ſpecificare: ſin de *prævalente*, limitatio addenda eſt. Niſus enim impotens, quia motum actualem in paſſo non cauſat, integer & ſine contemperatione in idem admittitur: Niſus verò prævalens reactione nonnihil infringitur. Quòd niſus impotens totus in paſſum excipitur, hâc inſtantiâ monſtratur. Imponatur menſæ plumbi libra una pondo. Ejus niſus deorſum æquivalet ponderi. Menſa, motum

Secundam quoque, ſi ſit actio impotens.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 351 sur 591

©BIUM

tum præcavens, totum hunc niſum patitur. Si enim trutinaveris eam incumbente plumbo, unam libram plùs pendet quàm eodem amoto. Unde patet eam totum niſum plumbi deorſum pati. Quare niſus activus plumbi paſſivum in menſam exceptum ſpecificat. Eſt enim hujus niſus deorſum auctus, ejuſdem ſpeciei & gradûs cum eo illius. Et nihil niſum menſæ deorſum præter niſum plumbi auget. Hic ergò illum ſpecificat.

Sin prævalens, concurrit reactio paſſi.

4. Verùm ſi de *niſu prævalente*, quid eum ſpecificat, quæratur; dicendum eſt, niſum agentis cum reſiſtentia paſſi contemperatum id præſtare. Quanquam enim paſſum niſum movendi ſimplicem totum perpetuò excipit & patitur; ſemper tamen motui actuali atque mutationi indè conſecuturæ reluctatur. Cùm igitur niſus prævalens motum actualem, adeóque mutationem aliquam, paſſo inferat, neceſſe eſt hoc contrà inſurgat; & quando motum nequeat in totum repellere, ſaltem eum, atque unà mutationem inferendam, ſeu terminum motûs, reactione ſuâ moderetur & temperet. Hæc omnia ſuprà ſatis declarantur & probantur. Hoc ſolum addendum eſt, nos hîc tantùm mentionem facere unius efficientis cauſæ. Verùm ſi (quod contingere poteſt) plures cauſæ (ſive ſociæ, ſive ſubordinatæ, ſive principales, ſive inſtrumentales, aut alterius generis,) ad productionem alicujus motûs actualis concurrant, perinde eſt. Unius efficientis vicem ſupplent, & cum renitentia paſſi motum à ſe cauſatum ſpecificant. Quantum verò quælibet earum ad productionem motûs confert, tantum quoque ad ſpecificationem ejuſdem contribuit.

Specificatio actionis & motûs in Scholis idem ſonant.

5. Credibile eſt, Metaphyſicos, qui de actione tranſeunte ſcripſerunt, eam perpetuò intellexiſſe quæ efficaciter motum actualem in paſſo excitat. Etenim nullam mentionem faciunt niſûs movendi, nec, quod ſciam, actionem impotentem aut terminum fientem omnino agnoſcunt. Neceſſe igitur eſt ſtatuant omnem actionem tranſeuntem eſſe prævalentem, & motum actualem in paſſo concitare, & conſequenter terminum factum obtinere. Quare diſputatio Suarii 48. ſ. 3. ubi agit de ſpecificatione actionis tranſeuntis, de ſpecificatione motûs actualis revera intelligenda eſt: ídque ipſe n°. 2. his verbis videtur inſinuare; *Hæc quæſtio in propriis terminis ferè*

ferè eſt ab authoribus prætermiſſa; ſed illam includunt vel ſub communi quæſtione de ſpecificatione motûs ex termino, &c. Hoc ipſum apertiùs aſſerit nº. 4. his verbis: *Idémque videntur ſentire omnes Philoſophi, cùm loquuntur de ſpecificatione motûs ex termino; nam ſub motu actionem & paſſionem includunt.* Quapropter quæſtio hæc de actione tranſeunte quatenus motum actualem in paſſo excitat, abſque quo nullum terminum propriè dictum aſſequitur, intelligi debet. Hoc ex eo confirmatur, quòd Suarius ipſe putet nec actionem tranſeuntem à paſſione, nec paſſionem à motu, ſive realiter ſive ex parte rei diſtingui. Quæſtio itaque hæc de ſpecificatione motûs actualis terminíque ejuſdem inſtituitur.

Quatuor ſententiæ de ſpecificatione motûs.

6. De ea quatuor ſententias loco laudato recitat. Prima eſt, *actionem non à termino, ſed à principio agendi, ſpecificari*: ſecunda, *actionem non à principio, ſed à termino, ſpeciem ſumere*: tertia, *ad ſpecificationem actionis tam terminum quàm principium concurrere*: quarta, *præter principium & terminum ad actionis ſpecificationem certum modum agendi requiri.* Hiſce ſententiis quinta addi poteſt, quæ fortaſſe quatuor memoratis evidentior eſt, *Actionem prævalentem ſpecificari præcipuè ab agente, ſed non ſine concurſu & contemperatione reactionis paſſi.* Hæc opinio parùm diſcrepat ab ea primo loco propoſita, quæ communiter creditur eſſe ſententia Divi Thomæ. Veteres enim renitentiam paſſi concretè ſub nomine principii agendi in hac quæſtione incluſiſſe videntur. Nullum enim in ejus tractatione renitentiæ paſſi mentionem faciunt. Veriſimile itaque eſt, eos nomine agentis ſimul reagens, nominéque actionis unà reactionem, complexè comprehendiſſe: quo dato, Divus Thomas à ſententia noſtra non omnino diſſentit. Utcunque ſit, probavimus modò, tranſeuntem actionem eò uſque ſuſpenſam, ut nullum in paſſo actualem motum inferat, à ſolo principio agendi ſpecificari: hîc porrò dicimus actionem, ſi prævaleat, & motum actualem in paſſo excitet, terminum dare ex renitentia paſſi contemperatum. Enimvero agens, quantum poteſt, nititur movere id in quod agit; paſſum, è contrà, ſe ab omni innovatione & motu extraneo vindicare conatur. Hoc enim omnibus corporibus reſpectu motûs ab extrà venientis inditum eſt & naturale. Ergò plùs minúſve motui externo reſiſtunt. Ubi verò motus

Quinta approbatur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 353 sur 591

©BIUM

quem intendit agens ex reactione recipientis infringitur & modificatur, alius ſæpe terminus quàm intendebatur ab agente actu elicitur. Hinc ſol fundit ceram, & indurat lutum. Diverſitas terminorum non ab actione ſolis, ſed à diverſo modo reſiſtendi, ceræ quippe & luti, dependet, ut per ſe manifeſtum eſt. Porrò, ex diverſitate reſiſtentiæ tres ſpecies actionum tranſeuntium exoriuntur. Eſt enim reſiſtentia alia cedens ſeu ſuccumbens niſui agentis; alia ſupprimens ejus motum cœptum; alia abducens agens motu niſui ejuſdem contrario. Quæ ſpecies, ut & varietas actionum reſpondentium, unâ inſtantiâ clarè monſtrari queunt. Sumamus duas plumbi laminas, alteram viginti, alteram triginta librarum; & in bilancem mittamus. Lanx quæ continet viginti libras attollitur, altera triginta numerans dependet. Hæc enim nititur cum victoria; illa nititur quoque, (ut ex tenſione funiculorum liquet,) ſed niſu invalido ſeu triumphato. Injicito itaque in lancem viginti librarum decem alias; videbis ſtatim lances ad æquilibrium redactas, alterutra nititur, neutra vincit. Hoc exemplum non ſolùm tria niſuum, ſed & totidem reſiſtentiæ oppoſita genera, clarè exhibet & probat. Reſiſtentia enim cedens, cum niſu triumphante ſeu prævalente; niſus ſuſpenſus, cum reſiſtentia ſupprimente; niſus triumphatus, cum reſiſtentia abducente agens motu contrario, perpetuò conjungitur. Hinc etiam certò diſcimus, niſum movendi, etiamſi nullum motum actualem edat, eſſe tamen realem entitatem tam in agente quàm in paſſo. Lances quippe, ex æquo libratæ, utrinque realem niſum, ſed ſine motu actuali, patiuntur: Alterutra enim alterius motum actualem præpedit. Hinc etiam clarè diſtinguimus ceſſationem nitendi ab actuali quiete. Lances enim libratæ actu quieſcunt, ſed non ceſſant niti. Tenſi enim funiculi, ut dictum, niſum movendi deorſum non ceſſare demonſtrant; ſimúlque oculus adeſſe actualem quietem teſtatur.

Solum motum actualem producere terminum factum.

7. Hinc porrò colligimus, actionem non producere terminum factum, niſi priùs motum actualem in paſſo inferat. Terminus enim factus, eſt novus ſtatus in paſſo factus, qui ſupponit ſtatum priorem, ut terminum *à quo*: non autem ab hoc termino *à quo* ad oppoſitum *ad quem* pervenire licet abſque

que intermedio motu. Verbi causâ, in motu locali, novus ſtatus eſt novus ſitus, qui non attingitur, niſi agens cauſet paſſum diſtantiam inter ſitum priorem & præſentem emetiri. Hoc probatur ex inſtantia data: ſimulac ſtatera, hinc indè ponderibus æquata, moveri deſiſtit, lances nullum deinceps novum ſitum nanciſcuntur, & conſequenter nullus novus terminus educitur. Cùm ergò agens non producat novum motum, niſi ſuperet priùs reſiſtentiam paſſi, cúmque reſiſtentia paſſi, utcunque ſuperetur, actionem agentis moduletur; neceſſariò ſequitur, eam concurrere ad variationem, & per conſequens ad ſpecificationem, termini. Si exemplis hoc confirmare velis, innumeris potueris. Cochlear enim aquæ citiùs & faciliùs ad ignem caleſcit quàm plenus ejuſdem lebes: ſcilicet ob minorem reſiſtentiam. Spiritus vini facillimè in halitum ſolvitur, paulò difficiliùs aqua, dein ægriùs oleum, (non enim deſtillatur ſine tertio gradu caloris:) his ſubjungas metalla, lapides, terram, vitrum, taleum, aurum purum; quod ultimum ardentiſſimos ignes annum integrum abſque vel minima diminutione ponderis perferre dicitur. Unde evidentiſſimè ad ſpecificationem talis motûs exhalationis non ſolùm requiri actionem caloris, ſed concurrere majorem aut minorem renitentiam paſſi, & ſecundùm eam terminum faciliùs aut ægriùs, aut etiam aliquando non omnino, produci.

8. Verùm Clariſſ. Suarius ad ſpecificationem motûs concurſum inſuper termini requirit: imò primas partes in hac ſpecificatione termino adſcribit. Etenim Diſp. dictâ, ſ. 3. n°. 22. *Ultimò*, inquit, *dicendum eſt, ut quæſtioni propoſitæ in forma reſpondeamus, actionem ſecundùm quandam rationem pendere æquè eſſentialiter atque etiam individualiter à principio & termino; quoad ſpecificationem verò, magis pendere à termino.* Ad priorem partem aſſertionis quod attinet, actionem æquè eſſentialiter pendere à principio ac à termino, non ſine magna cautione admitti poteſt. Primò enim, Actio impotens, hoc eſt, niſus movendi invalidus, præcisè ab actuali motu (quem inferre nititur) ſumptus, revera ab agente, & à ſolo agente, eſſentialiter & activè dependet; à recipiente, paſſivè; ſed nequaquam à termino. Siquidem abſque termino intento actu eſſe atque exſiſtere poteſt, ut ex ſuprà dictis de actione impotente

An terminus ſpecificet motum.

©BIUM

impotente liquet. Secundò, Actio ſumpta ut includens actualem motum paſſi (quo ſenſu puto Suarium accipere) eſſentialiter etiam pendet ab agente, ſed non ab agente ſolo, neque quidem propriè à termino. Suprà enim probavimus, motum actualem partim ab agente, partim à renitentia paſſi, dependere; & mox probaturi ſumus, eundem non propriè pendere à termino.

Negatur, & 3 argumentis refellitur.

9. Quod ad poſteriorem aſſertionis partem ſpectat, eam planè erroneam eſſe arbitror, *actionem quoad ſpecificationem magis à termino quàm à principio pendere.* Si enim probavero actionem non omnino pendere à termino; à fortiore conſtiterit, non magis ab eo quàm à principio pendere. Probatur

Primum.

primò, quia *id quod ordine naturæ prius eſt, nequit ſpecificari aut pendere ab eo quod ordine naturæ poſterius eſt: at actio ordine naturæ prior eſt ſuo termino: ergò.* Major oſtenditur, quòd ſpecificare ſit aliquo modo cauſare, aut inferre ſpecificationem: hoc quoque inſinuat vox *pendere*, quæ tribuitur effectibus reſpectu cauſarum. Quod verò locum cauſæ tenet, ordine naturæ prius eſt ſuo cauſato; alioquin haud æquo ſenſu cauſa audit. Nonne enim ridiculum foret dictu, filiam ſuam periſſe matrem; aut rectè lupum in fabula ovem de turbatione fontis accuſâſſe, quòd ex inferiore rivo bibiſſet? Pari jure poſterius eſſe cauſam ſe prioris ſtatuamus. Etenim quî fieri poteſt ut aliquid ſpecificet aliud priuſquam ipſum eſt? Repugnat enim operari, & nondum eſſe. Sed ut aſſumptionem ſimiliter confirmemus, ſic procedo: Cauſatio ordine naturæ prior eſt effectu cauſationis: at actio eſt cauſatio termini, & terminus eſt effectus actionis: eſt ergò actio prior ſuo termino, & ab hoc nondum exiſtente non ſpecificatur.

Secundum, Actionem ſpecificare terminum.

10. Secundò, probo ſic: *Quod ſpecificat terminum, à termino non viciſſim ſpecificatur: at actio ſpecificat terminum: ergò*, &c. Major evidens eſt. Nam quî fieri poteſt ut aliquid id ſpecificet à quo ſpecificatur? In genere efficientis, efficere id à quo fit, apertam implicat contradictionem. Supponitur enim eſſe, ut faciat aliud; ſimúlque non eſſe, ut ab alio fiat. Similiter in genere cauſæ formalis, nulla forma ità ſpecificat aliud, ut ab eo viciſſim ſpecificetur. Eſſet enim ſimul forma, & materia ejuſdem cujus eſſet forma: quod repugnat. Adhæc, impoſſibile eſt ut actio ſpecificet aliud antequam ipſa in certa

certa ſpecie conſtituatur. Si igitur actio ordine naturæ ſpecie priùs conſtituatur quàm terminum ſpecificet, quorſum opus eſt eadem novam ſpecificationem à termino mendicet? Quin & terminus ipſe nihil aliud ſpecificare poteſt antequam ſuam ſpecificationem recepit. Si ergò actio ſuam ſpecificationem recipiat ab agente priuſquam ſpecificat terminum, quis locus huic reliquus fuerit ſpecificandi illam? Non enim bis ſpecificatur actio, primò, ab agente, ut ſpecificet terminum; (hoc enim munus agenti incumbit;) mox à termino, ut re-ſpecificetur. Dicat mihi aliquis, quod jam in certa ſpecie conſtituitur, quomodo ſine innovatione ſpeciei in eadem iterum conſtituatur? Quare certa eſt propoſitio, Quod ſpecificat terminum, ab eodem non ſpecificatur. Aſſumo, actionem ſpecificare terminum. Intelligo hîc per actionem, actionem prævalentem quatenus renitentiâ paſſi contemperatam: (alioquin enim non eſt ſufficiens cauſatio termini, ut ex dictis patet.) Intelligo, inquam, actionem efficacem, talem nempe quæ infert actualem motum. Aſſero hanc actionem perpetuò ſpecificare aliquem terminum. Impoſſibile enim eſt ut motus actualis paſſo adveniat abſque ſtatûs innovatione. Si enim non inferatur novus ſtatus, paſſum non dimovetur à ſtatu in quo erat; adhuc ergò quieſcit in ſtatu quo priús: ſin ab eo dimoveatur, eſt in novo ſtatu, & conſequenter in novo termino. Cùm ergò motus neceſſariò producat novum terminum, neceſſariò eundem ſpecificat. Quod enim producit quidvis, in aliqua ſpecie id producit, (neque alia productio concipi poteſt.) Duplex autem eſt (ut ſuprà notavimus) ſpecificatio, ſeu determinatio rei ad certam ſpeciem; altera effectiva, altera formalis eſt. Intendimus actionem effectivè ſpecificare, ſeu ad ſpeciem determinare; non autem eſſe formam termini: quin potiùs terminum ipſum eſſe formam ſubjecti, nec aliam formam phyſicam ſibi quærere: ut calefactio eſt cauſatio caloris; calor eſt forma calidi. Ubi ergò quærimus formam calidi, intimam entitatem caloris venamur; quam totam produxerat & ad ſpeciem determinaverat calefactio. Calefactio itaque ignis aquam appenſam formâ calidi, ceu termino motûs ſui, imbuit, nec aliunde ſpecificatio ejus quærenda eſt: niſi fortaſſe velis addere renitentiam paſſi, quam in hac parte hujus Diſputationis nomine actionis,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 357 sur 591

©BIUM

brevitatis causâ, concretè includimus. Cùm ergò actio renitentiâ paſſi contemperata, ut modò explicuimus, terminum ſpecificet ; certum eſt hunc non ſpecificare illam.

Tertium, Actio deſinit ubi terminus incipit.

11. Tertiò, idem confirmatur, quòd actio per privationem deſinat eſſe ſimulac terminum attingit. Cùm enim ſit via ad terminum, hoc comparente, illa diſparet. Dic itaque quomodo à termino ſpecificetur, cùm ipſo momento quo incipit terminus, aut pars aliqua ejus, ea pars actionis quâ fiebat evaneſcat & eſſe deſinat. Dices, actionem nonnunquam facto termino manere. Concedo actionem continuari poſſe, novo jugiter ab agente emanante fluxu activo : verùm hoc eſt idem permanere per novam & continuatam entitatis redintegrationem, non per propriam entitatem ſuâ naturâ permanentem. Actio enim, ut & motus, eſt in continuo fieri, & ceſſante fieri, ceſſat eſſe. Quare quod dicitur de tempore, de actione quoque ſuo modo verificatur, eam de præſenti tantùm eſſe ; quod ejus præteriit, eſſe deſiit ; quod futurum eſt, nondum eſt. Ea enim actionis pars quæ primò cœperat, evaneſcit priuſquam tota actio ad exitum decurrit. Durat itaque actio donec det terminum aut aliquam termini partem : eo autem momento quo terminum aut termini partem attingit, vel ſecundùm totum vel ſecundùm partem reſpectivè deſinit eſſe. Terminus enim ſucceſſivè producitur, aut ſaltem in inſtanti eo modo quo ſuprà explicuimus Cap. 11. n°. 2. Eæ itaque actionis partes quæ prima rudimenta termini jaciunt illico ceſſant, & partibus actionis de novo factis & ab agente continenter fluentibus terminus reliquum complementi ſui ſuſcipit. Cùm enim hæc actio mediante motu operetur, eodem mediante ſuum attingit terminum, eúmque conſequuta defungitur. Quare ut tota actio totum dat terminum, ità pars partem, & illico finitur. Terminus igitur actionem, eo momento quo ipſe incipit deſinentem, ſpecificare nequit : ſed contrà, ut dictum, actio ſpecificat terminum.

Objectio 1. ſolvitur.

12. Perpendamus jam argumenta adverſæ opinionis. Prima eſt, *Si actio à principio ſpecificationem ſumeret, omnes actiones ab eodem principio provenientes ejuſdem ſpeciei forent.* Negamus conſequentiam. Idem enim principium materiale & concretum poteſt diverſimodè agere, & diverſas rationes formaliter diſtinctas complecti : ut, exempli causâ, pomum colore

lore visum, odore olfactum, sapore gustum afficit. Quanquam igitur pomum sit unum materiale principium agendi, distinguitur tamen in plura principia formalia, & secundùm ea diversimodè operatur. Insuper, si operatio sit vitalis, hoc est, si purè ab intus proveniat, non dubium est quin regatur & specificetur ab intus: nimirum, 1. percipiendo quid in specie sit agendum, 2. appetendo id ipsum agere, 3. se movendo ad idem exsequendum. Tantùm excipimus variationem quæ actionibus accidere potest ex varia renitentia passi, aliarúmve causarum sive concurrentium sive repugnantium. Hæc enim omnia sub principio agendi in hoc discursu concretè complectimur. Quo dato, formale principium agendi actionem perpetuò specificat.

13. Secunda ratio à Suario mota est, *Actionem esse communicationem alicujus esse, & viam ad terminum: ergò essentialiter respicit terminum, eóque variato, variatur.* Respondeo, revera variationem termini certò declarare variationem actionis, hoc est, à posteriore manifestare cujusmodi sit: atqui specificatio de qua hîc disputamus est à priore. Jungit enim Suarius istas propositiones, *terminum specificare actionem*, &, *actionem pendere à termino.* Aliter enim me hîc quoque illi conciliâssem, distinguendo specificationem. Est enim duplex, vel à priore, vel à posteriore. Illa vel ab efficiente, vel à causa formali est, ut suprà diximus: hæc ab effectibus formalibus deducitur. Hæc posterior specificatio appellari potest *declarativa*; & hoc modo dicimus arborem cognosci ex fructibus: non quòd, propriè loquendo, fructus arborem in certa specie constituant; sed quòd respectu intellectûs nostri à posteriore speciem arboris manifestent. Si itaque hoc sensu Suarius se intelligi patiatur, ei facilè subscripsero, *terminum certò actionis speciem declarare.* Sed oportet simul concedat, actionem, ut causationem specificationis, terminum specificare. Cùm verò hoc neget, & constanter asserat actionem esse modum termini, ab eóque essentialiter pendere, ab ejus sententia recedere cogor. *Secunda.*

14. Tertia urgetur, *Motum non accipere speciem à termino à quo, sed à termino ad quem:* & consequenter, actionem quoque ab hoc, non ab illo, specificari. Respondeo, actionem & motum non semper eodem modo ad speciem contrahi: sed *Tertia.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 359 sur 591

©BIUM

ad ſpecificationem motûs plus requiri quàm ad ſpecificationem actionis invalidæ, nempe, contemperationem quandam nisûs movendi ex renitentia paſſi; ut ex ſuprà dictis innoteſcit. Inſuper motum ipſum nec à *termino à quo*, nec *ad quem*, (quatenus alteruter ſumitur pro *ſtatu* ſive *à quo* ſive *ad quem* paſſum movetur) ſpecificari: Sin verò *terminus à quo* ſumatur pro formali principio agendi, aut pro prima parte actûs potentiæ activæ inhærente in agente, utrovis modo actio ſpecificatur à *termino à quo*, & ſimiliter motus. Rectè ergò dicit Suarius in hoc argumento, principium agendi comparari ad formam, ut terminum à quo: non verò rectè infert, quia ſtatus à quo paſſum movetur non ſpecificat motum, ergò neque principium agendi eundem ſpecificare. Plurimum enim intereſt inter hos terminos *à quo*, ut per ſe notum eſt.

Quarta. 15. Quarta habetur n°. 7. *Actionem in re non eſſe niſi ipſam formam ſive rem quæ fit, prout egreditur & pendet ab agente: ergò ſi forma quæ fit ſit ſpecie diverſa, etiam actio erit ſpecie diverſa.* Reſpondeo, Suarium ipſum non putare nullam eſſe differentiam inter actionem & formam ab actione factam. Namque totâ ſectione 2. hujus Diſputationis contrarium probat, ſcil. omnem actionem, etiam immanentem, à ſuo termino differre. Quare intendit actionem non realiter, ſed tantùm ex natura rei, ſive ut modum, à termino differre. Paſſim enim actionem eſſe ſui termini modum aſſerit. Verùm de hac re proximo Capite videbimus. Interea loci dicimus, actionem eſſe modum agentis, aut etiam paſſi, ſed non termini. Realiter enim ab hoc ſeparabilis eſt, non tantùm in actionibus impotentibus, ſed & in efficacibus, ſimulac terminus completur. Emergente enim hoc, illa evaneſcit & eſſe definit.

Quinta. 16. Ultima eodem loco ſequitur, *Actiones ex terminis ad quos tendunt habere contrarietatem & repugnantiam: ideo enim frigefactio & calefactio contraria ſunt, quia termini ad quos tendunt ſunt contrarii.* Reſpondeo, quicquid contrarietatis in terminis reperire eſt, à motibus contrariis primò profluere. Si enim motus quicquid in paſſo de novo eſſe incipit efficiat; certum quoque eſt, eundem differentias, oppoſitiones & contrarietates terminis inter ſe conferre. Ubi ergò Suarius aſſerit, terminos dare contrarietatem motibus; nos invertimus, & dicimus contrarios motus contrarios efficere terminos. Motus

tus enim quicquid iis ineſt efficit, & conſequenter quicquid contrarietatis aut oppoſitionis. Porrò, contrarietas propriè eſt pugnantium aut certantium; at luctatio eſt motuum oppoſitorum, aut actionum repugnantium, quibus omne certamen peragitur. Etenim quæ quieſcunt non propriè certant. Dices, albedinem & nigredinem eſſe contraria. Attamen dubito an in tenebris ſint actu contraria; in luce verò contrario modo agunt in oculum, & indè actu contrariari dicuntur. Contrarietas ergò priùs in motu eſt, & poſteriùs in terminis motûs. Huc etiam referamus quod ſubjungitur, *actiones à terminis recipere communem denominationem, ut calefactionem à calore*, &c. Reſpondeo, cauſas & cauſationes rectè denominari ab effectis, non quòd accipiant naturam aut ſpeciem ab iiſdem, ſed quòd naturam & ſpeciem iis impertiant. Atque hæc de præſente Quæſtione.

Cap. XXIII.

Utrùm Terminus ex natura rei à ſua Dependentia aut Inhærentia, an ratione tantùm, diſtinguatur.

1. Quid per Terminum intenditur, ex ſuprà dictis ſatìs innoteſcit: quid verò per Dependentiam, vixdum ſatìs expoſuimus. Suarius putat termini dependentiam in re nihil aliud eſſe niſi actionem, & hanc eſſe ipſam cauſalitatem efficientis. Quoad poſteriorem aſſertionis partem haud multùm ab eo diſſideo. Fateor enim actionem eſſe niſum movendi ſeu efficiendi aliquid. Ille dicit, *agere* eſſe *efficere*: Ego, *agere* eſſe tantùm *niti efficere*. Actio enim fruſtrari poteſt, ut ſuprà probavi; quo caſu agens nititur, ſed ejus actio inefficax eſt: inefficax, inquam, reſpectu termini ab agente intenti; non reſpectu termini fientis, ſeu debilitatis qualiſcunque reſiſtentiæ paſſi, quam perpetuò infert. Sed hæc differentia tantilla eſt, ut vix digna ſit in quam plura erogemus verba. Ad priorem partem aſſertionis veniamus, & perpendamus, an reipſa actio & dependentia termini actionis idem ſint. *An actio & dependentia idem ſint.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 361 sur 591

©BIUM

Tria fundamenta Suarii excutiuntur.

2. Opinatur Suarius, actionem in re nihil aliud eſſe niſi termini dependentiam ab agente, & hanc eſſe modum termini. Ejus fundamenta tria ſunt. 1. Actionem nec eſſe in agente, nec eſſe modum agentis. 2. Unicam entitatem mediam inter agens & ſuum terminum intervenire, eámque eſſe viam ad terminum; diverſis autem nominibus inſigniri: appellari actionem, reſpectu agentis; paſſionem, reſpectu recipientis; cauſationem, reſpectu efficientis; ſuſtentationem, reſpectu ſubjecti; ipſum fieri & dependentiam, reſpectu termini. 3. Dependentiam eſſe modum termini, & potiùs termino quàm agenti ſuam ſpecificationem debere. Hæc fundamenta ex profeſſo jam excutienda ſunt: ſed nonnulla de primo & ultimo ſuprà advertimus, quæ hîc non eſſe repetenda duco.

Quo ſenſu actio eſt in agente.

3. Primò, ſupponit Suarius actionem nec eſſe in agente, nec eſſe agentis modum: nos verò ſuprà probavimus actionem eſſe aliquid in agente; ſcilicet eſſe niſum movendi, eúmque niſum eſſe actum potentiæ motivæ agentis, adeóque eſſe modum ejuſdem, & primam activæ cauſationis partem, à qua tanquam à cauſali fonte ſeu termino à quo tota actio dimanat, cuíque continuatur. Non autem negamus, partem actionis in paſſum propagatam eſſe in paſſo; ſed conſideratam quatenus ſubjectivè paſſo inhæret eſſe paſſionem: principem verò & radicalem actionis partem eſſe in agente, non ut terminum ultimum aut effectum, ſed ut cauſationem ab intus in agente oriundam, & indè in paſſum continuò propagandam; & continuari quidem actioni in paſſum propagatæ, ut parti ſuæ à ſe dependenti. Comparamus itaque potentiam activam effigiei ſigillo inſculptæ, cujus niſu (aut ſaltem reniſu) movendi, ſimulachrum ceræ imprimitur. Sigillum quieſcens potentialis eſt & manet; ſed actu nitens ſe movere, aut ceræ renitens, eam facilè cedentem ſigillat. Niſus movendi (aut reniſus) actu excitatur in ſigillo priuſquam effigiem quam gerit ceræ impertit. Quare niſus movendi eſt primò modus ſigilli, & actus ejus; dein modificat ceram. Nam abſque hoc actu ſeu modo in ſe, ideam potentiæ ſuæ in aliud non tranſfert. Statuimus itaque actionem eſſe aliquid in agente præter nudam agendi potentiam, & eſſe actum iſtius potentiæ, ſeu eſſe actualem niſum movendi paſſum: atque hunc niſum eſſe

eſſe modum activum agentis, quo à ſe non nitente clarè diſtinguitur. Sed hæc omnia priùs fusè probavimus. Inferendum itaque eſt, primum Suarii fundamentum invalidum eſſe.

An actio emanet per ſeipſam.

4. Secundum variis in locis explicatur; ut Diſp. 13. ſ. 9. nº. 5. item Diſp. 18. ſ. 10. nº. 8. Diſp. 20. ſ. 5. nº. 10. item Diſp. 48. ſ. 1. nº. 15. Verùm ſectioni nonæ Diſputationis 13. ſuprà Capite decimo ſatisfecimus. Diſp. 18. ſ. 10. conatur oſtendere actionem eſſe ipſam cauſationem efficientis, eámque ab agente manare per ſeipſam, & non produci per aliam cauſationem, (ſic enim daretur proceſſus in infinitum;) unicam verò intervenire entitatem mediam inter agens & terminum, eámque variis nominibus notari: reſpectu agentis, vocari actionem; reſpectu termini, eſſe hujus dependentiam. Siquidem per eandem cauſationem per quam cauſa cauſat, effectus cauſatur. Quare ut cauſatio activa tribuitur cauſæ, ità paſſiva effectui: utramque autem in re unam atque eandem entitatem eſſe. Primò, concedimus Suario, actionem & niſum efficiendi aliquid, ſive niſum movendi, idem eſſe; & cauſationem efficientis nihil aliud eſſe niſi talem niſum cauſandi ſeu movendi; eúmque niſum, quatenus eſt actus & modus agentis, immediatè & per ſeipſum ab agente profluere, nec produci per aliam cauſationem, nè metuamus proceſſum in infinitum: verùm ſimul dicimus, hunc primum niſum in agente ſe in paſſum propagare, & in eo eſſe cauſationem paſſionis; hanc autem non immediatè fluere ab agente, ſed mediante primo niſu, ceu primâ & principe actionis parte. Quanquam enim tota actio ſeu tota cauſatio dicatur agenti immediata; nihil tamen prohibet quin una pars actionis ab alia profluat, & quidem remotior ab agente, à propinquiore. Hoc enim fortaſſe demonſtrari poteſt, tum quòd remotior pars actionis ſit proximâ remiſſior; tum quòd actio ipſa non in momento, ſed ſenſim, ad ultimam ſuam extenſionem ab agente promoveatur. Si autem ultima extremitas actionis immediatè, ſeu nullis mediantibus partibus, ab agente flueret, nulla ratio reddi poterat cur remotior ejus pars viciniore languidior foret, aut tardiùs emicaret. Nam quod naturaliter & æquè immediatè ad diſtantiam ac ad præſentiam operatur, non tantùm æquâ virtute, ſed etiam ſimul, actionem perficit. Nihil enim his oppoſitis intervenire queat quod

©BIUM

quod vires agentis augeat, minuat aut retardet. Limitamus itaque eam Suarii aſſertionem, [*actionem ab agente manare per ſeipſam,*] eam intelligi debere vel de tota actione concretè ſumpta, vel de primo niſu movendi quatenus in agente; non autem de partibus actionis in paſſum propagatis. Actio quidem de ſe totam actionem dicit, ſed præcipuè eam ejus partem quæ eſt in agente, quam niſum movendi vocamus: paſſio verò propriè non includit niſum agentis, ſed tantùm niſum in paſſum propagatum, quo reſpectu ab actione tota differt: quinetiam paſſio activam rationem actionis duntaxat, ut præciſam ab agente, nempe ut in paſſum receptam, conſiderat. Omittit ergò id ejus abſolutum quo cum niſu agentis continuatur, & expreſsè refert ſolam ejus rationem paſſivam.

Unam actionis partem ab alia pendere.

5. Sed proſequamur fundamentum Suarii. *Unicam* ait *intervenire cauſationem inter cauſam & effectum; eámque cauſæ activè, (quòd per eam cauſa cauſet,) effectui paſſivè, (quòd per eandem effectus cauſetur,) attribui.* Largimur ei unicam cauſationem inter cauſam & cauſatum, inter agens & terminum intervenire: nihil tamen vetat quin eadem una cauſatio habeat partes diſtinctas; quarum prima, niſus cauſandi, ſit in agente, niſus ad extrà propagatus, ſit in paſſo. Dices, utcunque, utramque partem tam cauſæ quàm effectui ſuo modo attribui. Fateor id quoque; ſed cauſæ propter priorem partem, ſcilicet niſum cauſandi, at cauſato propter poſteriorem, niſum propagatum, tribui. Quanquam igitur tota actio activè cauſæ, & paſſivè cauſato adſcribitur; non tamen ſequitur totam actionem eſſe ſubjectivè ſive in agente, ſive in paſſo, ſive in termino. Sufficit enim ad intrinſecam agentis denominationem, quòd prima & præcipua actionis pars, à qua cæteræ pendent, ſit in agente: ſufficit etiam ad denominationem paſſi, quòd paſſio illata in eo ſubjectetur: denique, ſufficit ad denominationem termini, quòd paſſio ſeu niſus paſſivus eundem immediatè attingat & producat. Non tamen neceſſe eſt ut ſive actio ſive paſſio ſit ſubjectivè in termino, aut ut in eodem maneat ut modus ejus. Non nego quin, ut prima pars actionis eſt modus agentis, ità poſtrema ſit modus paſſi: ſed hoc nego, alterutram partem eſſe modum termini. Terminus enim ipſe eſt modus paſſi, nec quærit alium

alium modum ut dependeat ab agente. Dependentia enim nihil addit termino dependenti niſi negationes formales & relationem indè reſultantem, ut partim ſuprà Capite decimo, nº. 22. probavimus, partim infrà declarabimus.

An dependentia ſit quid poſitivum.

6. Verùm Suarius Diſp. 20. ſ. 5. nº. 11, 12. arguit, dependentiam *eſſe aliquid realiter & intrinſecè in creatura exſiſtens* ab ea ex parte rei diſtinctum. *Realiter*, inquit, *& intrinſecè exſiſtens, quia creaturam dependere à Deo non eſt denominatio extrinſeca in creatura*, &c. Admittimus dependentiam in creatura eſſe realem entitatem, nempe eſſe ipſam entitatem creatam quatenus includit negationem originationis entitatis ſuæ in ſe, & negationem independentiæ à Deo. Negamus verò creationem, præter duplicem illam negationem cum relatione indè reſultante, & præter ipſam entitatem creatam, creaturæ aliquid addere. Creatura enim à Deo dependet per totam ſuam entitatem dependentem, & non duntaxat per modum aliquem aut appendicem ſui. Dico igitur, eam non tantùm realiter & intrinſecè à Deo dependere, ſed & eſſentialiter. Impoſſibile enim eſt ut exſiſtat ſecluſa ab hac ſua dependentia. Creatura enim independens implicat contradictionem, ut ſuprà declaravimus. Sed pergit Suarius, *Item quia dependentia quam lumen habet à ſole aliquid eſt in ipſo lumine, & idem eſt in quolibet effectu reſpectu cauſæ creatæ, juxta modum dependentiæ quam ab illa habet vel in fieri tantùm, vel etiam in conſervari. Atque eâdem ratione, ſi Deus ſolus illuminaret aerem, dependentia illius luminis eſſet aliquid in ipſo lumine. Nam eſt eadem ratio quæ dependentiæ à ſole, vel fortaſſe major*, &c. Dico, in priore caſu lumen pendere à ſole per entitatem ſuam dependentem, cui adhæret duplex negatio, prior originationis à ſe, poſterior independentiæ à ſole; ſimilitérque in poſteriore, lumen ſupernaturale pendere à Deo per entitatem ſuam negationibus ſimilibus limitatam.

Dependentia diſtinguitur in antecedaneam, & ſuccedaneam.

7. Urget adhuc Suarius, [ibidem nº. 12.] *dependentiam creaturæ non eſſe omnino idem quod creatura. Probatur*, inquit, *primò, à paritate rationis, inductione factâ in aliis omnibus dependentiis effectuum à ſuis cauſis. Nam in omnibus actio, & conſequenter dependentia, diſtinguitur ex natura rei à ſuo termino, ut ſuprà tactum eſt, & infrà in proprio prædicamento ex profeſſo tractabitur*, &c. Ut huic & ſimilibus objectionibus occurra-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 365 sur 591

©BIUM

mus, dependentia quæ eſt à cauſis creatis diſtinguenda eſt. Sumitur enim vel pro media quadam entitate inter cauſam & cauſatum, ſeu inter agens & terminum; vel pro inadæquato conceptu ipſius termini. Priore ſenſu dicit viam & proceſſum cauſationis à cauſa ad effectum continuatum: poſteriore dicit aliquid in termino ſeu effectu per modum inadæquati conceptûs. Priorem dependentiam voco antecedaneam, ſeu dependentiam mediam; poſteriorem, dependentiam ſuccedaneam, ſeu manentem & exſiſtentem in termino facto. Hanc diſtinctionem videtur non advertiſſe Clariſſ. Suarius, & indè occaſionem præſentis argumentationis arripuiſſe. Circa priorem dependentiam adhuc notandum, eam dupliciter poſſe repræſentari, vel directè, procedendo à cauſa ad effectum; vel reflexè, recurrendo ab effectu ad cauſam. Priore modo eam vocamus actionem, cauſationem activam, generationem, productionem: poſteriore, paſſionem, generationem paſſivam, ipſum cauſari, produci, fieri, & dependentiam termini. Inſuper ſciendum eſt, (utrovis modo ſumas) hanc mediam entitatem duas partes ſatis diſtinctas complecti; primò, niſum movendi in agente, ſecundò, niſum in paſſum propagatum. Illum ad agens ſeu cauſam, hunc ad paſſum in quo cauſatum producitur, primò & præcipuè ſpectare. Videtur autem cauſatio totam cauſationem activè, & cauſari eandem totam paſſivè, exprimere: verùm voces actionem & paſſionem paulò aliter accipi. Actionem quidem totam cauſationem agentis ſuo modo complecti, ſed primò & præcipuè niſum movendi quatenus in agente, & deinde quaſi ſecundariò niſum in paſſum propagatum, ut ſuo primo niſui continuatum: Paſſionem autem nullo modo totam termini cauſationem referre. Etenim primò, non exprimit primum agentis niſum, qui nullo ſano ſenſu paſſio audit. Secundò, non expreſsè denotat continuitatem inter primum niſum & propagatum. Paſſio enim circumſcribitur limitibus paſſi; actio autem incipit extra paſſum, & in paſſum multiplicatur. Tertiò, paſſio non ſatis certò aſſerit termini productionem; idque duobus præſertim modis oſtenditur. 1. Quòd paſſio reſpectu productionis termini intenti fruſtrari poſſit, ut ſuprà notavimus. 2. Quòd paſſio de termino non eodem modo quo cauſatio paſſiva & dependentia, concretè, prædicetur. Terminus enim propriè dicitur

tur causari & dependere, non autem propriè loquendo dicitur pati. Solum enim passum propriè patitur. Quare passio non formaliter includit productionem termini, sed solummodo dicit vim passo illatam. Fateor productionem passivam includere passionem; sed passio refertur ad passum, non ad terminum. Nam produci est recipere entitatem; sed pati præsupponit entitatem quæ recipiat & patiatur. Quanquam igitur creari fit Grammaticè vox passiva, & eatenus dicatur aliquo modo receptio & passio: non tamen est propria passio, quæ semper supponit subjectum recipiens. Porrò, productio licèt suo modo includat passionem, hæc tamen non explicitè includit illam. Si enim dicas effectum pati, non intelligetur de ejus productione, sed de alia qualicunque ejusdem alteratione ab extrá.

Dependentiam mediam differre à termino.

8. Hisce sic positis, ut Suario in forma respondeamus, dicimus, si dependentia sumatur pro media entitate inter causam & effectum, eam non solùm ex parte rei, sed & realiter, ab effectu & termino distingui. Fieri enim potest (ut suprà monstravimus) ut hæc media causatio, respectu termini à generante intenti, frustretur; quo casu terminus seu effectus est solùm fiens, nimirum est aliquo gradu debilitata seu minorata resistentia passi. Cùm ergò à termino, seu effectu intento, actu sejungi queat, manifestum est ab eo realiter distingui; & consequenter nec esse in termino, nec esse modum ejusdem. Sin sumatur dependentia pro re manente in termino, seu cum termino conjuncta, præter duas negationes, & relationem transcendentem ad agens seu causam, nihil entitati effectûs aut termini addit. Dices, dependentiam quæ prædicatur de termino esse dependentiam mediam, quæ (ut modò admisimus) saltem ex natura rei à termino distinguitur, & consequenter hoc responsum cassum esse. Nam ut terminus dicitur causari ob causationem agentis; ità & dependere ob dependentiam ab agente: quæ utraque una & eadem entitas media inter agens & terminum sunt. Respondeo de causatione causæ primæ, eam non esse entitatem mediam, ut suprà dictum est; de causationibus autem finitis, eas esse quidem entitates medias, & nihilominus rectè prædicari passivè de suis effectis aut terminis. Effectus enim seu terminus ab agente aut efficiente

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 367 sur 591

©BIUM

per cauſationem ejus producitur. Quare cauſatio eſt ipſa productio cauſati; & conſequenter, mediante cauſatione cauſatum rectè dicitur à cauſa produci: non quòd cauſatio ſit aliquid in termino ſeu effectu, ſed quòd interveniat inter cauſam & effectum, & hujus productionem immediatè attingat. Ubi ergò dicit Suarius, dependentiam differre à ſuo effectu ſeu termino, ſi intelligatur de dependentia antecedanea, admittimus; ſed unà dicimus, eam dependentiam non eſſe in termino, ſed ſolummodo eundem præcedere, ut ejusdem productionem, quæ ceſſat emergente termino ipſo: ſin ſumatur pro dependentia conjuncta ſeu inhærente in termino, negandum eſt eam aliquem modum aut aliud poſitivum ex natura rei diſtinctum termino addere. Atque ità argumentum Suarii ſolvitur.

Dari terminos quorum eſſe eſt in motu.

9. Dices, dari terminos quorum eſſe conſiſtit in fieri; quales ſunt motus localis, calor, fermentatio, ipſa vita animalium, & conſimiles, quorum ratio in motu conſiſtit. Reſpondeo, me non negare quin dentur termini quorum entitas in motu conſiſtit: Nihilominus, non obſtantibus iis terminis, adhuc dicendum eſt, motum actualem, terminum à ſe realiter diſtinctum ſemper producere. Motus enim qui eſt cauſatio novi termini, cujus eſſe eſt in motu, non eſt ipſe motus in quo conſiſtit eſſentia iſtius termini. Ille enim antecedit terminum; hic conſequitur, & eſt continua cauſatio alterius termini. Ille non eſt modus termini, ſed modus ſive agentis ſive paſſi, ut dictum; hic eſt modus termini: ſi tamen terminus ſic motus ſit formale agens, & novum ſubindè terminum cauſet, cujus ipſe non eſt modus, ſed cauſatio, & ipſo momento definit eſſe quo novus terminus comparet. Dico verò, terminum motu productum realiter differre à motu quo producitur, propterea quòd talis terminus naturaliter maneat ceſſante motu: ut in motu locali, ſitus novus, qui eſt terminus iſtius motûs, manet, finito eo motu locali. Etenim terminus fiens eſt terminus activus & actu operans, ſive eſt ipſa productio novi termini, & continuo fluxu variatur. Dicendum itaque eſt, terminum fientem, cujus eſſe dicitur in continuo motu, dividi poſſe in partes realiter diſtinctas, quarum aliæ reſpiciunt cauſationem præteritam, aliæ futuram. Illæ clarè differunt à cauſatione ſua, quia hæc ſupponitur præteriiſſe eo momento quo incipiunt:

incipiunt: hæ ſimiliter realiter differunt à ſua cauſatione, quia ſupponuntur non eſſe donec ea finita fuerit. Utrovis itaque modo mutatio termini ab eodem mutato diſcriminanda eſt: & quanquam aliquæ partes totius termini moti cum aliquibus totius cauſationis ejuſdem perpetim conjungantur; eæ tamen hujus quibus ſingulæ illius reſpectivè reſpondent non ſunt ſimul, ſed eo momento quo pars cauſationis præterit, pars effectûs illi præcisè reſpondens in actum erumpit. Conſtat itaque ex dictis, actionem & terminum non ſolùm ſeparabiles eſſe, verùm etiam, ſi inter ſe rectè comparentur, nullo modo uniri aut conſiſtere poſſe: adeóque explicuimus quo pacto terminus fiens ſuam cauſationem involvit, necnon quomodo ab eadem realiter differt; utpote concretè eam includit, & præcisè ſeu reſpectivè eandem excludit.

An dependentia ſit de eſſentia dependentis.

10. Accedimus jam ad ſecundum Suarii argumentum. Diſp. 20. ſ. 5. nº. 12. *Secundò*, inquit, *probatur, quia hæc dependentia eſt mutabilis & variabilis in creatura, manente eâdem re quæ fit: ergò diſtinguuntur à parte rei. Conſequentia fundatur in principio ſuprà tractato Diſp. 7. ſ. 2, &c. Antecedens autem probatur, quia dependentia illa quâ nunc Deus conſervat quantitatem ſine ſubjecto in Sacramento, diſtincta eſt ab illa quâ conſervabat eandem quantitatem in ſubſtantia panis*, &c. Reſpondeo, dependentiam antecedaneam eſſe variabilem manente termino; non autem dependentiam continentem ſeu conjunctam. Fateor itaque, illam non tantùm ſupernaturaliter, ſed & naturaliter, à termino ſeparari poſſe; non autem hanc, ut infrà clariùs patebit. Ubi inſtat Suarius, quantitatem in Sacramento conſervari abſque dependentia quam habuit in ſubſtantia panis; (ut nihil hîc de incertitudine, aut etiam impoſſibilitate, iſtius propoſitionis interferam;) dico, hoc ſuppoſito, dependentiam quantitatis antecedaneam mutari, ſed conjunctam unà cum ea quantitate conſervari. Ejuſdem enim difficultatis eſt, quantitatem conſervare abſque ſubjecto, ac eandem conſervare abſque ſua interna entitate dependente. Si enim quantitas eſt per ſuam dependentiam à ſubjecto, ſublatâ eâ dependentiâ non eſt. Perinde ergò erit quantitati non dependere, ac non eſſe. Accidentis enim natura, quanquam abſtractè per inadæquatum conceptum concipi poſſit, non tamen eſt entitas quæ in natura ſeorſim ſeu abſtractè

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 369 sur 591

©BIUM

ſtare queat; ſed perpetuò eſt ens alterius, ſeu ens entis. Quod probatur, quia entitas accidentis includit negationem *perſeitatis*, & negationem independentiæ à ſuo ſubjecto; quas negationes entitas ſubſtantiæ non admittit. Dices, omnipotentiam Dei efficere poſſe ut entitas accidentis ſit per ſe, & independens à ſubjecto. Regero, eam ergò unà efficere ut accidens ſe exuat naturâ ſuâ, & ſe induat naturâ ſubſtantiæ. Quo poſito, quantitas non manet eadem, ut vult Suarius, ſed mutatur in entitatem ſubſtantialem. Definitio enim ſubſtantiæ, eſſe ens per ſe ſubſiſtens, hoc eſt, eſſe ens à nulla creatura dependens, ei competit. Nec ſuffecerit dixiſſe, miraculosè hoc contingere. Nam prima quoque creatio ſubſtantiæ, & continuata conſervatio ejuſdem, in re miraculoſæ ſunt, quanquam ob aſſiduitatem miraculis non accenſeantur.

Dependentiam inhærentem eſſe formam privativam.

11. Tandem ad tertium Suarii argumentum nº. 14. devenio. *Dependentia*, inquit, *non eſt de eſſentia ſubſtantiæ qualitatis aut quantitatis dependentis, ſed eſt via quædam ad ipſam. Quod patet ex ipſa ratione ſubſtantiæ, & idem eſt de aliis. Nam ſubſtantia, licèt creata ſit in eſſentia ſua, eſt quid abſolutum, ſolúmque includit eſſentialiter eſſe per ſe, & in ſpeciebus ſubſtantiæ intelligitur eſſentialis ratio completi per ſimiles differentias abſolutas, abſque illa habitudine tranſcendentali quam eſſentialiter includit actualis dependentia.* Hoc argumentum ad ſtrictius entitatis dependentiæ conjunctæ examen nos revocat. Nam ſi intelligatur de antecedanea, contra nos nihil probat, qui concedimus eam eſſe realiter à rebus dependentibus diſtinctam. Quare non antecedaneæ, ſed conjunctæ dependentiæ examen hîc incundum eſt. Concedimus autem (cùm ſit vox abſtracta) non eo modo quo res dependens ſubſtantiam, qualitatem aut quantitatem concretè exprimere; ſed abſtractè formam aliquam ſeu inadæquatum conceptum ad res dependentes eſſentialiter ſpectantem inſinuare. Siquidem ſupponit rem dependentem tanquam materiam ſuam, eíque addit duplicem negationem loco formæ: priorem genericam; poſteriorem propriam, ſeu ſpecificam. Illa negat prioritatem (ſeu potiùs, ſi fingere vocem liceat, *primitatem*) eſſendi; hoc eſt, negat ſe eſſe ens ſimpliciter primum: hæc negat independentiam à cauſa ſua à qua cauſatur. In hac poſteriore, quatenus connotat

connotat causationem rei dependentis, fundatur relatio transcendentalis effectûs ad causam. Atque adeò totam entitatem quam dependentia enti dependenti addit aperuimus. Quæ tamen in tot species dirimitur quot sunt genera causarum. Est enim in quolibet genere negatio independentiæ effectûs à sua causa. Verùm duæ præsertim species spectabiliores sunt; dependentia à causa efficiente, & à materiali; de quibus hactenus disseruimus. De iisdem porrò duo à nobis hîc ulteriùs asserenda sunt. Primum, dependentiam conjunctam de formali dicere negationes duas, genericam unam, alterámque propriam; necnon relationem transcendentem ad suam causam. Secundum, negationes istas à re dependente esse inseparabiles.

Nihil positivum termino addere.

12. Ad primum quod attinet, dependentiam conjunctam esse formam negativam, ex eo evincitur, quòd sit imperfectio, quæ perpetuò forma privativa est; ut perfectio in re semper est forma positiva. Quanquam enim privatio frequenter sine negatione præfixa enuncietur, ut cæcitas, finitudo; imò quanquam terminus privationi oppositus formam vocis privativæ præ se ferat: reipsa tamen hæc in natura forma positiva est, illa privativa: ut infinitudo, finitudo; visio, cæcitas: infinitudo summa perfectio est; finitudo includit negationem limitantem, se non ultrà protendi. Etenim termini privativè oppositi nunquam in natura per duas negationes opponuntur; sed alter terminus affirmativus est, alter negativus: & terminus qui perfectionem exprimit, affirmativus; qui imperfectionem, negativus. Duæ enim negationes oppositæ in natura consistere nequeunt. Quare si dependentia sit forma positiva & perfectio, independentia est forma negativa & imperfectio, & contrá. Certissimum autem est, independentiam esse in Deo summam & Divinam perfectionem, & consequenter dependentiam dicere negationem. Hoc argumentum suprà tetigimus, nec opus est ei hîc ulteriùs inhæreamus.

Dependentia inhærens ab antecedanea clarè distinguitur.

13. Secundò, probatur, quòd nulla fingi potest entitas positiva ex natura rei à re dependente distincta in hac inhærens. Ea enim entitas positiva quam Suarius dependentiæ inhærenti assignat revera spectat ad antecedaneam, ut nimirum ipsum fieri termini seu via ad eundem. De quibus ille.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 371 sur 591

©BIUM

ille nº. 16. ſic loquitur: *Dependentia eſt ordine naturæ prior, non ſolùm quàm relatio, ſed etiam quàm res creata, ſaltem ſub aliqua ratione, ſcilicet quia via eſt prior quàm terminus, & fieri quàm factum eſſe.* Quibus verbis clarè oſtendit ſe in ſua argumentatione deceptum eſſe, dum, pro dependentia conjuncta, tantùm probat antecedaneam eſſe ex parte rei à termino diſtinctam. Vult enim dependentiam eſſe ipſum fieri dependentis. Fateor dependentiam antecedaneam id eſſe: nego autem eandem inhærere termino. Imò impoſſibile eſt ut ea inhæreat, cùm ejus eſſe conſiſtat in ſolo fieri termini, & ceſſat in eſſe facto ejuſdem. Dices, dependentiam de præſente prædicari de termino, (ut, terminus eſt dependens,) & conſequenter eam termino facto ineſſe. Sed contrà eſt, quòd terminus de præſente ob dependentiam præteritam ſeu antecedaneam non dicatur dependens, ſed *fuiſſe dependens*. Sic enim de hac re differens ſtatuit ipſe Suarius, Diſp. 18. ſ. 10. nº. 8. *Ex quo*, inquit, *fit, (ut ad ſecundum argumentum reſpondeamus,) impoſſibile eſſe ut, ceſſante vel tranſactâ actione, duret cauſa in actu. Poteſt quidem durare res quæ fuit cauſa in actu, non tamen durabit in ratione actu cauſantis, cùm actu non influat in effectum: unde nec talis effectus poteſt verè dici jam actu pendere à tali cauſa, ſed dependiſſe aliquando in ſuo fieri: quam dependentiam non habuit niſi ratione actionis, quæ tunc etiam fuit quando à ſua cauſa manavit.* Verùm ob dependentiam inhærentem omni tempore eſt dependens. Eſſentia enim rei ſic dependentis involvit duas negationes, ut dictum. Atque hinc confirmatur hæc ratio, quòd hæ dependentiæ diverſimodè de effectu prædicentur, altera per verbum de præterito, altera per verbum de præſenti. Hæc ergò non includit illam, ſed eſt forma quoquo modo diſtincta; & conſequenter dependentia conjuncta eam rationem poſitivam quam antecedanea dicit termino facto non addit, nihilque relinquitur quod termino adferat præter negationes memoratas. Suarius enim ipſe, præter dependentiam mediam, nihil poſitivum terminis factis nomine dependentiæ aſſerere auſus eſt.

Creaturam dependere à Deo per eſſentiam.

14. Dices, ex ſententia noſtra, inter Deum & creaturas nullam entitatem mediam intervenire. Si igitur dependentiam ullam in creaturis, vel ad creaturas ſpectantem, probaverit,

probaverit, sit iis inhærens necesse est. Respondeo, revera rem ità se habere : nihilominus acriter contendit Suarius, dari causationem mediam inter Deum & creaturam, quam tamen in creatura facta collocat. Fateor autem me non posse ad hanc normam creaturæ creationem concipere. Quod enim antecedit, quà antecedit, in consequente, quà consequente, fundari nequit. Admitto nos posse ratione distinguere creaturam fientem à creatura facta, & seorsim tractare: sed in re, creatura fiens (si sit aliquid extra intellectum realiter exsistens) est creatura facta, (nam quid aliud esse potest?) sin non sit aliquid extra intellectum, nihil est. Quare creatura fiens & creatura facta solâ ratione differunt. Nihilominus in causatione causarum secundarum antecedaneam dependentiam effectûs à sua causa lubens agnosco. Infinita enim est disproportio inter causationes causæ finitæ ac infinitæ. Illa enim, quòd finitâ tantum virtute agat, resistentiæ subjicitur, & ob eandem rationem non immediatè attingit terminum, sed mediante causatione suâ, quæ est entitas intermedia & resistibilis: hæc, quia infinitâ virtute pollet, nulli resistentiæ obnoxia est, & consequenter immediatè educit terminum quem intendit, & non per ambages operatur. Secundò, illa nititur & vigorat se ut efficiat quod intendit, atque si nisus sit cum victoria, passum actu movet; quærit autem materiam præexsistentem in quam agat, quámque disponat ad actionem suam recipiendam, & consequenter per actionem mediam effectum producit: hæc per substantiam infinitam operatur, neque necessum habet quærere materiam in quam agat, aut quam disponat; sed quicquid vult, sine nisu aut labore, quo momento inchoat, perficit. Tertiò, illa, si transienter agat, non est intimè præsens effectui suo, & consequenter actionem intermediam à se propagat, quâ effectum immediatè attingat: hæc verò ubique intimè præsens est, nec opus habet per intermediam entitatem influat. Denique, illius effectus, nisi ubi sit modus causæ, ab ea seorsim exsistit: hujus minimè, quia ejus conservatio est quasi continuata creatio. Quare etiamsi duplicem dependentiam, antecedaneam & inhærentem, in creaturis respectu Dei non agnoscam; effectis tamen causarum secundarum duplicem adscribo: antecedaneam, quæ præce-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 373 sur 591

©BIUM

dit effectum ; & conjunctam, quæ inhæret in eodem : quanquam hæc nihil poſitivum ei addat, ut hoc argumento evicimus.

Dependentiam inhærentem negativam eſſe.

15. Tertiò, confirmatur, quòd datis in quacunque re duabus memoratis negationibus, genericâ & propriâ, ea ipſo facto, abſque alia entitate poſitiva addita, fuerit dependens: ut in genere cauſæ efficientis, datâ negatione originationis ſuæ à ſe, & negatione independentiæ ab hac individua cauſa, effectus ab ea cauſa ſatis erit dependens : vel ſaltem dic quid inſuper, ut rectè dicatur dependens, requiratur. Similiter in genere cauſæ materialis, datâ in aliqua forma negatione eſſendi *per ſe*, & negatione independentiæ ab hac materia tanquam à ſua materiali cauſa ſeu ſubjecto, abſque alia re poſitiva, iſta forma eſt actu inhærens in ea materia. Hoc jam ulteriùs confirmatur ex ultima parte propoſitionis prioris probanda. Si enim hiſce ſolis negationibus poſitis, ſufficiens relatio tranſcendentalis effectûs ad ſuam cauſam reſultet, quid aliud poſitivum ex parte dependentiæ deſideretur ? At verò poſitis dictis negationibus in quacunque re, ſufficiens fundamentum relationis tranſcendentis ejuſdem ad ſuam cauſam aderit. Denique, hæc omnia magis eluceſcunt, quòd dependentia non ſit modus cauſati, ut partim ſuprà probavi, partim infrà probaturus ſum.

Dependentiam inhærentem non eſſe actionem, ſed effectum hujus.

16. Dices, dependentiam effectûs, ſecundùm Suarium, nihil aliud eſſe niſi cauſalitatem cauſæ, & hanc in efficiente nihil aliud eſſe niſi actionem agentis. Sed obvia eſt reſponſio, & ſecundùm mentem Suarii ; Revera actionem agentis nihil aliud eſſe niſi cauſalitatem efficientis, & hanc, ſi paſſivè exprimatur, coincidere cum dependentia effectûs à ſua cauſa. Dependentia enim hoc loco pro antecedanea ſumitur, nempe pro ea quæ producit effectum ; non pro dependentia inhærente, ſeu in effectum impreſſa. Illa enim eſt ipſa energia & activitas cauſæ, quatenus in ordine ad effectum paſſivè exprimitur : hæc eſt forma quædam privativa effectui inuſta, quâ is ſuis negationibus limitatur. Cauſa enim efficiens non tantùm effectum ſuum edit, verùm etiam dictis dependentiæ negationibus ceu ſtigmate ſuo notat, & ſibi ſoli ut cauſæ ejuſdem appropriat. Huc refertur objectio Suarii Diſp. 48. ſ. 1. n°. 16. quam contra ſe adducit, cuique reſpondet. *Dices*, inquit,

inquit, *dependentia oritur ex actione: ideo enim effectus pendet, quia fit: ergò non potest actio esse ipsa dependentia, sed aliquid prius. Respondetur, negando dependentiam oriri ex actione, sed potiùs esse ipsammet actionem. Unde illa causalis non est reducenda ad efficientem causam, sed potiùs ad formalem; id est, cùm dicitur res dependere quia fit, non est sensus, quia dependentia manat ab actione, sed quia per ipsam actionem constituitur ratio agentis.* Fateor dependentiam antecedaneam esse *ipsammet actionem*, & per actionem constitui rationem agentis: verùm dependentiam causatione inustam esse potiùs formam privativam termino inhærentem, & non esse actionem aut causalitatem agentis; sed in & cum termino per actionem, seu per dependentiam antecedaneam, comproduci. Hinc itaque eluceſcit quâ occasione Clariff. Suarius fallitur, quia nimirum dependentiam antecedaneam ab inhærente non discriminavit. Illa enim reducitur ad efficientem causam, ut modum ejus: hæc, ad formam privativam termini, ut inadæquatus ejus conceptus.

Dependentiam antecedaneam non inhærere termino.

17. Tandem præcipuum Suarii fundamentum, quo adstruit actionem in re nihil aliud esse nisi specialem illam dependentiam quam effectus habet à sua causa efficiente, aggrediamur. Disp. 48. s. 1. nº. 15. sic urget; *Actio non est res faciens, neque res facta, seu terminus causalitatis effectivæ, neque sunt illæ duæ res simul sumptæ, neque denominatio orta ex coexistentia illarum; sed est aliquid aliud medium inter illas: hoc autem nihil aliud excogitari potest nisi dependentia unius ab alio: ergó.* Respondeo, nos concedere dependentiam antecedaneam & actionem in re coincidere: sed negamus dependentiam hoc sensu manere in termino: esse autem aliam dependentiam quæ est in termino, eique addit duplicem negationem, ut declaravimus. Est enim prioris effectus, & in termino facto permanet. Sed pergit Suarius: *Probatur minor, quia sine hac dependentia impossibile est intelligere in una istarum rerum rationem effectûs, & in alia rationem causæ agentis. Positâ autem hâc dependentiâ, & præcisâ omni aliâ re aut modo reali, necessariò res dependens est effecta, & illa à qua pendet est actu agens; ergò actio nihil esse potest ab hac dependentia distinctum.* Verùm hactenus procedit Suarius de dependentia antecedanea; quæ revera non distinguitur sive realiter sive ex parte rei ab

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 375 sur 591

©BIUM

actione ſeu cauſalitate efficientis, ut argumentum ejus efficaciter ſuadet. Negamus verò hanc dependentiam inhærere termino ſeu effectui; multò minùs eſſe modum ejus, ut ille ſupponit. Dicimus enim, in termino aliam dependentiam, quæ ſolas negationes ei addit, reſultare; & hanc non eſſe actionem aut cauſalitatem agentis, ſed eſſe inadæquatum conceptum effectûs. Hanc inſuper dependentiam connotare antecedaneam, ità ut qui non accuratè earum diſtinctionem advertit facilè decipiatur. Impoſſibile enim eſt ut negatio independentiæ, quam dicit inhærens, in aliquo effectu in quo cauſatio ejuſdem non præceſſerat inſit. Quare propria negatio quam includit conſequens dependentia connotat antecedaneam, & eſt ſufficiens fundamentum relationis tranſcendentis effectûs ad ſuam cauſam. Atque hæc de priore propoſitione.

Duæ negationes à re dependente inſeparabiles.

18. Ad ſecundam propoſitionem, haſce negationes à rebus dependentibus inſeparabiles eſſe, accedimus. Primò, negatio generica reſpectu cauſæ efficientis certiſſimò inſeparabilis eſt; rem dependentem non eſſe primam cauſam efficientem. Si enim ſit prima cauſa in genere efficientis, quî fieri poteſt ut ſit ſimul ab alia cauſa ſe priore dependens? Quare creatura, quia eſt dependens, negat ſe eſſe cauſam primam. Eſſe enim cauſam ſimpliciter primam, & eſſe ſimul dependens, apertam involvit repugnantiam. Similiter in genere cauſæ materialis, generica quoque negatio à re eo modo dependente manifeſtè inſeparabilis eſt; nimirum rem inhærentem (ſive forma eſſentialis ſive accidentalis ſit) non eſſe ens per ſe ſubſiſtens. Iſtiuſmodi ergò forma inſeparabiliter includit negationem eſſendi per ſe. Si enim ſit per ſe, non dependet per inhæſionem à ſubjecto: ſin dependeat, non eſt per ſe. Nihil enim aliud [per *eſſe per ſe*] hîc intelligitur, quàm non eſſe per dependentiam à ſubjecto inhæſionis. Porrò, negatio propria quam res effectivè dependens continet, æquè manifeſtè inſeparabilis eſt. Supponamus enim per impoſſibile, rem aliquam effectivè dependentem non includere negationem independentiæ à ſua individuali cauſa efficiente à qua fit: ſublatâ ergò eâ negatione, res manebit ab ea cauſa independens, adeóque ſimul dependens & independens; quod repugnat. Pari modo, negatio propria quam continet dependen-

tia

tia à cauſa materiali inſeparabilis eſt : ut hæc forma, ſive eſſentialis ſive accidentalis, includit negationem independentiæ inhæſionis ab hac materia aut ab hoc ſubjecto, à qua aut à quo ſuſtentatur. Vel ergò inſeparabiliter includit, vel non. Si inſeparabiliter, habemus intentum : ſin non, forma iſta ſeorſim oriri atque ſtare poteſt abſque ſubjecto ; adeóque erit ſimul forma, & nullius ſubjecti aut materiæ forma : erit ergò ens per ſe, & non modus aut forma alterius, contrà quàm ſuppoſuimus.

An dependentia ſit modus termini.

19. Hactenus entitatem dependentiæ atque inhærentiæ privativam, necnon inſeparabilem, expoſuimus : adhuc ſupereſt, an ſit modus termini nécne, expendamus. Et quidem primò, cujuſmodi entitas ſit modus, & deinceps, an dependentia aut inhærentia ſit modus termini, conſiderandum eſt. Ad entitatem modi quod attinet, exiſtimo eum ſemper dicere rem in & cum entitate alterius implexam ; ità ut novus modus non planè novam entitatem ſuppoſito, ſed ex parte præexiſtentem alitérque modificatam, adferat. Supponit enim rem præexiſtentem, & in ejus variatione novitas modi ratióque conſiſtit. Generatio itaque novi modi materialem cauſam ex qua fiat, in quam recipiatur, ſeu è qua educatur, requirit. Non enim totus de novo, ut in creatione fit, neque totus adventitius eſt, ut in additione partium ſubſtantialium : ſed habet in re modificata fundamentum præjactum, quod ſolo motu aliter formet, qualificat aut terminat, quódque ſine novo motu modaliter non mutat. Diximus ſuprà cap. 2. modos rectè diſtingui in naturam adferentes, & ſolummodo complentes, ſeu terminantes aut unientes. De prioribus non eſt cur hîc aliquid amplius adjiciamus : de poſterioribus aliquid advertendum. Hi modi quatuor minimùm conditiones poſtulant : 1. modum rei modificatæ inhærere : 2. non differre realiter, nec ſolâ ratione, ſed ex parte rei, ab eadem : 3. non uniri per alium modum : 4. eundem præcisè modum diverſis modificatis non uniri.

Modus quid.

Prima conditio modi.

20. Primò, certiſſimum eſt, nullum modum eſſe ens per ſe, & conſequenter eſſe per inhærentiam in ſua materiali cauſa. Nequit autem inhærere in re quam non modificat. Modus enim unitur rei modificatæ per ſeipſum. Eſt enim actus, & quaſi forma, rei quam modificat. Sicut enim forma ingreditur compoſitionem corporis phyſici ; ità modus ingredi-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 377 sur 591

©BIUM

tur compoſitionem compoſiti metaphyſici. Quare unitur per ſeipſum. Non enim per alium modum, atqui immediatè, rem modificatam componit. Porrò, unio modi & inhærentia ejuſdem idem ſunt: cúmque modus uniatur per ſeipſum, ſequitur eum inhærere per ſeipſum, adeóque in re, *eſſe modum* & *inhærere*, idem ſignificare. Nihilominus, ut diximus ſuprà, fieri poteſt ut modus habeat partes, & quælibet pars ſuum proprium ſubjectum inhæſionis modificet: ut prima & præcipua pars dependentiæ antecedaneæ activa eſt, nempe eſt prima pars actionis, ſeu eſt niſus movendi, qui modus eſt agentis, & in agente inhæret: altera pars paſſiva eſt, & recipitur in paſſum ſub ſpecie motûs, éſtque modus paſſi. Hoc idem de ſubſiſtentia modali, quæ modus quidam eſt, ut clarè probat Suarius Diſp. 34. ſ. 6. nº. 20.

Secunda. Secunda conditio ſimiliter à Suario plenè aſſeritur Diſp. 7. in qua agit de diſtinctionum generibus, & probat, præter diſtinctionem realem & rationis, dari mediam, quam modalem vocat. Hoc ſolùm decipi videtur, quòd naturas realiter diſtinctas è numero modorum eximat: ſed de hac re hîc diſſerendum

Tertia. non eſt. Tertia conditio partim ex dictis eluceſcit, partim ulteriùs confirmatur, quòd ſi primus modus nequeat uniri ſine ſecundo, nulla ratio reddi poſſit cur ſecundus tertium, aut tertius quartum, & ſic in infinitum, non requirat. Quod enim impedit nè primus uniatur ſine ſecundo, non minùs impediverit nè ſecundus ſine tertio, &c. Si enim modus, quia modus, nequeat immediatè uniri, neque ſecundus neque tertius immediatè uniri queat. Etenim ſi modi realiter diſtincti immediatè & per ſeipſos uniri debeant, concipi non poteſt modos tantùm ex parte rei diſtinctos per alios modos uniri. Quoad modos realiter diſtinctos, conſtat, inter materiam & formam, præter unam illius præparationem, (quæ modus eſt ex parte materiæ, non formæ, requiſitus) nihil intervenire: ſimilitérque inter ſubjectum & accidens, ex parte accidentis. Fateor, modum intervenire poſſe ex parte ſubjecti, unde accidens ei naturale vel non naturale dicitur. Hoc autem contingit, quòd vita naturæ quolibet accidente ſubjecto intimior ſit, eíque det eſſe naturale vel non naturale. Interim ex parte formæ aut accidentis nullus modus intercedit. Cùm ergò modus ex parte rei duntaxat à ſubjecto diſtinctus minùs quàm realiter à natura ſubjecti differat, nulla ratio concipi

poteſt

poteſt cur interceſſionem modi ad ejus unionem poſtulet. Stet itaque hæc conditio horum modorum. Quarta denique conditio, nempe modum præcisè eundem non eſſe diverſarum rerum modum, confirmatur, quòd eadem forma diverſa compoſita actuare nequeat. Utpote in uno erit hæc individua forma, ſeu hic actus ; in alio autem diverſo, non erit eadem forma aut actus. Supponitur enim in primo ſubjecto à ſe dividi, ut ſit in ſecundo diverſo ; quod repugnat. Quare modus eſt unius rei modificatæ ſolùm modus, non plurium. Idem quoque evincitur ex conditione tertia. Si enim modus uniatur per ſeipſum, uni ſoli unitur. Non enim habet alterum ſeipſum per quem diverſo uniatur. *Quarta.*

21. Hiſce præmiſſis, ſtrictiùs inquirendum eſt, an dependentia ſit modus termini dependentis, aut inhærentia formæ inhærentis. Sed de utriſque quæſtio videtur duplex, vel de dependentia antecedanea, vel de conjuncta ; & ſimiliter vel de inhærentia cauſali, vel de inhærentia facta. Primo loco perpendamus dependentiam antecedaneam, quæ eſt à cauſa efficiente ; & inveſtigemus an ea ſit modus termini ſeu effectûs, nécne. Exiſtimo autem certiſſimum eſſe, dependentiam antecedaneam non eſſe modum termini. Nam primò, Nihil producit ſuam cauſam materialem : terminus autem eſt effectus dependentiæ, & conſequenter non eſt ejus materialis cauſa. Modus quidem, ut Suarius ipſe probat, quærit materialem cauſam, eam nimirum quam modificat. Cùm ergò terminus ſeu effectus nequeat eſſe materialis cauſa ſuæ dependentiæ, ſequitur non poſſe ſuſtentare eandem ut modum ſuum. Secundò, Quod non inhæret termino, non eſt modus ejus : at dependentia antecedanea non inhæret termino : ergó. Probavimus modò omnem modum inhærere rei à ſe modificatæ : cui omnes Metaphyſici, quod ſciam, aſſentiuntur. Minorem ſic demonſtro. Quæ non coexſiſtunt, eorum alterum non inhæret alteri : at dependentia antecedanea & terminus ejuſdem non coexſiſtunt : ergò illa huic non inhæret. Major per ſe nota eſt. Minor quoque evidens eſt, quòd cauſatio deſinat eſſe eo momento quo effectus incipit. Hinc Suarius, Diſp. 18. ſ. 10. n°. 9. *impoſſibile eſſe* aſſerit, *ut, ceſſante vel tranſactâ actione, duret cauſa in actu. Poteſt quidem durare res quæ fuit cauſa in actu, non tamen durabit in ratione.* *An dependentia ſit modus termini.*

©BIUM

ratione actu cauſantis, cùm actu non influat in effectum: unde nec talis effectus poteſt verè dici jam actu pendere à tali cauſa, ſed dependiſſe aliquando in ſuo fieri: quam dependentiam non habuit niſi ratione actionis quæ tunc etiam fuit quando à ſua cauſa manavit. Tertiò, Quod eſt modus alterius, non eſt modus termini: at dependentia antecedanea eſt modus alterius: ergó. Minor probatur dupliciter; 1. quoad dependentiam activam, 2. quoad dependentiam paſſivam. Quoad activam, agentis actio ſeu niſus movendi eſt prima & præcipua pars cauſationis ſeu dependentiæ effectûs à ſua cauſa: eſt autem (ut probavimus) modus agentis; & conſequenter non eſt modus effectûs ſeu termini. Similiter quoad paſſivam, eſt paſſio ſeu motus in paſſo excitatus: qui motus eſt modus paſſi, non termini. Quod enim movetur, motu modificatur. Siquidem cùm moveatur alio modo ſe habet; alio cùm non. Motus ergò eſt modus paſſi, & conſequenter non termini. Si quâ verò terminus ſit in motu, eſt in continuo fluxu & innovatione; & motus eſt modus termini fluentis ſeu termini à quo, non termini de novo facti ſeu ad quem. Concludimus itaque, dependentiam antecedaneam non eſſe modum termini.

Inhærentiam non eſſe modum formæ inhærentis.

22. Devenimus jam, ſecundo loco, ad termini inhærentiam antecedaneam ſeu cauſalem: quæ nihil aliud eſt niſi ſuſtentatio termini. Materialis enim cauſa ſuſtentat ſeu ſuffulcit formam ab agente ſeu efficiente impreſſam. Hæc ſuſtentatio eſt actus & modus materiæ. Etenim cauſa materialis reſpectu ſuſtentationis formæ, antequam ea actu eſt, tantùm potentialis eſt: poſtquam verò & quamdiu ſuffulcit, eſt actualis. Quare actualis ſuffulcio formæ eſt completa cauſatio cauſæ materialis, quæ ſic completa formam immediatè & per ſeipſam, nullo mediante alio modo inhærentiæ, ſuffulcit. Ipſa enim entitas formæ ſit modus materiæ cui immediatè unitur. Hinc eſſe formæ eſt ineſſe ſeu uniri & inhærere materiæ. Forma enim, ſive ſit eſſentialis ſive accidentalis, inhæret per ſeipſam, ſeu per totam ſuam entitatem, non per appendicem aliquam aut modum ſibi annexum. Utpote tota ejus entitas includit negationem eſſendi per ſe, & conſequenter tota eſt per aliud. Dico autem, completam cauſalitatem materiæ eſſe actualem ſuſtentationem, eámque eſſe modum

modum materiæ ejus cauſationem potentialem complentem. Quod ſic demonſtro. Actus complens potentiam cauſæ materialis eſt modus ejuſdem: at completa cauſalitas cauſæ materialis eſt actus ejus potentiam cauſandi complens. Major patet, quia actus complens, aliquid rei quam complet addit. Nihil enim ex incompleto hoc modo fit completum abſque aliqua additione; neque quicquam addi poteſt minus modo non realiter, ſed tantùm ex parte rei, diſtincto. Saltem ergò modum materiali cauſæ addit. Minor probatur. Potentia enim cauſandi formam non eſt completa cauſæ materialis cauſalitas. Nihil enim actu producit. Deeſt ergò aliquid ad complendam iſtam cauſalitatem requiſitum. Quid hoc eſt? Eſt profectò actus cauſandi, qui eſt modus materiæ, & actualis ſuſtentatio formæ. Nullus ergò modus inter materiam & formam, niſi actualis cauſalitas materiæ, quæ requiritur ex parte materiæ ad actualem ejus rationem cauſæ complendam, intervenit. Perperàm itaque à Suario cauſa ſuâ cauſalitate ſpoliatur, & ea cauſalitas in effectum ut modus ejus transfertur. Cauſalitas enim non eſt modus effectûs, ſed modus cauſæ, cujus potentia cauſandi incompleta eſt, donec actus ejuſdem, qui non eſt actus aut modus effectûs, ſed actus & modus cauſæ, adveniat. Potentia enim eſt cauſæ potentia, & conſequenter actus ejus eſt cauſæ actus. Quid enim actuatur niſi id cujus erat potentia cauſandi? Sed hæc videntur ſatis probata atque inculcata. Supereſt duntaxat ſcrupulus, de permanentia effectûs materialis, ejúſque permanente cauſatione, amovendus. Etenim hæc cauſatio ob permanentiam non videtur antecedanea, ſed cum effectu conjuncta. Reſpondeo, præcedentiam temporis nullam hîc requiri, ſed ſolummodo ſecundùm ordinem naturæ: ordine autem naturæ cauſationem præcedere effectum; nimirum ſi pars cauſationis totius parti effectûs quam præcisè producit rectè comparetur. Prima enim pars cauſationis ordine naturæ præcedit primam partem ſeu comparentiam effectûs, & ſecunda ſecundam, &c. quas reſpectivè cauſant. Ex dictis itaque conſtat, cauſationem antecedaneam non eſſe modum effectûs, ſed eſſe modum cauſæ.

Actionem non eſſe modum termini.

23. Suprà Capite 21. ubi de ſubjecto actionis tractavimus, primum Suarii argumentum quo paſſum eſſe proprium acti-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 381 sur 591

©BIUM

onis ſubjectum probare nititur in hunc locum diſtulimus. Cùm enim medium quo utitur ex eo ſumatur, quòd actionem nihil aliud eſſe putet quàm dependentiam termini,& hanc eſſe modum ejuſdem, reſponſum eo loci, nondum exploratâ dependentiæ naturâ, aut an ſit modus termini nécne, vix ſatìs intelligi potuerat : hîc verò opportunè argumentum proponitur, & haud difficulter diluitur. Diſp.48.ſ.4.n°.7. ſic urget; *Solet autem hæc ſententia multis rationibus confirmari ; ſed apud me duæ ſunt præcipuæ. Prima eſt, quòd actio non poteſt eſſe realiter diſtincta à termino formali qui per eam fit, ſed modus ejus : ergò ubi fuerit terminus actionis, ibi neceſſe eſt eſſe actionem ipſam, quia modus neceſſariò comitatur rem cujus modus eſt : ſed terminus actionis tranſeuntis eſt in paſſo, ex omnium ſententia, & eſt per ſe evidens. Nam calor qui fit ab igne calefaciente lignum in ligno eſt, ergò in eodem eſt actio ipſa. Primum antecedens (reliqua enim omnia manifeſta ſunt) ſæpe inculcatum eſt, & probatum ſuprà cùm de cauſa efficiente ageremus, & præcipuè tractando de creatione activa. Item in hac Diſputatione ſect. 1. oſtendimus, actionem nihil aliud eſſe quàm dependentiam effectùs à cauſa efficiente : at verò dependentia non poteſt eſſe res diſtincta à re quæ pendet, ſed ſolùm modus ejus : ergó.* Reſpondeo, revera actionem & dependentiam antecedaneam in re eandem entitatem (quanquam non eodem modo) ſignificare : verùm dependentiam hanc (quemadmodum & ipſam actionem) in duas partes, alteram activam, alteram paſſivam, dividi ; & primam actionis partem, ſeu niſum agendi, eſſe in agente ; ſecundam verò, ſeu niſum propagatum, eſſe in paſſo : neutram eſſe in termino, aut eſſe modum termini. Negamus itaque Suario actionem totam eſſe in eodem præcisè ſubjecto quo ineſt terminus. Vacillat quoque quam ad hanc rem probandam adfert conſequentia ; quia actio, ſeu antecedanea termini dependentia, (ut dixi) non eſt modus termini, & conſequenter non neceſſum habet in eodem ſit ſubjecto quo ineſt terminus. Sed pergit Suarius : *Præterea, quia poſito principio agendi, & effectu ejus, & dependentiâ effectùs à ſuo principio, ſublatâ per intellectum quâcunque aliâ entitate, ſufficienter intelligitur & effectus in actu, & cauſa efficiens in actu ; ergò impertinens eſt fingere aliam rem diſtinctam realiter ab effectu, & priorem naturâ illo, quæ ſit actio illius. Nam actio ſolùm ponitur*

ob

ob cauſalitatem agentis & dependentiam effectûs; ſed hæc intelliguntur optimè ſine illa entitate. Eſt ergò gratis conficta. Reſpondeo, poſito principio agendi, & effectu, necnon dependentiâ hujus ab illo, nullam aliam rem aut actionem effectu priorem ad ejus productionem requiri. Dependentia enim antecedanea (de qua hîc loquimur) eſt, in re, ipſa actio quâ effectus producitur. Poſitâ ergò hâc dependentiâ, nulla alia actio deſideratur. Interim hæc omnia non evincunt, actionem aut dependentiam hanc eſſe modum termini: quin potiùs hinc colligimus, (cùm hæc ex conceſſis præcedat terminum, & deſinat eſſe quo momento hic incipiat,) aliam dari dependentiam, eámque ſubſequentem, & cum termino conjunctam, quæ in effectu producto ſeu termino inhæret, quæque non eſt actio aut cauſatio quâ effectus fit, ſed in & cum eôdem tanquam inadæquatus ejus conceptus congeneratur, eíque ſolas negationes ſuprà memoratas & probatas addit.

Dependentiam inhærentem ſolâ ratione diſferre à termino.

24. Procedimus jam ad dependentiam cum termino conjunctam, necnon ad inhærentiam factam ipſius termini. Fateor has, modos, ſi valde laxâ acceptione vox ſumatur, dici poſſe. Quemadmodum enim forma aliquando latè adeò accipitur, ut non ſolùm eſſentiales, verùm etiam accidentales, imò & inadæquatos conceptus, quanquam ſolâ ratione diſtinctos, complectatur; ità modus ſuam ſignificationem eouſque extendi patitur, ut non tantùm modos ex parte rei, necnon realiter, ſed etiam ſolâ ratione diſtinctos, comprehendat. Hinc iſtæ perfectiones entis, unitas, veritas, bonitas, à nonnullis nuncupantur modi entis, etſi ſolâ ratione ab invicem & ab ente diſcrepent. Si cui igitur placuerit inadæquatos hos termini conceptus ejus modos vocare, (modò ſimul impropriè & latâ ſignificatione vocis ſe eos ſic nominare agnoverit,) me minimè refragantem habuerit. Hoc tantùm dico, terminum ſeu effectum in entitate ſua negationem independentiæ à certa individua cauſa efficiente ſibi ſoli propriam involvere, ut ſuprà probavi: ſimilitérque, termini inhærentiam dicere negationem independentiæ ab hac ejus materiali cauſa, ſeu ab hoc ejus ſubjecto. Haſce verò negationes puto, etiamſi nihil poſitivum in termino ponant, connotare tamen reſpectivè cauſationem, ſive efficientem ſive materialem, & conſequenter terminum ſive ad cauſam efficientem ſive ad ma-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 383 sur 591

©BIUM

terialem sufficienter referre : non verò esse formas positivas à terminis sive realiter sive ex parte rei distinctas, & consequenter non esse in propria vocis acceptione (ut vult Suarius) modos termini : quæ omnia suprà probavimus.

Cap. XXIV.

Axiomata quædam vulgò decantata, quæ vitæ naturæ repugnant, (quò clariùs hæc monstretur,) examinantur, corriguntur, & ad sanum sensum reducuntur.

Scopus auctoris resumitur.

1. HActenus de natura operationum in genere, earúmque communitatibus & differentiis inter se, terminísque, necnon de horum dependentia & inhærentia, tractavimus : non quòd hæc omnia ad scopum nostrum directè faciant ; sed quòd aliàs vix possimus de hisce operationibus perspicuè loqui, aut easdem ad suas causas (generali earum naturâ incognitâ) satìs distinctè referre. Utcunque sit, facilè suaderi potest, me alioquin noluisse in spinosam hanc messem, nullâ cogente necessitate, falcem immisisse. In antecessum enim gnarus eram, quanti sit moliminis acumini celeberrimi subtilissimíque Metaphysici memet opponere. Verùm spe assecutæ, ex parte saltem, veritatis fretus, hoc ausus sum. Cùm enim omnia propter operationes suas sint, quis ferat actionem, operationum facilè principem, nihil esse in agente, nihílque ei addere præter extrinsecam denominationem ; quin & causationem nihil esse in causa, sed esse modum effectûs ? Meum autem erat, ab actione ad agens, ab effectu ad causam ascendere, & ex operationibus vitam naturæ à posteriore demonstrare. Si ergò Ornatissimi Suarii sententiæ in multis repugnem, eò est, quòd ipse de dignitate vitæ naturali debita deroget. Minimè itaque mirandum, si ego, qui me vindicem istius dignitatis vitæque per se subsistentis profiteor, eum (quem aliàs mihi elegeram antesignanum) aliquoties deseruerim. Sed jam strictiùs redeundum est ad pensum, & perquirendum, an ex operationibus, & quibus, vita naturæ probari queat.

2. Inprimis

2. Inprimis ſciendum eſt, omnes operationes non eſſe ejuſdem ordinis: aliæ immanentes, aliæ tranſeuntes ſunt; & ex his aliæ ab intus, aliæ ab extrà, aliæ partim ab intus partim ab extrà, veniunt. Actiones immanentes ad tres claſſes revocantur. Prima continet naturales, ſecunda animales, tertia rationales. Nemo dubitat quin operationes animales, ſenſus, appetitus, & motus animalis, ut & rationales, intellectio, voluntas, & motus liber, ſint ſatìs certa vitæ teſtimonia. Si quâ igitur de ulla ex iſtis dubitare liceat, fuerit certè de actionibus naturalibus, de perceptione, appetitu naturali, & motu ſuiipſius. Verùm vel hiſce datis in quacunque re, imò quâlibet unâ earum, in eadem vita primæva neceſſariò inferenda eſt. Quod enim percipit, vivit; ſimiliter quod appetit, necnon quod ſeipſum ab interno ſui principio movet. Perceptionem & appetitum eſſe actus vitæ, per ſe notum eſt; quódque motus ſuiipſius ejuſdem ſit ordinis, ſuprà Cap. 17. probavimus. *Quæ operationes ſunt indicia vitæ.*

3. Dices, revera quod ab interno principio ſeipſum movet, vivere: verùm id potiùs negandum eſſe, corpora quæ vocantur inanimata ſe ab interno principio movere. Axiomata enim iſta notiſſima, quæ vulgò circumferuntur, & ab omnibus propemodum recipiuntur, tali motui repugnant: *Nihil agere in ſeipſum; Nihil pati à ſeipſo; Idem non eſſe ſimul agens & patiens; Idem non realiter ad ſeipſum referri; Quicquid movetur, moveri ab alio.* Quibus adjicere poſſumus duo principia Clariſſ. Des-Cartes eodem ſpectantia: *Quicquid movetur, perpetuò moveri; Quicquid quieſcit, perpetuò quieſcere.* Hæ omnes propoſitiones ab authoribus ferè proponuntur ut Axiomata per ſe nota & evidentia, quæque non egent probatione. De eorum prioribus fusè agit Suarius Diſp. 18. ſ. 7. ubi adfert rationem nº. 4. cur nihil agat in ſeipſum, aut ſeipſum moveat, ſimúlque eandem diſtinctione Scoti ſolvit. *Si*, inquit, *aliqua* [eſſet ratio hanc conditionem exigens,] *eſſet maximè illa vulgaris, quia non poteſt idem ſimul eſſe in potentia ad recipiendum, & in actu ad agendum. Hæc autem non videtur urgens, quia, ut Scotus argumentatur, poteſt eſſe in actu virtuali ſeu eminenti, & in potentia formali, id eſt, habere vim eminentem ad efficiendam talem formam, & capacitatem ad recipiendam formaliter illam. In hoc enim nulla involvitur repugnantia.* Vix tamen in hoc reſponſo Clariſſ. Metaphyſicus acquieſcit. Pergit enim; *Sed contrà,* *Axiomata oppoſita expenduntur.* *Suarii expoſitio.*

©BIUM

eſt Axioma illud ab Ariſtotele traditum, Omne quod movetur, ab alio movetur. Neque quidem hoc dictum ei planè arridet, ſed tot limitationibus & reſtrictionibus corrigit & coercet, ut Axioma propemodum enervatur & inutile redditur.

An quicquid movetur, moveatur ab alio.

Suarii limitationes.

4. Primò enim ſtatuit, agens à paſſo non neceſſariò diſtingui ſuppoſito. Secundò, ſupponit, in eodem ſuppoſito agens à patiente variis modis diſtingui poſſe: exempli gratiâ, primò, ſecundùm partes integrantes; ut ſi una pars moveat aliam: deinde ſecundùm diverſas partes eſſentiales; ut ſi per formam moveat, & per materiam moveatur: item ſecundùm facultates; ut ſi per unam facultatem agat, & per aliam recipiat. Tertiò, diſtinguit varias actiones, de quibus ſigillatim tractat. Nos verò primò iſtius dicti (*Quicquid movetur, movetur ab alio,*) fundamenta conſiderabimus, & dein ad operationum genera & ſpecies deſcendemus.

Primum fundamentum axiomatis excutitur.

5. Fundamentum Axiomatis (de quo loquimur) primum non fuit Suario penitùs incognitum. Etſi enim idem nomine fundamenti non expreſsè tractet; ejus tamen mentionem paſſim facit. Aſſerit enim ſola viventia ſe movere; non-viventia, eo ipſo quòd non vivant, non poſſe ſe movere. Infert itaque, Ariſtotelem, ubi dicit, *quicquid movetur, ab alio moveri,* intelligi debere de motu non-viventium. Quaſi diceret, quæ non vivunt, ſi moveantur, ab alio moveri. Verùm hujus quoque aſſertionis aliqua ratio exigenda videtur. Ea quam Suarius adfert nº. 28. bene vetuſta eſt, & authoritate Platonis olim fulta, naturam non indulſiſſe non-viventibus vim perficiendi ſe. Veruntamen cùm natura nulli ſuppoſito perfectionem cujus capax eſt invideat, dicendum videtur, ex hac ſententia, non-viventia eſſe virtutis perficiendi ſe, & conſequenter ſe movendi, incapacia. Quæro igitur adhuc, cur ſint incapacia. Videtur inſinuare Suarius, quia totam ſuam perfectionem à generante accipiunt, & in eo quieſcunt. Quid? nihilne agunt? Ergò, cùm omnia ſint ſuæ operationis gratiâ, fruſtrà ſunt. Fateor, ſi dentur corpora quæ nihil agunt, ea eſſe fruſtrà, & vitâ naturæ orba: ſin nulla inveniantur quæ planè quieſcunt & otioſa ſunt, nullis negatur vis perficiendi ſe, nullis negatur hoc genus vita. Dices, fieri non poſſe, ut ea quæ non ſunt animata, ſe perficiant. Verùm hoc ſaltem quæro, quo indicio id nobis innoteſcat. Verbo dicam: Quod ſe perficit,

perficit, perfectionem ſuam ſibi, ut finem actionis ſuæ, ſeu ut finem ſui niſûs movendi ſe, proponit. Nititur ergò ſe perficere propter finem: ergò perfectionem ſuam ut finem appetit; ergò percipit; ergò vivit. E contrà, Quod non vivit, non percipit, non appetit, non nititur ſive ſe ſive aliud movere aut perficere. Rectè itaque veteres aſſignârunt cauſam cur non-viventia ſe non moveant. Sed quid indè colligimus? Profectò evidentiſſimè ſequitur, ea quæ ſe movent, vivere. Etenim ſpontè nituntur: ergò appetunt; ergò percipiunt; ergò vivunt. Quod agit nititur: Actio enim, ut ſuprà probavimus, eſt niſus movendi, ſive ſe, (in actione immanente,) ſive aliud, (in actione tranſeunte.) Quare actio eſt conatus ſeu niſus, & quidem ſpontaneus, niſi ab extrà veniat. Ea enim quæ ab extrà non coguntur, non invitè, & conſequenter ſpontè, nituntur. Niſus autem ſpontaneus præſupponit appetitum. Quid enim eſt ſpontè niti? Eſt profectò aliquid ambire, & ut perfectionem quærere, hoc eſt, eſt aliquid appetere. Nihil enim ſpontè, ſub ſpecie perditionis, ſe it perditum. Habemus itaque primum actionis fundamentum quæſitum, nimirum, Quod non vivit, non percipit ſe, aut quid ad perfectionem ſuam faciat; quod non ſic percipit, non appetit eam perfectionem; quod non appetit, non movet ſe ad eandem aſſequendam: ergò quod non vivit, non ſe movet, non ſe perficit. Tota ratiocinatio, ut ex dictis videre eſt, falſæ innititur ſuppoſitioni, alioquin rectè infert. Utpote ſi dentur corpora quæ vitam nullo modo participant, ea profectò ſe movere nequeunt. Nos verò contrà aſſerimus, omnia corpora ſe movere, & conſequenter vitam quandam participare. Ad cujus theſeos ulteriorem confirmationem, motuum atque operationum præcipua genera in futuro Diſcurſu ſigillatim percurremus.

Secundum fundamentum examinatur.

6. Sed interea loci alterum hujus Theorematis fundamentum paucis excutiamus. Metaphyſici percipientes multa corpora inanimata ſe aliquo modo movere, nec ſuo Axiomati ſatis eſſe morigera, excogitârunt formam loquendi ad quam, tanquam ad aſylum, urgente quavis neceſſitate, recurrant. Si quod corpus inanimatum ſe fortè paulò apertiùs moveat, dicendum eſſe, moveri à generante. Pro fundamento igitur habent, corpora inanimata, ſi moveantur, moveri à generante. Ego quidem fateor me non intelligere hanc ratiocinationem,

animata

©BIUM

animata non moveri à generante, ſed inanimata ſolúm. An generans in inanimata magis efficaciter quàm in animata influat? Cur enim illorum operationes potiùs generanti, quàm horum, tribuamus? Aut quid magis in illorum productione, quàm in horum, molitur generans? Agens ſeu generans naturale id ubique agit, ut effectum ſuum integrum, hoc eſt, omnibus proprietatibus & facultatibus ad naturales ſuas operationes requiſitis inſtructum, edat. Non itaque generans inanimatorum ea manca, & de ſe ad ſuas operationes inepta, magis quàm animata, producit. Aut dic cur inanimata potiùs quàm animata ſint generantis inſtrumenta. Generans, ſuppoſitum genitum ipſo momento productionis è poteſtate ſua manumittit. Eſt enim tunc ens per ſe ſubſiſtens, & ſufficiens ſuarum operationum principium. Etenim quod per ſe ſubſiſtit, per ſe operari poteſt. Etſi enim applicari poteſt, ut inſtrumentum alterius; ſibi tamen permiſſum, ſuo marte operatur, & non ut alterius inſtrumentum. Operationes enim, ut ſuprà probavimus, ſunt ſuppoſitorum, ad quæ ultimò revocandæ ſunt. Generantia quidem, dum generant, operantur, & mutant genitum: facto autem hoc, in id nomine generantis non ampliùs agunt, nec ut inſtrumento utuntur; ſed vel conſervant, vel cooperantur, vel planè dimittunt. Quid quòd plerumque ſeparentur, & tanto intervallo inter ſe diſtent, ut in nulla operatione concurrere queant? imò frequenter fit, ut generans deſinat eſſe priuſquam genitum actionem de qua quæritur aggreditur. Videtur reſpondere Suarius, generans non immediatè agere, ſed producere formam, proprietates & facultates, per quas, ut per inſtrumenta ſua, genitum movet. Attamen pari ratione dici poteſt, generans movere animata à ſe genita. Iis enim non minùs formam, proprietates & facultates indit. Sed errat Clariſſ. Vir, ſi putet facultates, proprietates & formas eſſe generantis inſtrumenta. Accidens naturale & proprietas eſt ſubjecti accidens aut proprietas, non generantis; & forma eſt materiæ forma. Forma enim genita non ampliùs eſt generantis inſtrumentum, ſed materiæ cujus eſt, cuique materia dat eſſe & operari ut inſtrumento ſuo. Omnes enim operationes naturales ad naturam per ſe ſubſiſtentem, ad quam propriè ſpectant, ultimò reducendæ ſunt. Ridiculum quidem eſt, quod multi affirmant,

mant, proprietatem naturalem unius ſuppoſiti eſſe inſtrumentum alterius: quaſi magis dependeret à generante quàm à naturali ſubjecto. Dependebat fortaſſe olim in generatione à generante: verùm non jam ampliùs ab eo actu dependet, aut in poſterum dependebit. *Impoſſibile enim eſt*, dicente Suario, ſ. 10. n°. 8. *ut, ceſſante vel tranſactâ actione, duret cauſa in actu.* Quare generans non eſt actu cauſa geniti, ſed ſolùm fuit cauſa; nec eſt actu cauſa proprietatum aut accidentium, ſed fuit cauſa. Cùm ergò non ſit actu harum cauſa, quî fiat ut ſit actu principalis cauſa effectuum earum? Actualem cauſam quærimus, non talem quæ jamdiu defuncta eſt. Cujuſvis autem effectûs, ipſo momento quo producitur, datur cauſa actualis; quæ non tantùm inſtrumentalis eſt, ſed datur etiam principalis, præſertim ubi effectus à proprietate naturali dependet. Eſto itaque proprietas cauſa inſtrumentalis proxima alicujus effectûs. Quæro igitur quænam ſit principalis cauſa iſtius proprietatis. Certè proxima (ſi non principalis) eſt forma. Verùm forma nequit eſſe cauſa principalis aut ultima creata, in qua quieſcendum ſit, quia non per ſe ſubſiſtit. Quod enim non per ſe ſubſiſtit, nequit eſſe principalis ſeu ultima cauſa creata cujuſvis effectûs. Eſt enim ens alterius, & conſequenter inſtrumentum alterius. Habet enim in eodem ſuppoſito cauſam ulteriorem. Quærimus ergò hanc ceu principalem. Eſt autem materiæ natura per ſe ſubſiſtens; quâ ſuperior creata non datur. Ergò eſt prima & principalis: cúmque ſit actu cauſa formæ, eſt actu quoque cauſa proprietatis, quæ eſt effectus formæ, & actu cauſa effectuum proprietatis. Habemus ergò primam ſeu ultimam cauſam creatam cujuſvis naturalis operationis: quæ, quòd ultima ſeu prima ſit, neceſſariò eſt principalis. A nulla enim creatura in ſua entitate aut operatione dependet: forma autem materialis ab ea immediatè & actu, necnon proprietas, mediante formâ, ab eadem actu dependet. Eadem verò forma non omnino actu dependet à generante. Generans ergò non eſt actu cauſa formæ, aut proprietatis, aut operationis hujus; nedum eſt cauſa principalis. Hoc argumentum ritè perpenſum videtur vim demonſtrationis in hac re obtinere. Demonſtrat enim generans non omnino eſſe actualem cauſam, nedum principalem, ullius operationis geniti, ſed in prima tantùm productione fuiſſe cauſam.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 389 sur 591

©BIUM

Naturæ defectus miraculis non sarciri.

7. Si quis putet eludi posse hoc argumentum, recurrendo ad generans supernaturale, (quòd Deus non sit solùm primæ productionis creaturæ causa, sed, conservando eam, totius continuationis ejusdem;) plurimùm fallitur. Non enim quærimus supernaturalem, sed naturalem, causam. Theologis ultro largimur Deum esse immediatam omnium effectuum causam, & simpliciter primam seu ultimam eorum qui tribuuntur generanti: sed simul dicimus, Deum esse pari jure immediatam & primam causam omnium operationum animalium, (quæ tamen vulgò non tribuuntur generanti.) Unde liquet, non hîc quæri causam supernaturalem, (quæ Theologorum materies est,) sed naturalem, (quæ Physicorum.) Dices, fortasse, operationes quæ tribuuntur generanti non habere causas naturales quæ sint principales, sed tantùm instrumentales: Deum verò in hujusmodi casibus locum causæ principalis immediatè supplere. Verùm hoc est deserere naturam, & confugere ad miracula, ut naturæ defectus supplentur: quasi Deus agentium naturalium naturas primò imperfectas feciisset, & defectus subindè creationis suæ miraculosè, seu supernaturali concursu, sarcire coactus esset. Ego eos indignos refutatione deputo qui in disquisitione de causis naturalibus, ut suam legum naturæ ignorantiam celent, Deum subindè in proscenium evocant; ut nimirum phænomena iis alioquin insolubilia miraculis imputando solvant. Nonne satius est, propriam intellectûs fragilitatem agnoscere, quàm operibus creationis defectum crassè impingere?

Effectus naturales non excedere virtutem causæ.

8. Dices, in omnibus effectibus hoc non fieri, sed in iis solùm qui saltem virtualiter seu eminenter non continentur in causis suis. Fateor, si naturales uspiam istiusmodi effectus dentur, cornicis oculum figunt; sin aliter, toto cœlo errant: impossibile autem est, effectus naturalis virtutem causæ excedat. Vel ergò dicendum est, causam, quam nos assignamus, virtualiter continere effectum; vel non esse veram causam; saltem aliam, (quam ignoramus, quámve nolumus agnoscere) cooperari, & causæ principalis locum tenere: nequaquam admittendum est, ordinarias naturæ operationes esse miracula: diligentiùs ergò inquirendum est, & causa effectui adæquatè respondens est invenienda. Exempli gratiâ, experientiâ constat multa corpora, inanimata dicta, se movere: non statim ad miracula

miracula confugiendum, ſed potiùs concedendum, dari in iis quandam naturæ vitam, quæ ſola iſtius operationis ſufficiens eſſe cauſa queat. Verùm ſi pertinaciter velis contendere, ubi effectus cauſæ aſſignatæ vires manifeſtè ſuperet, non eſſe exquirendam aliam cauſam, ſed recurrendum potiùs ad cauſam ſupernaturalem; omnem planè diſquiſitionem, quâ ab effectis ad veras cauſas indagandas deducimur, fruſtraveris. Si enim effectus naturalis nobilior ſit causâ cui à nobis tribuitur; neceſſe eſt in natura ſubſit alia cauſa, & ſaltem adæquata effectui, utcunque à nobis ſit incognita. Ut, inſtinctu quodam naturæ aves pullos ex ovis ſuis exſpectant. Exſpectatio hæc eſt effectus qui non tantùm ſenſum, ſed & rationem acutiſſimi philoſophi, (inexperti talis eventûs) facilè ſuperet. Sed vitæ naturali ab initio nota ſunt omnia ſua opera. Tantùm hîc quærenda eſt via quâ partes generationi inſervientes ſuam naturalem perceptionem animalem reddant: quod quidem motu quodam nervorum dictis partibus miniſtrantium, cerebróque ideas pullorum & Storgen imprimentium, fieri veriſimile eſt; nec cogit neceſſitas vel hîc ad miracula confugiamus.

9. Tertium adjungimus Axiomatis fundamentum, inanimata moveri à *removentibus impedimenta*. Revera neque inanimata, neque quidem animata, impedimentis obſtructa moveri queunt: hoc ergò paria ſunt. Eodem enim jure quo fas ſit dicere inanimata à removentibus impedimenta moveri, licet quoque dicere ab iiſdem moveri animalia. Si animal conſtringatur quadrupes, qui ſolvit vincula, animali libertatem ambulandi reſtituit. Similiter, ſi plumbum filo ſuſpendatur, reſecans filum dat eidem copiam deſcendendi. Verùm ſi rem penitiùs introſpiciamus, neutrum à removente impedimentum effectivè movetur. Etenim ſi animal conſtrictum paralyticum ſit, ſolutis licèt vinculis, nihilo magis movetur. Solutio enim vinculorum vim movendi (ubi aliàs deſit) non indit, tantùm cauſam repugnantem amovet. Pari modo ſi in plumbo nulla eſſet propenſitas ad deſcendendum, reſecto licèt filo, non deſcenderet. Quare removens impedimenta non eſt propriè efficiens cauſa, & ad ſummum eſt ſolùm cauſa ſine qua non, quæ re ipsâ non eſt cauſa. Quid quòd fieri poteſt, ut ipſum pondus plumbi tractu temporis filum

Tertium fundamentum trutinatur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 391 sur 591

©BIUM

rumpat, & hanc evaſionem eſſe inutilem oſtendat? Quotidie propè cernimus viſcidos liquores, ſi eorum particulam cuſpide cultelli elevaveris, in tenue filum duci; cujus extremitati globulus ejuſdem materiæ appenditur, qui ſuo niſu deorſum tèndit, filúmque, ejus deſcenſum impediens, diſtendit, & utplurimum diſrumpit. Illico ſuperior pars rupti fili ſe ſurſum retrahit, & in minorem globulum coit: qui pendet in aere, iterúmque filum cui adhæret nititur diſtendere. Si ergò grave ſuo marte ſe vindicet ab impedimento, fruſtrà à removente impedimentum moveri dixeris. Siquidem ſuo niſu deorſum id removet, & conſequenter eodem ſe deorſum movet. Verùm de motu gravium infrà fortaſſe plura dicentur. Interea loci ſtatuimus, ea quæ ſe movent, impropriè dici à removente impedimentum moveri.

Verus axiomatis ſenſus.

10. Quid demum dicendum eſt de Axiomate Ariſtotelis, *Quicquid movetur, movetur ab alio?* Exiſtimo reſtringi debere ad eum motum quo appetitus cujuſvis corporis nonnihil infringitur ſeu cogitur. Ariſtoteles motum violentum nominat. Illuſtriſſimus Vicecomes S^ti^ Albani, in Novo ſuo Organo, motum oppoſitum motum libertatis vocat, & paulò pòſt, motum mechanicum. Verùm nomine motûs mechanici videtur concretè ſimul includere tum motum violentum, tum libertatis: eum nimirum quo natura ſimul patitur, & ſe à vi illata vindicare nititur. Quivis enim motus mechanicus utrumque complectitur. Verba ejus ſunt; *Motum violentum (quem nos mechanicum, Democritus, qui, in motibus ſuis primis expediendis, etiam infra mediocres Philoſophos ponendus eſt, motum Plagæ vocavit) nil aliud eſſe quàm motum libertatis, ſcilicet à compreſſione ad relaxationem. Etenim in omni ſive ſimplici protruſione ſive volatu per aerem, non fit ſummotio aut latio localis antequam partes corporis præternaturaliter patiantur & comprimantur ab impellente. Tum verò partibus aliis alias per ſucceſſionem trudentibus, fertur totum; nec ſolùm progrediendo, ſed etiam rotando ſimul; ut etiam hoc modo partes ſe liberare, aut magis ex æquo tolerare, poſſunt.* Idem motus concretè, ut dixi, ſumptus rectè appellari poteſt pulſio ſive protruſio. Verùm de quovis motu violento ſi Axioma intelligatur, veriſſimum eſt; Quicquid pulſione aut protruſione, ſeu quicquid violenter, movetur, movetur ab alio. Eodem quoque ſenſu vera ſunt alia dicta ſuprà recitata;

recitata ; Nihil agere in ſeipſum, hoc eſt, nihil ſibimet ipſi vim inferre : Nihil pati à ſeipſo ; nempe, nihil perdere ſeipſum, aut ſibi nocere : Nihil eſſe ſimul agens & patiens ; ſcilicet, nihil ſibi violentiam inferre ut agens, & eandem recipere ut patiens : denique, Idem non realiter referri ad ſeipſum ; putà, non realiter referri ad ſeipſum ut hoſtem ſibi. Alioquin enim idem poteſt realiter ad ſeipſum referri ſecundùm ſuas diverſas cauſalitates : ut, virtute activâ ſe moveat, & paſſivâ eundem motum recipiat. Quare nihil prohibet quin idem ad ſe perficiendum aut ad ſortem ſuam meliorandam ſe moveat : quod Axiomata objecta ritè intellecta non eunt inficias.

An quicquid quieſcit, perpetuò quieſcat.

11. Superſunt tantùm Clariſſ. Des-Cartes aſſertiones expendendæ: *Quicquid quieſcit, perpetuò quieſcit ; Quicquid movetur, perpetuò movetur.* Deſumuntur ex principiis ejus Philoſophiæ, parte 2. n°. 36. & 37. Verùm ſi diſertis verbis, abſque alia limitatione, admittantur, facilè inferri poteſt, nihil à ſeipſo moveri. Si enim quicquid quieſcit, perpetuò quieſcat ; nihil unquam de ſe veternum quietis ſemel impreſſum excutit : & ſimiliter, Si quicquid movetur, perpetuò moveatur ; nihil motum aliquem de novo incipit. Recurrit igitur rejectum Ariſtotelis Axioma, Quicquid movetur, movetur ab alio. Veruntamen non protinus ab interpretatione modò aſſerta recedendum puto. Perpendamus igitur dictorum Des-Cartes fundamenta. Horum duo, primum generale, alterum particulare, ab Authore proponuntur. Nos utrumque conſiderabimus, & primò generale.

Sententia Des-Cartes eventilatur.

12. Ornatiſſimus Vir, loco citato, duplicem motûs cauſam aſſignat. *Primò ſcilicet,* (inquit) *univerſalem & primariam, quæ eſt cauſa generalis omnium motuum qui ſunt in mundo ; ac deinde particularem, à qua fit ut ſingulæ materiæ partes motus, quos priùs non habuerunt, acquirant. Et generalem quod attinet, manifeſtum mihi videtur illam non aliam eſſe quàm Deum ipſum, qui materiam ſimul cum motu & quiete in principio creavit ; jámque, per ſolum ſuum concurſum ordinarium, tantundem motûs & quietis in ea tota quantum tunc poſuit conſervat. Nam quamvìs ille motus nihil aliud ſit in materia mota quàm ejus modus ; certam tamen & determinatam habet quantitatem, quam facilè intelligimus eandem ſemper in tota rerum univerſitate eſſe poſſe, quamvìs in ſingulis ejus partibus mutetur.* Sententia mihi partim obſcura, partim perplexa videtur. Primò enim,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 393 sur 591

©BIUM

non satìs explicat an Deum velit creâsse motum simul cum materia, ut effectivè dependentem à materia, an ut independentem. Non dubium est quin agnoscat motum subjectivè à materia pendere. Expressè enim dicit, motum esse materiæ modum; unde infertur illam esse hujus subjectum. Tota ergò dubitatio reducitur ad causam efficientem. Si velit Deum in & cum materia concreâsse motum ut causam ejus primam, sed ut effectivè quoque dependentem à materia tanquam à causa secunda; nihil aliud dicit quàm quod ego ultro concederem. Siquidem, ut Deum causam simpliciter primam omnium effectuum, ità materiam, è secundis, esse primam seu ultimam effectuum materialium, agnosco. Nam, ut loquuntur Metaphysici, Deus simul creavit solem cum luce, sed hanc ut effectivè dependentem à sole: similiter subjecta omnia cum proprietatibus suis, nihilo minùs dependentibus à subjectis. Si ergò Deus ab initio creaverit materiam cum motu; nihil tamen prohibet quin motus ille sit effectivè dependens à materia: quod Ornatissimus Vir non satìs explicitè affirmat. Imò potiùs ansam præbet suspicandi, eum non admittere istam interpretationem, cùm subjungat, *per solum Dei concursum motum conservari.* Sin opinetur Deum in principio creâsse motum nullo modo à materia effectivè dependentem, iste motus absque propriè dicto miraculo continuari nequit. Non enim causam efficientem naturalem, sed solùm supernaturalem, habuerit. Atque hoc ipsum videtur Dignissimus Vir, cùm dicat *per solum Dei concursum conservari*, insinuare. Hæc autem sententia sic intellecta imperfectionem quandam operibus creationis impingit; ea non esse sufficientia principia naturalia seu secunda operationum suarum. Omnes fatentur, absque concursu causæ primæ secundas operari non posse; sed dato hoc, satìs instructas esse. Fortasse non hoc negat Des-Cartes, quòd dicat per concursum ordinarium motum conservari. Verùm hinc saltem alius exoritur scrupulus. Nam concursus ordinarius supponit cooperationem creaturæ; conjunctus autem terminus [*solus*] causas secundas excludere videtur: ut sensus maneat dubius.

Motum & quietem non consistere.

13. Secundò, conjungit Author motum & quietem; Deum creâsse materiam simul cum motu & quiete.. Verùm motus & quies sibi invicem succedere solent, non coexsistere. Asserit nullum

lum dari motum præter localem. Quod verò localiter movetur, quo ſenſu dicitur localiter quieſcere? Proximo enim paragrapho dicit, ut id quod ſemel movetur ſpontè quieſcat, *legibus naturæ quàm maximè adverſari; quies enim motui eſt contraria.* Cùm ergò omnia creentur cum motu, quo ſenſu ſimul quieſcant? Certè reſpectu ejuſdem motûs localis quo moventur, non ſimul quieſcunt, ſed reſpectu alterius, cujus capacia ſunt. Debuit ergò dicere, materiam cum certo genere motûs, diverſóque quietis, creatam fuiſſe. Hoc mihi neceſſum fuit advertiſſe, ut diſtinctè quod genus motûs, quódque quietis, ſit perpetuum inveſtigem. Omnis enim motus non eſt perpetuus, ut nec omnis quies; ut ex ipſis Authoris verbis citatis conſtat; ubi particularem motûs cauſam eam eſſe ait à qua *ſingulæ partes materiæ motus quos priùs non habuerunt acquirunt.*

14. Sed hîc tertia oboritur difficultas, quî fiat ut materia novos motus, quos priùs non habuerat, ſuſcipiat; cùm verbis præcedentibus dixiſſet, cauſam univerſalem eſſe *cauſam generalem omnium motuum qui ſunt in mundo.* Nullus ergò locus novis motibus relinquitur. Dicit enim paulò pòſt, eandem cauſam univerſalem materiam cum motu & quiete in principio creâſſe, necnon tantundem motûs & quietis conſervare. Ex dictis facilè putes, cauſam univerſalem omnes motus quietémque ab initio indidiſſe, nec ullos poſtea addidiſſe. Sed fortè intendit Deum quidem fuiſſe univerſalem cauſam motuum ſimpliciter omnium; verùm in principio certam quantitatem motûs & quietis materiæ influxiſſe, poſtea verò alios particulariores ſuppleviſſe. Vereor autem ut verba ejus hanc expoſitionem ferant, cùm nullus novus motus addi queat qui non ſaltem infringat quietem aliquam ab initio inditam. Dices, authorem non intendere motum aut quietem ab initio indita perpetuò eadem manere, ſed eandem quantitatem utriuſque: ait enim, *quantò motus unius partis lentior fit, tantò motum alicujus alterius ipſi æqualis fieri celeriorem.* Verùm differunt rationes motûs & quietis, quòd motus admittat gradus, quies autem nullos. Quare minimus gradus motûs quietem interturbat: quies autem aliqua ab initio poſita in totum eradicanda eſt, priuſquam novus motus inferri poteſt. Non ergò video quo ſenſu dicit, tantundem motûs & quietis conſervari, cùm quies non ſubjiciatur gradibus, ſed ſi minuatur, tota tollitur.

An motûs quantitas perpetuò maneat.

Dices,

©BIUM

Dices, auctorem fortaſſe velle, quietem ab initio datam totius, non partium, fuiſſe. Partes itaque materiæ poſſe per vices moveri. Nam revera tota materia aliter quàm per partes omnes moveri nequit. A quo enim, aut ad quem terminum, movebitur? Materia itaque movetur ſecundùm partes, & non ſecundùm totum. Cæterùm neque hæc adhuc expoſitio ſufficit. Siquidem Des-Cartes quietem non ſolùm toti, verùm etiam partibus materiæ, tribuit. Vult enim eas quæ ſemel quieſcunt, ſibi permiſſas, ſemper quieſcere. Si ergò novus motus in aliquam partem incidat, tantundem quietis in ea parte quantum ab initio concreatum fuit non conſervatur. Sed mittamus generalem cauſam, & deſcendamus ad particularem.

Nullum motum violentum eſſe perpetuum.

15. Hanc proximo paragrapho refert. *Ex hac*, inquit, *eadem immobilitate Dei, regulæ quædam ſive leges naturæ cognoſci poſſunt, quæ ſunt cauſæ ſecundariæ ac particulares diverſorum motuum, quos in ſingulis corporibus advertimus. Harum prima eſt, unamquamque rem, quatenus eſt ſimplex & indiviſa, manere, quantum in ſe eſt, in eodem ſemper ſtatu, nec unquam mutari niſi à cauſis externis. Ità ſi pars aliqua materiæ ſit quadrata, facilè nobis perſuademus, illam perpetuò manſuram eſſe quadratam, niſi quid aliunde adveniat quod ejus figuram mutet: Si quieſcat, non credimus illam unquam incepturam moveri, niſi ab aliqua cauſa ad id impellatur: Nec ulla major ratio eſt, ſi moveatur, cur putemus ipſam unquam ſuâ ſponte, & à nullo alio impeditam, motum illum ſuum eſſe intermiſſuram. Atque ideo concludendum eſt, id quod movetur, quantum in ſe eſt, ſemper moveri.* In verbis tamen ſequentibus idem Author largitur, ea quæ apud nos ſunt corpora mota, quoquo modo brevi deſiſtere. *Sed*, inquit, *quia hìc verſamur circa terram, cujus conſtitutio talis eſt, ut motus omnes qui prope illam fiunt brevi fiſtantur, & ſæpe ob cauſas quæ ſenſus noſtros latent; ideo ab ineunte ætate ſæpe judicavimus, eos motus, qui ſic à cauſis nobis ignotis fiſtebantur, ſuâ ſponte deſinere: Jâmque proclives ſumus ad illud de omnibus exiſtimandum, quod videmur in multis eſſe experti; nempe illos ex natura ſua ceſſare, ſive tendere ad quietem. Quod profectò legibus naturæ quàm maximè adverſatur: quies enim motui eſt contraria; nihilque ad ſuum contrarium, ſeu ad deſtructionem ſuiipſius, ex propria natura ferri poteſt.* Clariſſimus Vir non declarat cauſam cur corpora apud nos

nos mota brevi ſedantur : tantùm aſſerit, cauſam in ſenſum non incurrere, atque indè nos ſuſpicari ea ſpontè quieſcere. Fateor, ea eſt ingenii noſtri tarditas, facilè ſuſpicamur ea corpora commota, quæ iterum ſedantur, quorúmque non occurrit cauſa à qua ſedentur, ſpontè ſedari. *Sed*, inquit, *eſt legibus naturæ contrarium, quia motus & quies ſunt contraria.* Agnoſco eſſe privativè oppoſita, & conſequenter, ſi motus ſit corpori moto naturalis, quies ei naturalis non eſt : ſed ſi motus ſit præternaturalis, profectò oppoſita quies naturæ ejus convenit : neque opus eſt dicamus, ſi corpus violenter motum ſe paulatim compeſcere ſtudeat, id ad deſtructionem ſuiipſius ferri, quin potiùs naturæ ſuæ deſtructionem avertere. Aqua calefacta eſt aqua commota, quæ ſibi permiſſa nativam frigiditatem & quietem repetit. Similiter aqua ſtagnans injecto lapide commovetur, & inæqualem ſuperficiem exhibet. Undulationes enim circulares à loco quo incidebat lapis, ceu à centro, undique ad marginem excurrunt : ſed ſubindè minores, donec aqua ſe ad planitiem ſibi connaturalem reducat. Si lapis ſurſum projiciatur, ſuopte ingenio impetum violentum ſibi impreſſum ſenſim mitigat, & contrario motu, nempe deorſum, ſe mox ſpontè movere incipit, &, ut nonnullis placet, quieſcit in puncto reflexionis. Quare motus lapidis ſurſum projecti, etiam ſublato impedimento, non eſt perpetuus ; neque omnis quies de ſe perpetuatur : ſed fortaſſe motus naturalis in aliquibus corporibus nunquam deſinit, ut nec aliqua quies, quæ eſt ſecundùm naturam. Non ergò repugnat legibus naturæ, ut quod violenter movetur, ſpontè quieſcat ; aut quod violenter detinetur, ſibi permiſſum ſe denuo moveat. Sit ergò hæc prima limitatio horum Aphoriſmorum.

Motum rectum non eſſe perpetuum.

16. Quò alteram inveniamus, perpendenda eſt Ornatiſſimi Des-Cartes ſecunda lex motuum, n°. 39. *Unamquamque materiæ partem, ſeorſim ſpectatam, non tendere unquam ut ſecundùm ullas lineas obliquas pergat moveri, ſed tantummodo ſecundùm rectas : etſi multæ ſæpe cogantur deflectere propter occurſum aliarum, atque, ut paulò antè dictum eſt, in quolibet motu fiat quodammodo circulus.* Videtur inſinuare, motum corporis ſuæ indoli relicti eſſe ſolummodo rectum. Ego verò, quanquam minimè ei aſſentior, omnem motum naturalem eſſe rectum, aſſero tamen, dari motum rectum ; qui etſi naturalis eſſe concedatur,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 397 sur 591

©BIUM

tur, concipi tamen nequit esse de natura sua perpetuus. Quanquam enim Mathematici, suæ demonstrationis gratiâ, lineam rectam infinitam per impossibile supponunt: physicæ tamen realitates istiusmodi suppositiones, ut sufficientia motûs fundamenta, non ferunt; sed quicquid rectâ lineâ fertur, ad terminum quietis moveri: ad terminum, inquam, respectu motûs recti; etiamsi fortè respectu motûs circularis, aut etiam alterius varii, in suo loco adhuc moveatur. Ut exhalationes sursum feruntur: verùm simulac perveniunt ad materiam ejusdem tenuitatis secum, earum motus rectà sursum cessat, & vel motu circulari, vel alio vario aguntur, & saltem proprias operationes ibidem exercent. Atque idem ferè dicendum est de descensu gravium. Etenim si centrum terræ perforatum esse supponatur, probabile est lapidem demissum, propter impetum in descensu acquisitum, ultra centrum lapsurum esse, iterúmque centrum versus recursurum, sæpiúsque modò ultra, modò citra idem motitaturum; impetum autem adventitium utrinque naturali aversatione ascendendi sensim compositurum, demúmque in centro se libraturum. Motus itaque rectus terminum quietis quærit; nec res mota eum motum propter seipsum expetit, sed ut suarum facultatum exercitio inter corpora ejusdem raritatis aut densitatis fruatur. Sit ergò secunda limitatio propositionis, id quod motu recto movetur, non perpetuò moveri: sed si ullus motus particularis sit perpetuus, est profectò circularis, ut is planetarum, &c. E contrà, si ulla quies sit perpetua, est quies à motu recto, ut centri motus circularis. Aliter enim, quæ respectu lationis quiescunt, respectu assimilationis sibi & propagationis naturæ suæ operantur.

Species motûs recti.

17. Sed fortasse operæ pretium fuerit omnes species motûs recti percurramus, ut an ulla earum sit perpetua expendamus. Motus rectus est vel perpendicularis, vel transversus. Perpendicularis est vel sursum, vel deorsum. Transversus est vel horizontalis, vel transversim ascendens, vel transversim descendens.

Cur lapis subindè tardiùs ascendat, velociùs descendat.

18. De perpendiculari sursum & deorsum primò quærimus, cur lapis aut sphæra plumbea sursum projecta velociùs moveatur in principio, tardiùs in fine: è contrà, cur eadem tardiùs à primo lapsu, & sensim velociùs, in descensu moveatur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 398 sur 591

moveatur. Hi motus comparativè expendendi ſunt. Primò, certum eſſe arbitror, lapidem ſurſum latum nonnihil impediri & ſenſim retardari ex occurſu aeris cui allidit : ſed ſimiliter in deſcenſu allidit aeri, interímque ſubindè velociùs deſcendit. Quare occurſus aeris non eſt tota ratio retardationis. Aliter enim æquè retardaret deſcenſum ac aſcenſum ; imò magìs illum quàm hunc. Etenim quò altiùs lapis aſcendit, eò minùs aer ei reſiſtit ; quò propiùs ad terram revertit, eò magís. Quod ſic demonſtro. Aer craſſior & denſior lapidi magìs reſiſtit quàm tenuior & levior : at aer prope terram craſſior & denſior eſt : ergó. Major per ſe nota eſt, & innumeris inſtantiis confirmari poteſt. Motus enim in aere multò facilior eſt quàm in aqua, & in aqua quàm in terra. Ratione quoque probari poteſt ſic ; Quod gravius eſt, cæteris paribus, ægrius ſe loco dimoveri ſinit, magíſque moventi renititur : at quod denſius, gravius eſt : ergó. Rhedarii & bajuli certiſſimè experiuntur majorem eſſe veram. De minore, quod ſciam, nemo hactenus dubitavit. Reſpiciamus itaque ad minorem proſyllogiſmi. Dico, aerem terræ viciniorem craſſiorem eſſe. Quiſquis conſcendit montem facilè percipit, aerem circa faſtigium multò ſubtiliorem eſſe, minúſque vaporibus remiſtum, quàm circa radicem. Quin & ratione evincitur, quòd aer attenuatus conſtanter evolet, & craſſior hic ſubſiſtat. Cùm ergò lapis deſcendens non minùs ab aere occurrente reſiſtatur quàm aſcendens ; cúmque aſcendentis motus ſenſim minuatur, & deſcendentis intendatur : neceſſe eſt ſit alia cauſa hujus differentiæ præter nudam reſiſtentiam aeris. Inſuper in aſcenſu lapidis, aeris ceſſio nullo corpore terminato repercutitur : at in deſcenſu, terræ ſoliditas aerem deſcenſu lapidis depreſſum reverberat, & in lapidem deſcendentem quaſi reſilire cogit. Dico igitur, ſolam reſiſtentiam medii non eſſe ſufficientem rationem cur lapis projectus ſenſim tardiùs aſcendat, ſed deſcendens ſubindè velociùs moveatur. Cùm ergò præter internam lapidis propenſitatem ad deſcenſum, & averſionem aſcenſûs, alia cauſa haud facilis eſt inventu ; mihi pluſquam probabile eſt, hanc differentiam, quâ lapis pronior eſt ad deſcenſum quàm aſcenſum, ab interno ejus principio provenire. Si autem internum lapidis principium ad motum rectà ſurſum ſiſten-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 399 sur 591

©BIUM

dum concurrat, patet eum motum non esse perpetuum.

Differentiam non provenire à pressura atmosphæræ.

19. Dices, differentiam aliunde venire, nimirum à pressura deorsum sphæræ vaporosæ, quæ retardat lapidis ascensum, & descensum accelerat. Respondeo, me non negare aliqualem compressionem atmosphæræ: sed nego eam magis ascensum quàm descensum corporum sive impedire, sive promovere. Videmus enim aves pennis verberare aerem deorsum, & se sursum evehere: quod non fieret, si aer plùs deprimeret quàm elevaret. Aves enim alas non minùs sursum quàm deorsum movent; imò priùs sursum quàm deorsum. Si ergò pressura aeris seu atmosphæræ esset solummodo deorsum, aves expandentes alas ad volatum, latiùs tunc incumbente aere, magis deprimerentur quàm attollerentur. Quare aer saltem ex æquo se habet respectu ascensûs & descensûs corporum in se contentorum, si non etiam magis illi quàm huic faveat. Materia enim circumflua suo pondere corpora contenta quodammodo comprimit, non deprimit, quin potiùs levitat. Exempli causâ, plumbum in aqua minùs pendet quàm in aere, tantò nimirum quantò aqua aere gravior est. Quare liquida non deprimunt, sed elevant quantum ipsa pendent. Hinc si duarum plumbi sphærarum æquipendentium, bilanci similiter appensarum, alteram aquæ immerseris, alteram in aere libero tenueris, illa hâc levior deprehendetur. Aqua enim immersi plumbi pondus minuit, quantum ipsa, hoc est, quantum sphæra aquea ejusdem magnitudinis cum plumbea, pendet. Unde liquet aquam sphæræ plumbeæ incumbentem eam non deorsum premere, sed potiùs quantum in se est elevare. Cùm ergò hoc respectu eadem sit lex corporum fluidorum & volatilium, (quòd ambo circumfluant,) aer non deprimit corpora quæ complectitur, sed solùm comprimit, contrà quàm supponitur in responso dato.

Motum transversum non esse perpetuum.

20. Procedimus ad motum transversum horizontalem; qui nullâ machinâ ad magnam distantiam in recta linea continuari potest, nedum perpetuari. Atque idem dicendum de transverso sive sursum sive deorsum tendente; eos nimirum nunquam longiùs procedere absque obliquatione deorsum. Ratio est eadem ob quam lapis sursum projectus spontè relabitur. Non enim, ut ex suprà dictis liquet, ab atmosphæræ depressione cursus pilæ à sclopeto transversim emissæ intra ferè

stadii

ſtadii ſpatium flacceſcit ; ſed ob naturæ proclivitatem ad motum deorſum. Atque hîc reſumamus argumentum de vi terræ aerem repercutiendi in pilam ſe propiùs volantem. Hîc enim paulò evidentiùs ea eluceſcit. Certiſſimum ſcilicet eſt, aerem inter pilam & terram quàm inter pilam & cœlum magis coarctari, adeóque minùs promptè infernè quàm ſupernè cedere. Nam toto pilæ curſu tranſverſo terra aerem coarctat & à ſe repellit. Aiunt igitur experti milites pilam rotando volare : quod non fieret niſi major occurreret reſiſtentia ab infrà quàm deſuper. Cùm enim inferius latus pilæ majori reſiſtentiæ exponatur ; ſuperius quàm inferius velociùs fertur ; unde neceſſariò ſequitur rotatio. Superius enim latus curſu inferius antevertit. Unde ſuperius præit, & inferius ſubſequitur : cúmque hoc continuè peragatur, pila rotando volat. Verùm propterea quòd reſiſtentia ab infrà major ſit quàm de ſuprà, (ſi nulla alia ſit cauſa deſcenſum potiùs quàm aſcenſum promovens,) neceſſum eſt pila in motu hoc tranſverſo aſcendat potiùs quàm deſcendat. Hînc igitur evidenter evincitur, naturalem inclinationem pilæ ad deſcenſum eſſe veram cauſam cur ea non ultra certam diſtantiam rectà ad metam pergat, & poſtea ſenſim labaſcat ſeu deorſum inclinet. Nè cui autem diſpliceat me vocare naturalem hanc gravium inclinationem deorſum deſcenſum, ſciat me hîc loqui more uſitato ; ſed revera me agnoſcere, hunc motum ſpectare ad congregationem majorem, de qua infrà fortaſſe dicetur. Interim ex dictis conſtat, nullum motum rectum eſſe de natura ſua perpetuum : imò, præter deſcenſum gravium & aſcenſum levium, nullum eſſe naturalem. Huc referamus teſtimonium Clariſſ. Galilæi (qui de motibus ſolidiſſimè philoſophatur) libro de Syſtemate mundi, ubi expreſsè aſſerit, nullum motum rectum poſſe de natura ſua eſſe perpetuum ; quò Lectorem remitto.

Cur lapis à funda miſſus rectà pergat.

21. Ut autem experimento Des-Cartes, quo probat omnem motum eſſe naturaliter rectum, paucis occurramus ; Concedimus lapidem è funda circulariter mota miſſum motu recto moveri. Eſt enim revera motus violentus, & propulſionis quædam ſpecies : Funda enim lapidem à ſe propellit. Eo ergò momento quo lapis à funda recedit, ejus receſſus ab eadem determinatur per lineam breviſſimam, hoc eſt, per

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 401 sur 591

©BIUM

rectam, à loco à quo emittitur. Fieri igitur nequit quin id quod ſic propellitur, ſimulac à propellente ſeparatur, quamdiu vis propulſionis dominatur, rectà pergat moveri : neque nos turbet quòd poſtea aliis virtutibus auſcultet. Eſt enim pulſio vis violenter impreſſa recedendi quàm ocyſſimè, & conſequenter per lineam breviſſimam, ab imprimente. Motus igitur hic non eſt à natura, nec ſecundùm naturam, contrà quàm videtur Ingenioſiſſimus Vir inſinuare : ſed eſt motus coactus, quem lapis projectus quamprimum poteſt conatur corrigere, & ſenſim ſe deorſum deflectere. Quapropter ſi patiatur Digniſſimus Des-Cartes ſe de motu propulſionis intelligi, qui motus ab extrà veniens & violentus eſt, fateor propulſa vel projecta, à projiciente ſeparata, moveri ſecundùm lineas rectas, donec vel naturali inclinatione, vel ex occurſu aliorum corporum, deflectuntur. Sin velit nullum alium eſſe motum præter hanc truſionem ſeu pulſionem, ei aſſentiri nequeo. Sed pergo, ſi fortè tertiam inveniamus exceptionem contra iſtam generalem regulam, *Quicquid movetur, perpetuò movetur; Quicquid quieſcit, perpetuò quieſcit.*

Motus vegetabilium non eſſe perpetuos.

22. Nondum conſideravimus motus vegetabilium, an ſcilicet de natura ſua ſint perpetui, nécne. Veriſimile mihi videtur, ea ipſum vegetationis motum non ſibi proponere, ut in individuo futurum perpetuum; ſed ut viam ad perennitatem quandam ſucceſſionis, quâ unum individuum producit aliud ſpecie ſibi ſimile, & quaſi per prolem ſibi æquivalentem, non per propriam entitatem, ſe perpetuare conatur. Hoc evidentiſſimè cernitur in plantis annuis, quæ anni ſpatio intentum ſuæ vegetationis curriculum abſolvunt, & ipſo motu neceſſariò exſiccantur. Sed objici poteſt, primò, hunc motum provenire ab anima vegetativa, & non eſſe purè naturalem. Reſpondeo, animam vegetativam nihil aliud eſſe niſi naturam materiæ additionalem, (quemadmodum quoque eſt omnis forma materialis.) Cùm ergò anima vegetativa ſit natura materiæ, motus quem producit eſt eidem naturalis. Anima enim ipſa eſt modus materiæ, & ab ea eſſentialiter dependet, & conſequenter etiam in operari : adeóque omnes operationes, ut ſuprà probavi, ultimò revocantur ad ſubſtantiam quà per ſe ſubſiſtentem. Secundò objicitur, ſenium vegetabilium non eſſe iis naturale, & conſequenter nec neceſſarium.

Deus

Deus enim non creavit mortem. Reſpondeo, mortem quam nec Deus nec natura deſtinârunt, eam eſſe quæ, nondum abſoluto naturæ curriculo, filum vitæ occat ſeu abrumpit; non eam quæ plantam ad ultimum terminum à natura intentum perducit. Plantæ enim annuæ quæ naturæ curſum abſolvunt, violentâ morte non pereunt; ſed abſoluto vitæ penſo moveri deſiſtunt, & non tam mori dicuntur, quàm munere defunctæ fatiſcunt. Tertiò objicitur, nondum apparere, plantarum motus proprios citiùs aut ſeriùs ad terminum ſeu exitum tendere: quin potiùs ſuam individualem perpetuitatem appetere. Reſpondeo, naturam ſemper intendere optimum quod obtineri poteſt, nunquam ad impoſſibile reſpectu cauſarum naturalium ferri. Atqui, ut res ſenſim augeatur, folia, caules, flores, fructus, & in his ſemina ſucceſſivè proferat & perficiat, & in iis perficiendis ſuccos ſuos omnes, ſaltem delicatiores, exhauriat, imò ut non deſiſtat flores, fructus & ſemina multiplicare, donec tota ejus radicalis humiditas in ea inſumatur, & interim ut hunc individuum motum vellet in ſe perpetuare, eſſet tendere ad impoſſibile, quod nullo modo in natura admitti poteſt. Motus itaque vegetabilium ab initio & ex ſcopo agentium propoſitus non collimat ad ſuam individuam perpetuitatem, ſed ad perpetuitatem ſpeciei, quam ex ſucceſſione individuorum à ſe productorum conſequi poteſt. Sit ergò hæc tertia limitatio hujus propoſitionis, perpetuitatem non ſpectare ad motus vegetabilium. Quarta addi poteſt, de motu animalium: ſed arbitror Ornatiſſimum Virum non extendere ſuam propoſitionem ad eos motus qui ab animali appetitu reguntur, nedum ad motus liberos.

23. Hiſce jam fixis Axiomatum Celeberrimi Des-Cartes limitationibus, tempeſtivum eſt ad varia motuum & quietis genera reſpiciamus, & an in tanta rerum mutatione ac viciſſitudine detur ullus motus perpetuus, aut etiam ulla quies perpetua, perpendamus. Verùm cùm Ornatiſſ. Vir nullum motum præter localem, nullámque conſequenter quietem niſi eam locali oppoſitam, ſe admittere declaret; ego hîc quoque ab eo nonnihil recedere cogor. Nequeo enim concipere, motum ad novam formam, ſive eſſentialem ſive accidentalem, ſolo motu locali abſolvi. Forma enim nova quanquam ſine motu locali non inducatur, non tamen neceſſe eſt eo ſolo perficiatur. Supponit *An omnis motus ſit localis.*

©BIUM

ponit enim materiam, novam naturam, novámque ejuſdem ideam, ſeu novam legem ſive eſſentialem ſive accidentalem eſſendi & operandi, ut ſuprà explicuimus, aſſecutam eſſe: hæc autem nova idea ſuiipſius non videtur ſolo motu locali inferri. Saltem enim concurrit actus vitalis ſeu actio ipſius materiæ, quæ ſibi aſſumit, unit & ſuſtentat hanc novam ideam ut legem & naturam ſuam. Quæ actio immanens eſt, & non videtur in motu locali conſiſtere. Dubitari enim fortè poteſt, an ulla actio immanens in ſolo motu locali conſiſtere queat. Quin & datur actio tranſiens, quæ motum localem propriè ſic dictum non infert: ut niſus movendi irritus, quem ſuprà ſatis aſſerui. Actio ergò latioris ſignificationis eſt quàm motus localis. Si autem motus in generaliſſimo ſenſu ſumatur, ut omnem actionem materialem tam immanentem quàm tranſeuntem, ipſúmque adeò niſum movendi, complectatur; motus localis mihi videtur una tantùm ſpecies latiſſimi hujus generis. Continet enim inſuper omnes motus immanentes, ut motum percipiendi, appetendi, & niſum movendi activum, quatenus in agente; item motum generationis & corruptionis, augmentationis & diminutionis, necnon motum alterationis, præſertim ſi Ariſtoteli in hac re ſubſcribendum ſit. Ego verò dehinc in hac Diſquiſitione motum & quietem in extenſa ſignificatione accipio, ut quicquid non innovatur aut variatur, eouſque quieſcere dicatur; & quicquid quoquo modo variatur aut aliter ſe habet quàm priùs, dicatur eatenus moveri.

Qui motus ſunt perpetui.

1. Motus antitypiæ.

24. Exordiar à motu & quiete omnibus corporibus communi. Primo loco occurrit motus quem Clariſſ. Vicecomes S^ti Albani *motum Antitypiæ* vocat. Videtur ſic ab eo denominari, quòd ejus ſubjectum ictibus quibuſvis & notis, utcunque violenter impreſſis, ità ſe opponat, ut ſuam ſubſiſtentiam perpetuò tueatur, nec ſe in nihilum redigi ſinat. Nobiliſſimus Vicecomes eum ſoli materiæ primæ tribuit; ſed revera ad omne ens creatum per ſe ſubſiſtens extenditur. Siquidem non tantùm materia prima, ſed & Angeli, Dæmones & Anima rationalis annihilationi per ſuam fundamentalem ſubſiſtentiam per ſe perpetuò reluctantur, & propterea à nulla creatura annihilari queunt. Habent enim hoc ex eo quòd ſint ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes. Verùm, uti arbitror, hic motus

motus à Cl. Vicecomite ſpiritibus non aſcribitur, quia ex communi ſententia hi minùs propriè dicuntur moveri; & præterea nec laborant, nec mutationi in præſervando ſe obnoxii ſunt: materia autem omnes mutationes, omnes labores perfert, & ſe vertendo vim illatam præcavet. Perperàm verò hic motus exprimitur per impenetrabilitatem dimenſionum; quod etiam Auctor laudatus haud obſcurè inſinuat. Etenim qui perpetuam materiæ quantitatem eſſe interminatam, ſolam verò terminatam eſſe mutabilem, agnoſcunt, non neceſſum habent omnem ſubſtantiæ materiæ penetrationem ſuiipſius negare. Siquidem ſubſtantiæ receptio ſui in ſeipſam nec dimenſionum penetrationem, nec materiæ penetrantis annihilationem, implicat. Non priorem; quia tantùm denotat terminatarum dimenſionum materiæ mutabilitatem, & actualem mutationem; quæ non eſt dimenſionum penetratio. Hinc enim duo corpora, quà duo, non ſunt propriè in eodem loco, ſed uniuntur, & novam ſeu communem dimenſionem ſibi adſciſcunt; nec dimenſio penetrat dimenſionem, ſed ſubſtantia ſubſtantiam, mutatâ dimenſione. Non poſteriorem; quia etiamſi materia materiam ſubſtantialiter penetret, nulla tamen ejus portio ſubſtantialis perit; ſed denſitas augetur, & materia quantò in minus ſpatium contrahitur, tantò denſior fit; totáque moles manet, quanquam ſub alia denſitate, aliâque dimenſione. Hanc intruſionem aut abſorbitionem materiæ ſuiipſius in ſeipſam Vicecomes elegantiſſimè exprimit nomine *plicæ materiæ*. Datur (inquit) planè *materiæ plica*. Materia enim ſe in ſeipſam modò contrahit ſeu plicat, & denſatur, modò explicat ſeu ſe expandit, & attenuatur. Quies huic motui reſpondens eſt ipſa materiæ permanentia in ſtatu quo eſt, qui quaſi terminus ipſius motûs eſt. Eò enim materia permanet, quòd nulli violentiæ cedat, nec ſe annihilari patiatur. Si cui diſpliceat hanc permanentiam vocari *quietem*, ſciat mutationem manifeſtè quieti opponi, & annihilationem eſſe multò majorem receſſum à ſtatu eſſendi quàm maximam mutationem. Eſt enim receſſus non ſolùm à modo eſſendi, ſed & ſimpliciter ab eſſe ipſo. Quare annihilatio includit variationem inſignem, quæ, ut dixi, lato ſenſu motus vel mutatio dici poteſt, & ſtatus oppoſitus quies; quod ſolùm à me hîc intenditur. Quicquid ad

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 405 sur 591

©BIUM

materiam primam quà talem ſpectat, ad hanc quoque quietem & perpetuitatem revocari queat : ut ejus exſiſtentia prima, ſubſiſtentia fundamentalis, natura energetica, potentia, moles, quantitas interminata ; quæ omnia perpetua ſunt & immutabilia, eóque ſenſu dici poſſunt perpetuò quieſcere. Motus hic, ut & quies ei reſpondens, ab interno naturæ materialis principio fluit. Materia enim (quæ omnium per ſe ſubſiſtentium communis conditio eſt) appetit ſuam conſervationem, & per ſuam fundamentalem ſubſiſtentiam omni violentiæ perpetuò reſiſtit.

2. Motus nexûs.

25. Secunda ſpecies motûs perpetui omnibus corporibus communis (ſi tamen talis motus detur) eſt *motus nexûs*. Quem Vicecomes loco laudato deſcribit, eſſe eum *per quem corpora non patiuntur ſe ulla ex parte ſui dirimi à contactu alterius corporis, ut quæ mutuo nexu & contactu gaudeant : quem motum Schola vocat motum* nè detur vacuum : *veluti cum aqua attrahitur ſurſum ex ſuctione aut per fiſtulas, caro per ventoſas*, &c. Verùm quanquam dari talem motum nullus negavero ; video tamen ſubtiliſſima ingenia in varias de hac re partes abire, de quibus ſi vel curſoriè dicerem, prolixior eſſem quàm præſens occaſio ferat. Viſum igitur eſt ſaltem nominatâ quiete quam hic motus aſſequitur, ad alias ſpecies deſcendere. Quies huic motui conformis eſt, non-interrupta Univerſi contiguitas, quâ omnis materiæ utcunque ab aliis diviſæ portio undique ſodalitio alterius fruitur ; nec eſt cur ex ulla ſui parte Vacui larvam perhorreſcat. Datâ hâc motûs ſpecie, neceſſe eſt unà largiamur corpus ſic motum interno vitæ principio gaudere. Evidenter enim ſupponit id quod ſic movetur proximi corporis à ſe receſſum percipere. Niſi enim perciperet, non ſequeretur ; nedum legem naturæ ſuæ privatam hujus generalis nexûs gratiâ violaret. Verùm cùm gravia ad præſervandum hunc nexum ſpontè aſcendant, & levia deſcendant, apertum eſt, ea receſſum, & indè imminens ſibi periculum carentiæ ſocietatis corporis proximi, percipere & præcavere. Verùm præter has duas ſpecies motûs & quietis, nulla alia omnibus corporibus communis reperitur. Deſcendimus itaque ad particulares.

Requiſita ad motum perpetuum.

26. Certiſſimum eſſe arbitror, quod non perpetuum eſt, nec poſſe perpetuò moveri aut etiam quieſcere. Peripatetici ſupponunt

ſupponunt corpora cœleſtia eſſe incorruptibilia: Neoterici autem multis phænomenis ea etiam aliqualis mutabilitatis poſtulant. Hæc quæſtio hîc tractanda non eſt; ſed ſaltem majores ſtellarum & planetarum maſſæ, nemine quod ſciam contradicente, perpetuæ reputantur. Qui enim terram inter planetas recenſent, non dicunt ejus totam maſſam eſſe corruptibilem, ſed exteriores modò ejus partes, quæ influxibus ſolis, lunæ, aeris, nubium, aquarum, &c. exponuntur. Utcunque ſit, adeò regulares & conſtantes ſunt ſiderum & planetarum motus, ut vix credibile ſit eos non eſſe futuros perpetuos. Verùm præter permanentiam ipſorum ſubjectorum, imò præter regularitatem & conſtantiam, requiritur ad motûs perpetuitatem ut ſit tum circularis, tum naturalis. Requiritur ut ſit circularis, ob rationes modò factas contra perpetuitatem motûs recti; & ut cum perpetua quadam quiete conjungatur. Id enim quod circulariter movetur, in quantum extra limites quos ſibi præfixit non vagatur, ſed ad locum omnem à quo receſſit ſtato tempore recurrit, quodammodo quieſcere dici poteſt. Siquidem totum id ſpatii quod perambulat, tanquam ſedem ſuam quietis à qua nunquam dimovetur, perpetuò poſſidet. Requiritur etiam ut ſit naturalis, nimirum ut ſit complacens ſuo ſubjecto. Nullum enim violentum paſſo complacet, neque ob eandem cauſam perpetuum eſſe poteſt.

27. Peripatetici orbibus cœleſtibus Intelligentias motrices aſſignant; quaſi eximiis iis corporibus Deus naturam imparem operationibus ad functionem ſuam requiſitis indiderat. Sed in memoriam revocent Axioma ſuum celeberrimum, & quidem veriſſimum, *naturam nunquam deficere in neceſſariis.* Si motus corporum cœleſtium ſit non tantùm ad ornatum Univerſi, ſed & ad ipſum eorum eſſe & operari, neceſſarius; nè credant tam illuſtria ſublimiáque corpora internis principiis ad ſua munia requiſitis ſola deſtitui. Perpendant quid ſequeretur, ſi ſol (ſive ejus loco terra) cæteræque ſtellæ non moverentur. Profectò pars terræ ſoli conſtanter obverſa citò conflagraret, & ſenſim tota ignibus conſumeretur. Si ergò ſol (ut vult hypotheſis Copernicana) in centro mundi noſtri collocaretur, quàm maximè intereſſet terræ noſtræ, motu diurno latera ſua benignis ſolis radiis & calori ſucceſſivè obvertere,

Motus corporum cœleſtium quo ſenſu perpetuum.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 407 sur 591

vertere, ſed & præcavere nè uno ſolo latere diutiùs ei expoſito accenderetur. Quin & terram noſtram deceret quoque non minùs ſolicitam eſſe de motu annuo circa ſolem: nimirum ut hoc motu partes ſuas modò auſtrales, modò ſeptentrionales, ſolis aſpectui magis exponat. Aliàs enim, ſi medias ejus ſolummodo ſoli & conſtanter objiceret, brevi æſtu cremarentur, & interim partes prope polos conſtanti glacie conſtrictæ inutiles redderentur. Patet ergò ex hypotheſi Copernicana, duos hoſce motus eſſe terræ neceſſarios. Mihi verò ridiculum eſt dicere, naturam eſſe imparem ſuo muneri, aut deficere in neceſſariis. Neceſſum ergò habeo in terra ponere ſufficiens internum horum motuum principium: quod nullo modo fieri poteſt, niſi vitam naturæ ei conceſſero. Motus quidem diurnus fortè ex principiis Des-Cartes, *Quicquid movetur, perpetuò movetur*, &c. ſi concedantur, aliquo modo defendi queat: ſed motus annuus, qui modò Auſtrum, modò Septentrionem versùs fertur, minimè abſque vita naturæ ſuſtineri poteſt. Siquidem terra in hoc motu non eodem tenore quo occepit movere pergit; ſed ſpontè ſuum curſum, cùm ad Solſtitia deventum ſit, invertit. Ducitur ergò vitali principio, quo, quamdiu motus Auſtrum versùs ſibi ſit utilis, quandóque idem ſit potiùs Septentrionem versùs reflectendus, percipit. Idem quoque, mutatis mutandis, de cæteris planetis & ſtellis earúmque ſatellitibus dicendum eſt. Quin & quamcunque hypotheſin horum motuum amplexus fueris, in ſubjectis eorum omnia, mutatis mutandis, quæ hîc inferuntur de terra, neceſſariò conſequentur. Sed hæc de motibus perpetuis: alias motuum ſpecies infrà proſequemur.

Cap. XXV.

Motus non perpetui in tria genera dividuntur, &c. Quinque Claſſes formarum & motuum ad inanimata ſpectantium proponuntur.

Motus inanimatorum pendere ab appetitu naturali.

1. PRobationem vitæ naturæ ex pauculis corporum motibus perpetuis ſub prioris Capitis calcem occepimus. Superſunt plurimæ aliæ motûs ſpecies, (ſed non perpetui,) imò

imò tot, ut vix in ordinem ſe cogi patiuntur. Verùm ex his quoque vitæ naturæ demonſtratio tentanda eſt. Illuſtriſſimus & ſubtiliſſimus Vicecomes Stⁱ Albani, loco toties ſuprà laudato, me hoc onere magnam partem levavit. Ità enim de ſuis generibus & differentiis motuum tractat, ut perpetuò eorum rationem ex ſcopis & appetitibus ſe præſervandi, exaltandi, propagandi, atque etiam fruendi naturâ ſuâ, reddat; adeóque eos motus ab interno vitæ principio aut dimanare, aut ſaltem regulari, manifeſtè inſinuet. Quot ergò varias motûs ſpecies enumerat, tot ab eo argumenta ad theſin noſtram de univerſali naturæ vita probandam, adducta puta. Verùm propterea quòd accuratiſſimè deſcriptæ ſint, & lectu digniſſimæ, mallem integræ ex ipſo fonte potiùs quàm ex noſtra lacuna petantur. Neſcio enim an cuiquam ejus cogitandi acumen, aut perſpicuitatem cogitationes ſuas evolvendi, imitari contingat. Mihi autem viſum eſt, non tam formales motuum differentias, quàm materiales, proſequi. Conſideramus enim eos, non tam ut conſtituuntur in abſtracta ſua entitate, quàm ut ſunt aut eſſe poſſunt vitæ ſubjectorum ſuorum argumenta. Reſumenda igitur hîc eſt diviſio motuum ſuperiore Capite propoſita. Ibi enim loci eam, ob repugnantiam quorundam Axiomatum vulgò circumlatorum, commodè proſequi non licuit: amotis verò jam iis obſtaculis, bonis avibus de iiſdem procedere fas eſt.

2. Divido itaque motum, ut priùs, in eum ab intus, eum ab extrà, & eum partim ab intus, partim ab extrà, venientem. Dixi, minimè dubium eſſe, quin, ſi detur in quolibet ſubjecto perceptio aut appetitus naturalis, in eodem inſit quoque vita: ſed an motus ſit ſufficiens vitæ teſtimonium, in dubium vocari. A motu ab intus veniente ordiendum eſt. De hoc tractavimus ſuprà Capite 17. ubi auctoritate & ratione, id quod ſe aut aliud ab interno ſui principio movere queat, eſſe vitæ particeps probavi, & inſuper omnem ſubſtantiam eſſe tali interno motûs principio dotatam: ſatisfecimus quoque Capite præcedente, articulis 4, 5, 6, 7, 8. evaſionibus Peripateticorum, quibus corporum inanimatorum motus, quos negare nequeunt, excuſare ſolent. Dehinc igitur ſumo tanquam jam probatum, id quod ab intus ſe moveat eſſe vivum, nempe internum motûs principium eo ipſo eſſe principium vitale, hoc

Diviſio motûs. Eum ab intus vitam probare.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 409 sur 591

©BIUM

hoc eſt, motum ab intus venientem eſſe ſufficiens vitæ naturalis argumentum. Hoc ergò ſuppoſito, quicquid à ſe ſeu ab interno ſui principio movetur, aut aliud movet, vitali naturâ præditum eſſe præſumitur.

Repulſionem motûs ab extrà vitalem eſſe.

3. Priuſquam verò ulteriùs progredior, quò ſimiliter inveniamus quid ſtatuendum ſit de motu ab extrà veniente, dicendum eſt, eum, quà talem, nullum vitæ indicium eſſe; interim quatenus iſte motus à recipiente infringitur & contemperatur, vitam recipientis planè arguere. Siquidem paſſum, quòd quantum in ſe eſt vim ab externo agente illatam repellat, ab interno principio ducitur, & vitam ſuam, eò quòd ſuæ conſervationi quantum poteſt ſtudeat, prodit. Niſi enim ſuam tutelam affectaret, externum agens non impugnaret, ejúſve actionem corrigeret. Cùm ergò hoc perpetuò agat, manifeſtum eſt, hanc ejus reſiſtentiam denotare appetitum reſiſtendi, & perceptionem violentiæ illatæ, cui reſiſtit. Quare etiamſi motus ab extrà veniens de ſe nullum vitæ indicium præbet; quatenus tamen à paſſo infringitur, ut ſibi tolerabilior reddatur, omnino vitæ notis accenſendus eſt. Atque idem propè de motibus partim ab intus, partim ab extrà ortis, dicendum eſt. Quà ab extrà, violentis adnumerandi ſunt; quà ab intus, manifeſtarii ſunt vitalis principii effectus. Adeò ut omnes operationes aliquo modo, vel directè, (ſi ab intus fluant,) vel indirectè, (ſi ab extrà,) quatenus à paſſo corriguntur, ſuorum ſubjectorum vitam probant.

Motuum diviſio ſecunda.

4. Jam proſequimur motus ipſos; quos craſſo modo dividimus, ſecundùm grandes ſubjectorum differentias. Subjecta motuum dividuntur in inanimata, vegetabilia, & animalia. Motus inanimatis communicabiles ab omnibus propè corporibus ſecundùm magis & minùs participari poſſunt: motus verò vegetabilium & animalium ferè iis appropriantur. Revera hæc tria corporum genera quodammodo ſubordinata ſunt. Animalis enim natura, tanquam ſui materiam & eminenter, vegetabilem, & hæc naturalem, includit: ità ut in animalibus omnes poteſtates vegetabilium, in his, inanimatorum, aliquo modo exerceantur. Nihilominus iſtæ tres differentiæ ſunt quaſi eſſentiales gradus, & magni characteres, quibus corpora naturalia inter ſe diſcriminantur. Aſcendimus enim tanquam per ſcalas naturæ ab inanimatis

ad

ad vegetabilia, à vegetabilibus ad animalia. Formæ autem & motus inanimatis communes quasi præsupponuntur in vegetabilibus; & horum, in animalibus. Ordiendum igitur est ab infimo gradu, à formis & motibus inanimatis communicabilibus, ut indè gradatim ad formas & motus vegetabilium, adeóque demum ad formas & motus animalium, conscendamus. Non existimandum est, subjecta formarum & motuum infimi ordinis, eò quòd distinctionis gratiâ vocentur inanimata, esse omni vitâ destituta. Quanquam enim eâ vitâ quæ vocatur anima vegetativa orbantur: (quæ nihil aliud est nisi vita influens: nam plantæ duplici vitâ fruuntur, insitâ & influente; & hæc posterior ipsa earum quasi anima est:) non tamen carent generali naturâ vitæ, ut ex eorum motibus probaturus sum.

Divisio motuum inanimatorum in 5 classes.

5. Non exspectandum est, me posse omnes motuum ad inanimata spectantium species accuratè hîc perstringere, aut ad justam methodum revocare. Tanta enim est eorum varietas & intricata complicatio, ut subtilissimum ingenium facilè superent. Cùm verò satius sit eos quoquo modo ad aliqualem ordinem reducere, quàm permittere ut intellectus eorum multitudine obruatur & confundatur; conatus sum eosdem in certas Classes colligere. Fateor nonnullas species in diversis Classibus collocari posse, & actu à me collocari: ut subtilitas, quæ respectu materiæ ad *primam* Classem refertur; respectu activitatis, ad *quintam*. Verùm hoc propterea contingit, quòd istiusmodi formæ aut motus quodammodo complexæ naturæ sint: ut constitutio fixa, respectu quietis seu ligationis partium elementariarum refertur ad *tertiam* Classem; respectu sopitæ activitatis, refertur ad *quintam*: atque idem de nonnullis aliis speciebus dicendum est. Porrò, quòd omnes propemodum motus vel circa formas aliquas præservandas versentur, vel ad novas formas tendant, vel à formis præexsistentibus profluant; visum est in singulis Classibus ipsas quoque formas cuilibet motui relatas conjungere, ut raritatem & densitatem cum motu libertatis & motu condensationis ac rarefactionis, &c. Sciendum porrò est, hasce Classes valde rudi & imperfectâ methodo hîc concinnari; siquidem scopo nostro impræsentiarum sufficiebat, si quoquo modo formæ & motus ad unam & eandem communitatem spectantes simul congererentur.

©BIUM

rerentur. Neque magnopere soliciti fuimus de accurata eorum distributione, cùm infrà sigillatim tractandi sint, & quicquid extra propriam sedem hîc fortè reponi contigerit, ibi corrigendum & in ordinem meliorem reducendum sit. Vix enim mihi, nondum ad amussim rerum naturis perspectis, eas posse accurato ordine digeri verisimile visum est. Similiter singularum classium communitates, quas in se complectuntur, ut & differentiæ ab invicem, quibus distinguuntur, facilius & clariùs, sigillatim omnibus priùs exploratis, innotuerint. Interea loci his qualibuscunque, & ut sunt, si lubeat, fruere mecum.

Prima Classis continet

Formas & motus quæ circa dimensiones & posituram materiæ exercentur, & schematismum propriè dictum constituunt. Sunt autem,

1. Densitas, & raritas; quas conservat in statu quo sunt motus libertatis, quásque mutat motus condensationis & rarefactionis.

2. Crassities, & subtilitas; quas producunt motus incrassandi & subtiliandi: earum effectus sunt motus penetrandi seu permeandi, & motus obstruendi seu impermeabilitatis.

3. Uniformitas posituræ, difformitas, uniformis difformitas: quarum species sunt, 1. porositas & imporositas; 2. opacitas & diaphaneitas; 3. positura striata; 4. laminata; 5. nodosa; 6. libera & sibi similis; 7. fissilis; 8. sculptilis; 9. scissilis; 10. ductilis; 11. ramosa simplex sine organizatione, (nam organizatio propriè dicta plantis & animalibus appropriatur.)

4. Asperitas, & lævitas. Motus qui circa formas hujus & præcedentis numeri versantur sunt motus figurationis simplicis, nempe figurationis vel uniformis, vel difformis, vel uniformiter difformis, vel ramificatæ.

Secunda Classis continet

Formas & motus quæ ad unionem particularum corporum spectant, & totum partium conficiunt. Sunt autem,

1. Continuitas, & divisibilitas, earúmque modi.

2. Tenacitas, seu firma cohærentia partium inter se, fibrositas, robur; friabilitas, fragilitas, teneritudo marcida.

3. Lentor

3. Lentor ſeu viſciditas, cujus forma oppoſita caret nomine; vocari ergò poteſt ἀγλιχρότης, ſeu friabilitas fluidorum aut liquidorum.

4. Tenſibilitas, & intenſibilitas ſeu rigiditas iſta quæ tenſioni refragatur.

5. Flexibilitas, & inflexibilitas. Huc referri quoque poſſunt poſitura ſciſſilis, fiſſilis, ſculptilis, ductilis; quanquam ob particularum texturam, quam quoque involvunt, ſpectent etiam ad Claſſem priorem.

6. 1. Motus cóntinuationis, ſeu motus cohærentiæ; 2. motus diviſionis, motus exhorreſcentiæ ſolutionis continuitatis; 3. motus marcoris, corruptelæ, putredinis, incinerationis, calcinationis; 4. motus rupturæ, fracturæ, contuſionis, vulnerationis, inciſionis, ſecationis, punctura, pulverizationis.

Tertia Claſſis continet

Formas & motus quæ ad quietem & inquietudinem particularum inter ſe ſpectant, & dant cõrpori qualemcunque conſiſtentiæ modulationem. Sunt autem,

1. Conſtitutio terminata, vel interminata ſeu fluida. Ad formam terminatam, motus quo particulæ in fruitione ſocietatis ſuæ cum aliis particulis quibus junguntur acquieſcunt, refertur: è contrà, ad formam fluidam pertinet motus diffluens, quo particulæ, niſi coerceantur, quaquaversùm ab invicem recedere nituntur, motu gravitatis eum cohærentiæ ſuperante.

2. Mollities, & durities; quibus reſpondent motus intenerationis, & indurationis.

3. Coagulatio ſeu concretio, & fuſio; quæ vel cum, vel ſine mixtura aut ſeparatione, ſive novarum, ſive priùs junctarum partium, fiat. Hoc poſteriore modo metalla, pinguedines, oleum, cera, gummi nonnulla, mel, &c. tum fundi, tum coagulari, poſſunt. Priore modo ſales, ſaccharum, tartarum, ſuccus lapideus, &c. in copia liquoris liqueſcunt, in penuria concreſcunt. Quin & ex his nonnulla in aere humido in diliquium abeunt, in ſicco indurantur. Motus concretionis varius eſt, granulatio, grumeſcentia, cryſtallizatio, coalitus aculeatus, cubicus, rupiformis, formâ cremoris, fæculæ, magiſterii, præcipitati. Hi motus hoc habent commune, quòd ſecretionem

©BIUM

nem quandam includunt: iis omnibus opponuntur liquatio & remiſtio.

4. Congelatio, & regelatio; quibus vel tota materia concreſcit, vel tota diſſolvitur ſine ſecretione: quo nomine diſcrepat à priore.

5. Fixatio, medius fluor, & volatilitas; quæ ſpectant ad modum unionis elementorum in mixto. Huc referimus motum cruditatis, maturationis, & coctionis.

Quarta Claſſis continet

Formas & motus quæ ex proportione quadam aut improportione corpora ad ſitum ſuum determinant, aut ad eundem innovandum excitant. Sunt autem,

1. Situs ipſe, qui quatenus commodus aut incommodus, ob viciniam corporum juvantium aut lædentium, quodammodo reducitur ad formam, & motum excitat.

2. Similitudo, diſſimilitudo; conſenſus, diſſenſus; ſympathia, antipathia; familiaritas, cognatio, diſparitas. Motus huc ſpectantes ſunt, 1. aſſimilatio, à qua ſimilitudo ipſa profluit; 2. latio, ſeu motus localis; 3. gravitas & levitas, ſeu motus congregationis majoris; 4. motus magneticus ſeu electricus, qui eſt motus congregationis minoris; cui referre poſſumus motum attractionis ſimilaris & fugæ, item motum amicitiæ & hoſtilitatis; 5. motus conformitatis; 6. motus facilis admiſſionis, aut rejectionis corporis alterius.

Quinta Claſſis continet

Formas & motus quæ magis immediatè circa ipſam naturæ vitam exercentur; nimirum circa tres primas facultates, eas vel excitando, vel ſedando; & ad vitæ activitatem aut torporem denotandum ſpectant. Sunt autem,

1. Motus quilibet vividus; ceſſatio ejuſdem.
2. Calor; frigus.
3. Ignitio; extinctio ignis.
4. Calor vitalis; extinctio ejuſdem.
5. Fermentum, fermentatio & putredo; ſedatio eorundem.
6. Marcor, ſitus, fracedo.
7. Subtilitas, ſubtiliatio; craſſities, & incraſſatio.
8. Spirituoſitas,

8. Spirituoſitas, ſalſedo, oleoſitas, terreſtreitas, aquoſitas.
9. Siccitas; humiditas.
10. Lumen, tenebræ; ſeu nox, & dies; colores, opacitas, diaphaneitas.
11. Torpor, ſeu qualitas narcotica, ſomnus, vigiliæ.
12. Fixatio, medius fluor, volatilitas: quanquam hæc diverſo reſpectu ſpectent quoque ad Claſſem tertiam.

Quælibet Claſſis ad aliqualem unitatem reducitur. Prima enim fundatur in actuali extenſione materiæ, ejúſve ſaltem modo extenſionis, ſeu in poſitura partium inter ſe: Secunda, in continuitate & diviſibilitate materiæ, necnon in formis & motibus ad eas ſpectantibus: Tertia, in quiete & inquietudine particularum, & in formis & motibus indè oriundis: Quarta, in mutua proportione aut diſproportione quâ ſibi invicem corpora vel opitulantur, vel noxia ſunt: Quinta, in activitate & torpore corporum, & in iis quæ ad alterutrum vel excitandum, vel ſedandum, conferunt. Proximo Capite ſolas formas denſitatis & raritatis, motúmque conſervativum earundem, nempe motum libertatis, tractare animus eſt. Reſervatis ad Caput peculiare ſubſequens motibus condenſationis & rarefactionis, (quibus mutantur,) quòd plurimis difficultatibus involvantur. Deinceps verò de cæteris formis & motibus ordine propoſito acturus ſum. Hoc ſolùm præmoneo, in hac Diſſertatione accuratam ſive formarum ſive motuum trutinationem exſpectandam non eſſe. Siquidem obiter tantùm hîc tractantur, & non tam ut ſunt in ſe, quàm ut ſunt in ordine ad probationem vitæ naturalis ſubjectorum ſuorum. Nihilominus in locis ubi peculiaris quædam occurrerit difficultas diutiùs inſiſtendum puto; interim aliis locis leviter & curſoriè dimiſſis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 415 sur 591

Cap. XXVI.

De Denſitate & Raritate, motúque Libertatis quo conſervantur.

Schematiſmus quid.

1. PRima Claſſis, ut dixi, verſatur circa actualem extenſionem, ſeu dimenſiones atque poſituram partium materiæ, & ſchematiſmum propriè dictum conſtituit. Quanquam enim frequens mentio fit à Subtiliſſimo Vicecomite Stⁱ Albani latentis ſchematiſmi; non tamen exiſtimo eum intendiſſe dari ſchematiſmum ità latentem, ut, inſtar occultæ qualitatis, ſit planè incognoſcibilis: ſed id eum agere, ut ingenia noſtra ad accuratiorem ſchematiſmorum perluſtrationem excitet; ſiquidem circa eos multa adhuc latent, & minùs certò explorata ſunt. Primum par formarum oppoſitarum hujus Claſſis eſt *Denſitas* & *Raritas*.

An denſitas ſit imporoſitas, & raritas poroſitas.

2. Vixdum inter Philoſophos de hiſce formis, quid propriè ſignificent, convenit. Aliqui exponunt denſitatem per imporoſitatem, & raritatem per poroſitatem. Neque quidem hi inter ſe ſatis conſentiunt. Alii enim admittunt Vacuum, & quò denſius corpus aliquod ſit, eò minus vacui, quò rarius, eò plus admiſcent. Alii contrà, negantes vacuum, ejus loco ſubſtituunt corpus ſubtile. Aiunt enim, corpus, quò denſius eſt, eò minùs poroſum eſſe, & conſequenter minus corporis ſubtilis in ſe continere; quò rarius, eò magis poroſum eſſe, & plus corporis ſubtilis in ſe complecti.

Vacuum quid.

3. Prior ſententia magnis difficultatibus urgetur. Primò, difficillimum eſt humano intellectui quid ſit Vacuum concipere. Vulgò definiunt, & rectè, *ſpatium in quo non eſt corpus*; vel, eſſe corpus mathematicum ſine phyſico. Veruntamen hoc ipſum in phyſicis realitatibus vix concipi poteſt. In abſtractis quidem conceptionibus, trina dimenſio ſine corpore conceptu facillima eſt: ſed tunc conceptus iſte extra intellectum nihil eſt. Verùm hîc trinam dimenſionem non ſolùm abſtractam, verùm etiam realiter in natura exiſtentem, imò ut partem actu ingredientem rationem formæ raritatis, ponimus. Helmontius itaque exiſtimat, ſpatium in quo non eſt corpus,

Helmontii magnale conſideratur.

pus, eſſe ens reale ſui generis verè in natura exſiſtens, idémque nomine *Magnalis* dignatur: quod nec ſubſtantiam eſſe, nec accidens, ſed eſſe ens tertii generis, contendit. Videant illi qui vacuum in natura verè exſiſtens, & ut partem formæ raritatis admittunt, nè ad hoc aſylum confugere cogantur. Nam vacuum, ſeu ſpatium in quo non eſt corpus, non eſt ſubſtantia. Si enim eſſet ſubſtantia, (cùm trina dimenſio ei ſimul concedatur) eſſet corpus, & ſic non eſſet vacuum: ſin foret accidens, ut ex longitudine, latitudine & profunditate (quas continet) videtur eſſe, ſine ſubjecto exſiſteret, quod repugnat. Vel ergò dicendum eſt, vacuum eſſe ens tertii generis, vel nihil eſſe. Si hoc dicatur, habemus intentum, vacuum non dari, non eſſe, non exſiſtere. Sin illud, in Helmontii errorem incurrimus; quem tamen ſuſtinere nemo poteſt. Cùm enim hoc magnale, ſeu vacuum ſpatium, ſeorſim ab omni ſubjecto exſiſtat, fuerit ens per ſe ſuo marte ſtans; & conſequenter fuerit ſubſtantia, ſeu ens per ſe ſubſiſtens: cúmque ex conceſſis ſit dimenſum, fuerit quoque corpus, &, ut dixi, non vacuum. Exiſtimo itaque vacuum ut realiter in natura exſiſtens vix ab intellectu noſtro capi poſſe.

4. Altera difficultas quæ hanc ſententiam urget, eſt; in aere, verbi gratiâ, ad unam particulam corporis, contineri minimùm bis mille partes vacui: quod cum phænomenis in aere obſervatis conſiſtere nequit. Probatur antecedens. Aurum expandi poteſt ad raritatem aeris, ut ex auro fulminante cernere eſt; & conſequenter, aer reduci poteſt ad denſitatem auri, aut ſaltem corpus æqualis raritatis cum aere ſic poteſt reduci. In hac reductione, corpus ad auri denſitatem reductum ultrà bis millies ſphæram quàm priùs habuerat anguſtiorem occupat. Atque hoc ex variis experimentis rarefactionis & condenſationis, ſi opus foret, facillimè evinci poteſt. Quare aer ex hac ſententia bis millies plus habet vacui quàm aurum, & conſequenter ad unam partem corporis adfert bis mille partes vacui: quod erat probandum. Infero, hoc non conſiſtere cum phænomenis aeris. Omnia phænomena huc facientia recenſere immenſi operis eſſet; pauculis erimus contenti. Dico, ad hanc normam aeris corpus nec concipi poſſe ut corpus continuum, nec ut aggregatum ex innumeris corpuſculis in vacuo natantibus. Nequit concipi ut corpus continuum, ob

Rejicitur vacuum.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 417 sur 591

©BIUM

ob vaſtam vacuitatis interpoſitionem, cùm, ut dixi, bis mille partes vacui ad unam corporis complectatur. Vel enim dicendum eſt, vacuum contineri in cellulis, quemadmodum mel continetur in favis, aut aer in foraminibus aut poris ſpongiæ; vel ad inſtar retis, filis ſolummodo ſibi mutuò continuatis, connecti. Quovis ex his modo aer conſiſtere nequit cum ſuis phænomenis. Primò, ſi per modum favi aut ſpongiæ concipiatur, non debet ultrà vicies aut tricies plus vacui quàm ipſe eſt continere. Nam favus in ceram ſolidam eliquatus prope viceſimam partem extenſionis favi implet; & ſimiliter ſpongia vix comprimitur intra viceſimam partem ſuæ ultimæ expanſionis. At viceſima pars ſpatii quid habet proportionis ad bis milleſimam differentiam repræſentandam? Quare neceſſe eſt ad alias comparationes confugiamus. Conſideremus itaque, ſecundò, aerem quaſi ingentem maſſam tenuiſſimarum bullularum, non aere, ſed vacuo repletarum. Verùm, cùm vacuum nihil farcire aut diſtendere aptum ſit, quis bullas vacuo diſtentas audire aut concipere poteſt? Deinde, quid fiet de aliis aeris phænomenis? Hæc maſſa bulloſa nec radios lucis tranſmittere poteſt, nec motum corporum liberum, quemadmodum ſolet aer, in ſe perferre. Nequit, inquam, radios lucis tranſmittere, ob difformitatem ſubſtantiæ, & multiplicem indè ſecuturam refractionem: cujus inſtantiam habemus in maſſa ſpumæ quæ umbram projicit. Neque quidem motum corporum quaquaverſùs admittit. Bullæ enim virgâ diviſæ diſrumpuntur; aer autem, ſi centies millies virgâ aut gladio percuſſeris aut diviſeris, ſuum non mutat ſchematiſmum. Non ergò conſtat ex bullis vacuo repletis. Eò adducimur, ut ſi velimus aeris continuitatem cum tanta vacuitate defendere, neceſſum ſit poſituram partium retiformem ei concedamus: ità tamen, ut hoc rete non ſupponatur ſolùm ſecundùm planitiem formari, ſed retiformiter quoquoverſùm contexi; necnon ut ejus ſubſtantia ex filis perexiguis conſiſtat, ut nimirum bis millies plus vacui, quàm ſubſtantiæ in filamenta inſumptæ, in ſuis interſtitiis includat. Quin & requiritur ut fila hæc aeris habeant in ſe aliquid vigoris ſeu rigiditatis & virtutis elaſticæ. Certiſſimum enim eſt, aerem, ſi comprimatur ultra ſphæram dimenſi ſui, reniti & quaſi reſilire. Cùm ergò hæc renitentia vacuo attribui nequeat, hiſce filamentis

filamentis exilibus, (ſi ea aëri dederimus) tanquam cruribus ejus, quibus ſuam dimenſionem ſibi vindicat, adſcribenda eſt. Si enim aer ex filis iſtiuſmodi rigidis conſiſteret, non tam facilè, nec ſine ſenſu moventis, motum quoquoversùm ſe dividentem admitteret: aut ſi hoc quoque fingatur, ſaltem fila ſeu crura, ſæpius diviſa, non neceſſariò, cùm aer denuo coaleſceret, in ſe mutuò inciderent, nec dimenſiones aeris defenderent. Demum, conſiderandum eſt, an aer conſiſtat ex innumeris particulis in vacuo natantibus, eo nimirum modo quo pulveres ſolent in aere vel ſolis radiis volitare. Verùm hoc defendi nequit. 1. Quia aer eſt corpus pellucidum, quod non quadrat corpori in innumeras particulas diviſo. Difformis enim poſitura (ſi multiplex ſit) dat multiplicem refractionem radiorum lucis, ut ex fumo & nubeculis, quæ umbram ſpargunt, liquet. Hoc argumentum redarguunt quoque priores texturæ aeris & vacui expoſitiones. 2. Quia ſi aer conſiſteret ex particulis corporeis in vacuo fluitantibus, datâ unquam quiete, particulæ ſponte ſubſiderent, quemadmodum pulvis priùs commotus ſolet: at aer in vitris incluſus, ubi minimè agitatur, non ſubſidit, nec deſerit ſuum vacuum. Sciendum eſt, vacuo nil levius eſſe poſſe. Nihil ergò pulviſculum aereum in vacuo natantem, ſublatâ continuâ agitatione ejuſdem, à ſubſidentia retinere poteſt. 3. Quia nulla ratio reddi poteſt cur particulæ aeris in vacuo aſcenderent, aut elatæ in ſuperiore parte vacui, ex æquo cum inferiore, hærere perſiſterent, cùm vacuo multò denſiores & graviores ſint: neque quidem ad pulſionem ſurſum confugere licet, cùm vacuum circumfluens nihil pellere aut elevare valeat. Quare aer non conſtat ex particulis ſeu atomis in vacuo natantibus.

5. Tertia difficultas vacui admiſſionem impugnans, à motu quem vulgò vocant *ad fugam vacui*, vel *ad præſervationem nexûs rerum*, ſumitur. Si enim admittatur hic motus, ſequitur vacuum naturæ odioſum eſſe, & quodvis corpus potiùs eligere cujuſvis alterius (utcunque ſibi hoſtilis) contactum, quàm vacuo ex ulla parte ſui exponi. Ratio forſitan eſſe poteſt, quòd multò plus complacentiæ atque utilitatis ex aliorum corporum, quàm ex non-entis ſeu vacui, contactu percipiat. *Omne* enim *ens bonum eſt*, & *ſuo modo utile*: *vacuum fruſtrà eſt*, & *planè inutile*. Quare natura unius corporis ab ea cujuſvis *De fuga vacui.*

©BIUM

cujuſvis alterius multò minùs quàm à vacuo recedit. Concedimus dari corpora inter ſe pugnantia; ſed ſummum quod ex mutuo ſuo conflictu alterutrum pati poteſt, eſt, unius eorum alteratio aut mutatio: & interim ambobus ſe tueri quantum poſſunt, omnéſque vires ſuas exſerere, permittitur. Verùm in occurſu vacui, alterutrum ex privatione ſubjecti in quod agat eluditur & fruſtratur. Quod enim vacuo circumfunditur, nihil habet in quod agat: cúmque omnia ſint propter operationes ſuas, vacuo circumſepta in ſtatum deſpicabilem & maximè fugiendum deducuntur; ſtatum quippe fruſtrationis, inutilitatis, & privationis exercitii omnium ſuarum virium ad extrá. Nolunt itaque corpora ab omni conſortio ſuorum ſimilium divelli: quin potiùs, contra privatam ſuam gravitatis ac levitatis legem, modò ſurſum, modò deorſum, ut conſervent univerſalem hunc inter ſe nexum, ſponte ferantur. Non me latet dari nonnulla eximia ingenia quibus hic *motus nexûs corporum* minùs arridet. Verùm experimentis quibus probatur, an ex omni parte ſatisfaciant, dubito. In antliis, in ſuctione per fiſtulas, in applicatione cucurbitularum, in reſpiratione, recurrunt ad preſſuram atmoſphæræ. Ego ex omni parte preſſuram iſtam haud nego; verùm ea omnibus experimentorum circumſtantiis vix mihi ſufficere videtur.

In antliis quid aquam elevet.

6. In antliis enim, qui manubrium tractat, magnum aquæ effluentis pondus ſe ſuâ vi elevare percipit: nec ſatis eſt dixiſſe, eum tantùm incumbentem aerem aut ſphæram vaporoſam ſummovere. Siquidem tubo antliæ vacuo, (hoc eſt, ſolo aere repleto,) nullo negotio manubrium deprimitur, & incumbens aer attollitur: tubo autem aquâ pleno, antlans tam eam infra quàm ſupra antliæ ſitulam non ſine labore à ſe ſuſtolli ſentit. Etenim ſiquando eveniat (quod ex accidente nonnunquam fit) totam aquam è tubo in puteum ſeu fontem excidere ſeu relabi; magno poſtea molimine, ac crebrâ celeríque motitatione manubrii, injectâ priùs ſupernè ſufficiente aquâ, aer ſenſim exantlatur, & conſequenter aqua è fundo in tubum paulatim aſcendit: verùm quò altiùs in eodem aſſurgit, eò majore labore manubrium deprimitur; ità ut antlans facilè dignoſcat ſe ſuo niſu & labore aquam attollere. Jam verò, ſi antlans magna ex parte aquam elevet, quis locus

atmoſphæræ

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 420 sur 591

atmoſphæræ relinquitur, totam ſuâ preſſurâ ſurſum compellendi? *Non dantur duæ totales cauſæ ejuſdem effectûs.* Si ergò antlans vel totam, vel ſaltem magnam aquæ partem, ſuo molimine levet, quo jure idem opus totum preſſuræ atmoſphæræ adſcribitur? Verùm ſi partem operis quantulamcunque antlanti conceſſeris, cùm nullo alio vinculo, niſi nexu corporum, aqua infra ſitulam hanc ſurſum motam inſequatur; neceſſe eſt unà agnoſcas, dari in rerum natura *motum nexûs*, ſeu *motum ad fugam vacui.*

7. Similiter qui per fiſtulam aquam haurit, ſi velit ingenuè fateri, ſentiet ſuo ſuctu ſe multum ponderis aquæ ſuſtinere: imò quò longior aut major eſt fiſtula, eò fortiore ſuctu ad hanc actionem opus eſſe: necnon liquorem modò rapidiùs, modò tardiùs, pro arbitrio ſugentis, in os attrahi, neque eodem impetu conſtanter aſcendere. Verùm atmoſphæra liquorem non modò velociùs, modò ſegniùs, ſed ex æquo, ſurſum protrudit. Si igitur tota motûs liquoris ſurſum modulatio à fortiore aut debiliore ſugentis actione pendeat, motus ipſe à preſſura atmoſphæræ non totus provenit: imò quidni putemus, ab eadem cauſa quâ motus liquoris regitur, ab eadem quoque cauſetur. Quòd verò datur vera ſuctio, ad quam preſſura ſphæræ vaporoſæ nihil planè contribuit, unâ inſtantiâ monſtrari poteſt: ſcilicet, ſi clauſo ore, & compreſſis naribus, linguæ apex ſurſum & intus reflexus palato applicetur, idémque ſugat. Percipiemus enim linguam quaſi palato adhæreſcere, ídque ſecum trahere, neque ſine ſenſu ſuctionis & aliquali ſonitu ab eodem divelli. Hæc autem ſuctio ad ſolam *fugam vacui*, aut *amorem nexûs rerum*, conſequi videtur. Compreſſio enim atmoſphæræ ad eam nihil planè confert. Etenim tota intus, quò virtus ejus pertingere nequit, peragitur. Siquidem aer undique ab ore ſecluditur, & ſola lingua ſuâ volubilitate totam operationem perficit. Datur ergò vera ſuctio. Addidero hîc aliam inſtantiam; ſed à me, ob defectum idoneæ trutinæ, nondum probatam, propoſuero. Sedeat aliquis in exquiſita bilance in manu tenens oblongam fiſtulam. Bilanx, ponderibus in lancem adverſam injectis, exactè ad æquilibrium reducatur. Dein ſeſſor è poculo vini aut alterius liquoris quantum impleat fiſtulam, & non amplius, ſugat. Si jam devergat lanx in qua ſedet, & alterâ ponde-

An detur vera ſuctio.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 421 sur 591

©BIUM

roſior fiat, certum eſt eum ſuctu elevare & ſuſtinere pondus vini in fiſtulam attracti, aut partem aliquam ejuſdem: ſin minùs, preſſura atmoſphæræ vinum ſurſum pellit, adeóque ejus ſuſtentatio nihil ponderis ſeſſori ſugenti addit.

Cucurbitulæ quo modo ſugunt.

8. Ad ventoſas quod attinet, is cui admoventur attractionem carnium ſuarum in orificium vaſis, non per modum pulſionis, ſed per viam ſuctionis, fieri advertit. Non enim percipit carnes ſuas extra labra vitri magis quàm alio tempore compreſſioni obnoxias eſſe; intra autem eadem labra ſola ventoſa operatur, & eò vis atmoſphæræ pertingere nequit. Nullus ergò ſenſus preſſuræ, ſed ſolius tenſuræ, ſeu ſuctionis, patientem afficit. Cur verò aliquis ſuos ſenſus in hoc caſu decipi p tet, non video; cùm nulla cauſa cur ſuſpicetur ſubeſſe aliquid fallaciæ aut doli mali adſit. Adde quòd oculus (cùm ventoſa ſit tranſparens) teſtatur, carnes magis in medio orificii vitri quàm circa marginem ejuſdem intumeſcere. Tumor enim tanquam rubrum ſphæræ ſegmentum intus conſpicitur. Verùm ſi à preſſura ſphæræ vaporoſæ idem ſolùm excitaretur, magis circa marginem orificii, cui virtus atmoſphæræ propior eſt, attolleretur, quàm in medio, quò vis ejuſdem nullo modo pervenire poteſt.

Modus inſpirationis expenditur.

9. In reſpiratione ſenſus tentatur, aerem non violenter irruere ſeu intrudi in pulmones, ſed ampliatâ thoracis cavitate ſuaviter attrahi. Atque idem ratio quoque confirmare videtur. Cùm enim ante partum, ſufficiens ſanguinis torrens ad ſiniſtrum cordis ventriculum per pulmones, ejúſque vaſa ſanguinea nondum dilatata, pertranſire nequeat: natura, durante tempore geſtationis, aditum (poſt partum abolendum) ſanguinis è vena cava in arteriam venoſam, nempe foramen ovale, comparavit. Unde patet, pulmones, ante reſpirationem, non potuiſſe ſufficientem ſanguinis quantitatem ad ſiniſtrum cordis ventriculum tranſmittere. Infero igitur, pulmones, ejúſque vaſa ſanguinea, ante clauſuram foraminis ovalis eouſque amplianda fuiſſe, ut ſufficiens ſanguinis copia per eorum parenchyma & vaſa à dextro ventriculo cordis ad ſiniſtrum commodè deferretur. Cùm ergò ſolâ reſpiratione hæc dilatatio obtineri poſſit, colligo reſpirationem in eum finem, inter alios ejus uſus, à natura inſtitutam fuiſſe, ut ſive inſpirando ſive exſpirando pulmones ad hoc munus peragendum.

peragendum ſatis efficaciter dilatarentur. Verùm exſpiratio, cùm ex thoracis compreſſione fiat, parùm huic ſcopo inſerviret. Quamobrem ad ſolam inſpirationem hoc officium devolvitur. Si igitur ex motu muſculorum inſpirationi miniſtrantium, & præſertim diaphragmatis, cavitas pectoris, &, per conſecutionem quandam *nexúmque rerum*, pulmones eorúmque vaſa unà dilatentur, & aer ab extrà attrahatur, undique huic muneri proſpectum eſt. Ipſa enim attractio aeris ab extrà non minùs, aut paulò minùs, ad hanc dilatationem vaſorum, quàm ampliatio cavitatis pectoris ab intus, contribuit. Sin aer non tam attractus, quàm ex preſſura atmoſphæræ compulſus, in pulmones violenter irrumpat, tantundem eos ex hac infarctura ab extrà comprimit, quantum apertio thoracis eoſdem ab intus diſtendit, & totum hoc naturæ machinamentum (in quantum ad dilatationem pulmonum) fruſtratur. Quod enim ex una parte locum ſe ampliandi nanciſcitur, & ex altera tantundem contruditur, operam ludit. Dices, aerem, utcunque violenter intruſum, ſaltem aperire & diſtendere bronchias pulmonum. Verùm hæc ipſa diſtenſio nullo modo hîc opitulatur, ſed arteriam & venam pulmonum (quæ vaſa, ut ſanguis à dextro ad ſiniſtrum ventriculum cordis libere fluat, potiſſimùm dilatanda fuerant,) magis comprimit. Si enim tria vaſorum cavorum genera in una capſula contineantur, quò magis eorum unum infarcias, eò minus loci reliquis duobus, quo ſe ſimiliter dilatent, relinquitur. Quare introitus aeris in pulmones per attractionem, non per intruſionem, (ſi eum facilitando tranſitui ſanguinis à dextro ad ſiniſtrum cordis ventriculum ſubſervire velis,) fieri debet. Plura conſimilia argumenta addi poterant ; ſed vereor nè jam longior quàm par eſt in hac arena fuerim. Alteram raritatis expoſitionem, viz. eam per poroſitatem, expendamus.

An corpus ſubtile ſit rarum.

10. Qui negant vacuum, definiunt raritatem per poroſitatem in qua continetur corpus ſubtile. Verùm ut prætereamus multas alias difficultates quibus hi implicantur, de raritate ipſius corporis ſubtilis ſe expedire nullo modo poſſunt. Certiſſimum enim eſt, datâ hâc ſententiâ, hoc corpus eſſe naturâ ſuâ admodum rarum, imò rariſſimum, cùm ſit res continens ipſam rationem raritatis. Aſſerunt enim, quò corpus

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 423 sur 591

aliquod magis poroſum eſt, & conformiter quò plus corporis ſubtilis in poris ſuis complectitur, eò rarius eſſe; quò minus, eò denſius: ità ut ipſa eſſentia raritatis à poroſitate & præſentia corporis ſubtilis petitur. Quemadmodum enim illi qui admittunt vacuum, rationem majoris vel minoris raritatis in majore vel minore vacui proportione in poris corporis admixti ponunt: ità hi loco vacui ſubſtituunt corpus ſubtile. Oportet ergò ſit corpus rariſſimum, cùm ſuppleat locum vacui, quo nihil rarius fingi queat; quódque nihil planè denſitatis in ſe habeat. Quin & idem manifeſtâ ratione evincitur. Corpus enim poroſum non fit rarum aut leve, ſi pori ejus materiâ denſiore impleantur: ſed ideo fit rarum, quia ejus pori replentur corpore minimè denſo ſimúlque leviſſimo. Etenim ſi corporis alicujus poros argento vivo quoquomodo expleas, an id rarum aut leve propterea dici mereatur? Experieris profectò ex pondere denſius fieri, non rarius. Enimvero quî fieri poteſt ut denſius denſo, aut gravius gravi additum, raritatem aut levitatem ſecum adferat? Vulgò dicitur, *Quicquid efficit tale eſt magis tale.* Si ergò corpus ſubtile in poros alterius corporis exceptum id leve & rarum efficiat, ſequitur ipſum eſſe levius & rarius: cúmque leviſſima & rariſſima corpora poroſa ſuam levitatem & raritatem magnæ copiæ corporis ſubtilis in ſuis poris contenti debeant, oportet hoc ipſum ſit rariſſimum & leviſſimum. Eſto igitur ratum, ex horum ſententia, corpus ſubtile rariſſimum eſſe debere.

Corpus ſubtile non eſſe poroſum.

11. Videamus igitur an corpus ſubtile ſecundùm definitionem raritatis ab his traditam ſit revera corpus rarum: ſi non ſit, hæc definitio non eſt emenda vitioſâ nuce. Si enim id quod definitio proponit tanquam rationem & menſuram raritatis non ſit omnino rarum, quî fiat ut ipſa definitio vera ſit aut alicujus uſûs? At verò evidentiſſimum eſt ex hac definitione, corpus ſubtile non eſſe rarum, nedum rariſſimum, ut oportuit eſſe: & conſequenter hanc definitionem non dare eſſentiam raritatis. Si enim ratio raritatis in poroſitate conſiſtat, ut aſſerunt, quod planè imporoſum eſt, denſiſſimum eſt: & conſequenter ex hac definitione, corpus ſubtile eſt corpus denſiſſimum. Etenim poris planè deſtituitur. Suppono eos qui vacuum negant non admittere poros tales in quibus nihil continetur. Si ergò velint ſuum corpus ſubtile eſſe poroſum, dicant quid

quid in poris ejus continetur. Utì ſpero, nolunt fingere aliud corpus ſubtilius, (ſic enim procederetur in infinitum) quod illius poris implendis pari jure inſerviat, quo illud poris aliorum corporum infarciendis ab iis officiosè coaptatur. Nihil ergò invenitur quod poros corporis ſubtilis infarciat: & conſequenter nulli dantur. Pro confeſſo igitur eſt, corpus ſubtile eſſe penitùs imporoſum, adeóque eſſe denſiſſimum. Dices, ex ſententia eorum qui corpus ſubtile adſtruunt, id non eſſe denſiſſimum, ſed rariſſimum. Ponunt enim ut materiam raritatis; ità ut nihil rarum ſit quod non aliquid hujus in ſe contineat. Reſpondeo, me nullum dubitare quin, ex illorum ſententia, corpus ſubtile ſupponatur eſſe corpus rariſſimum, & ipſam materiam raritatis, (hoc enim modò probavi:) nihilominus, ex definitionibus denſitatis & raritatis ab iis datis, eſſe corpus denſiſſimum. Si ergò corpus ſubtile retinere debeat eſſentiam ſuam raritatis, (ut ex eorum ſententia debet,) corrigendæ ſaltem ſunt iſtæ definitiones, quæ raritatem per poroſitatem, & denſitatem per imporoſitatem, definiunt. Si enim corpus ſubtile ſit corpus rariſſimum, ſimúlque imporoſum, excluditur poroſitas ab eſſentia raritatis: è contrà, ſi corpus ſubtile ſit imporoſum, ſimúlque minimè denſum, rejicitur imporoſitas ab eſſentia denſitatis.

Eſſentia raritatis.

§ 2. Quæro itaque, per quam eſſentiam corpus ſubtile aut aliud quodvis conſtituitur rarum ſeu rariſſimum. Profectò nihil relinquitur quo rarum conſtitui poteſt, præter paucitatem materiæ comparatam ad magnitudinem ſpatii; quod tamen totum ſine poroſitate occupat. E contrà, nulla ratio eſt ob quam aliquid vocetur denſum, niſi ob materiæ copiam in exiguo ſpatio concluſam. Veras igitur habemus denſitatis & raritatis rationes: illam conſiſtere, non in imporoſitate, at in magna materiæ copia in exiguis cancellis contenta: hanc, non in poroſitate, ſed in parva materiæ quantitate ad magnam dimenſionem expanſa. Ut haſce deſcriptiones exemplo illuſtremus, propono contrà penſitandos cubum pedalem plumbi, ſeu mavis auri, & cubum ſimiliter pedalem aeris, aut corporis ſubtilis; & quæro, an hic tantundem materiæ quantum ille contineat. Non mihi dubium eſt quin omnes conclamaverint, cubum plumbi aut auri plus materiæ quàm eum aeris aut corporis ſubtilis complecti. Verùm aliqui putant,

©BIUM

tant, non aurum ipſum, nedum plumbum, (quanquam fortè præter cauſam) poris penitùs deſtitui; interim corpus ſubtile poris planè caret, ut modò probavimus. Attamen in præſentiarum demus eſſe ex æquo imporoſa. Nihilominus manet aurum denſius corpore ſubtili: non autem eſt denſius propter majorem imporoſitatem. Nihil ergò ſupereſt ob quod denſius dicatur, niſi quòd multò plus materiæ in ſuo cubo extenſionis, quàm corpus ſubtile aut aer in ſuo, comprehendat. E converſo, nihil invenitur ob quod aer aut corpus ſubtile aliis corporibus rarius audiat, niſi quòd in pari cubo extenſionis minus materiæ contineat. Hinc igitur veræ rationes denſitatis & raritatis colliguntur: illam plus, hanc minus, materiæ in ſpatio ejuſdem magnitudinis complecti. Revera fieri poteſt ut poroſitas cum denſitate & raritate, imò & imporoſitas in aliquo gradu, conjungatur. Nam poroſitas cum denſis complicata in multis lapidibus, in terra, & ſimilibus, cernitur; item cum raris, ut in ſpongiis, plumis, & iſtiuſmodi: ſimiliter imporoſitas aſſociatur cum auro, argento vivo, aliiſque denſis; at cryſtallum, nitrum, plurimæ gemmæ, multò minùs quàm aurum denſa ſunt, & nihilominus æquè imporoſa; bullularum pelliculæ imporoſæ ſunt, ſed ſimul raræ. Quare nec poroſitas nec imporoſitas eſt de eſſentia denſitatis aut raritatis: quanquam fateor hanc frequentiùs cum denſitate, illam cum raritate, complicari; ità tamen ut hoc per accidens, non per ſe, (cùm neutrius ſint de eſſentia,) alterutri contingat. Etſi igitur major ſit cognatio inter imporoſitatem & denſitatem quàm inter hanc & poroſitatem; &, è contrà, major inter poroſitatem & raritatem, quàm inter hanc & imporoſitatem: cùm tamen ab invicem ſeparari, & denſitas cum poroſitate, raritas cum imporoſitate copulari queat; ſatis manifeſtum eſt, alteram non eſſe de eſſentia alterius. Atque hæc de formis denſitatis & raritatis.

Species motûs ad has formas ſpectantes.

13. Quinque ſpecies motûs circa has formas exercentur. Prima eas defendit in ſtatu quo ſunt, & vocatur *motus libertatis*, vel, ſi malis, *motus vindiciarum libertatis*. Secunda & tertia reſpectivas formas mutant; nimirum rarefactio & condenſatio. Quarta & quinta à dictis formis ſimiliter reſpectivè fluunt; ſcilicet gravitas à denſitate, levitas à raritate. Sed de his duabus hoc loco agendum non eſt, cùm magis

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 426 sur 591

magis propriè ſub alia Claſſe, ut infrà patebit, cadant.

14. Prima ſpecies motûs ad denſitatem & raritatem ſpectans eas conſervat in ſtatu ſuo. Vocatur, ut dixi, ab Illuſtriſſimo Vicecomite S^ti^ Albani, *motus libertatis*: addere poſſis, ſi lubeat, *vindiciarum*: eſt enim motus *vindiciarum libertatis*. Et enim quodammodo complexus eſt. Supponit motum violentum ab extrà venientem, & ſe ab ejus inſultu vindicat. Componitur itaque ex niſu ab extrà & reniſu ab intus, ſeu ex actione & re-actione. Paſſum ſe inceſſi percipit: inſurgit itaque contra hoſtem, & ſuam libertatem vindicat. Inſultus ſeu impetus ab extrà veniens ad duas ſpecies ab Ingenioſiſſimo Vicecomite reducitur; preſſuram, & tenſuram. Illa, pulſio ſeu truſio quædam eſt, & conatur partes materiæ (renuentes licèt) in ſeipſas cogere; hæc, tractio ſeu diſtractio eſt, & fatagit partes ab invicem divellere: Illa, violenta condenſatio eſt; hæc, invita rarefactio & divulſio partium. Utraque naturæ paſſi moleſta eſt & vim infert, ideóque ab eadem quantum ea poteſt repellitur. *Quidam*, ut obſervat Vicecomes laudatus, *valde negligenter hos motus cum gemino illo motu Antitypiæ & nexûs confundunt; liberationem ſcilicet à preſſura, cum motu Antitypiæ; à tenſura, cum motu nexûs: aeſi ideo cederent aut reluctarent corpora compreſſa, nè ſequeretur penetratio dimenſionum; ideo reſilirent & contraherent ſe corpora tenſa, nè ſequeretur vacuum, &c.* Concludit verò Acutiſſimus Dominus, hoſce motus non ſpectare ad fugam vacui aut penetrationis; *ſed nihil aliud eſſe quàm deſideria corporum conſervandi ſe in conſiſtentiis ſuis, nec ab iis recedendi ſubitò, niſi per modos ſuaves & per conſenſum alterentur.* Unde evidentiſſimè liquet, eum vitali principio, deſiderii quippe & conſenſûs capaci, hos motus tribuere. Putabis fortè, eum agnoſcere hoſce motus eſſe violentos, & propterea ad vitale principium non poſſe ſpectare. Sed reſpondeo, hoſce motus (ut priùs notavi) eſſe ex violento & naturali compoſitos: eam motûs partem quæ ab extrà imprimitur eſſe violentam; ſed violentiæ repulſionem & libertatis vindicationem eſſe naturalem, & ab intus promanare; & conſequenter, ejus ſubjectum eſſe ſufficiens vitæ naturalis principium. Procedendum jam foret ad motus condenſationis & rarefactionis: ſed tot difficultatibus intricantur, ut paucis expediri nequeunt. Ut ergò Lectori tædii pertæſo

Motus libertatis quid.

©BIUM

tæſo conſulem, ſcrupoſam hanc operis partem peculiari Capite (quod qui fortaſſe faſtidiverit facilè tranſilire queat, quanquam fortè conſultiùs non tranſiliverit,) tractare viſum eſt.

Cap. XXVII.

De Condenſatione & Rarefactione.

Dari condenſationem & rarefactionem.

1. SEcunda & tertia ſpecies motûs ad denſitatem & raritatem ſpectantes, ſcilicet Condenſatio & Rarefactio, ab Acutiſſimo Vicecomite vocantur motus *Hyles*, ſeu motus materiæ. Materiæ enim ſubſtantia in hiſce motibus vel ad majus ſpatium ambitiosè expanditur; vel, quaſi ſecuritatis gratiâ, ad minus ſpatium contrahitur, & arctiùs concentratur. Aliqui hunc motum concipi non poſſe occlamant: verùm ratio eſt, quia præjudicio ſententiæ Nominalium præpediuntur. Nominales non diſtinguunt actualem extenſionem materiæ ab ipſa ſubſtantiali entitate ejuſdem. Quâ opinione datâ, revera hic motus Hyles intelligi nequit. Si enim materiæ ſubſtantia ejúſque determinata extenſio una & eadem res ſint, quî fieri poſſit ut extenſio materiæ, manente eâdem quantitate ſubſtantiæ, mutetur? Etenim ſi minuatur extenſio, minuitur ſubſtantia; ſi amplietur, augetur; quòd eadem res ſint: & hoc poſito, rectè inferunt, condenſationem, prout à nobis exponitur, includere annihilationem partis materiæ, & rarefactionem, novæ materiæ creationem. Quantum enim (ex hac ſententia) actualis extenſio minuitur aut augetur, tantum minuitur aut augetur ipſa ſubſtantia materiæ. Verùm hæc ſententia falſo fundamento innititur, ſubſtantiam materiæ & extenſionem ejus actualem eandem rem ſignificare. Extenſio enim actualis accidens eſt, & abſque auctione aut diminutione ſubſtantiæ mutari poteſt. Accidens enim idem non neceſſariò eidem ſubjecto perpetuò adſtringitur; ſed vel adeſſe vel abeſſe poteſt manente ſubjecto. Cùm ergò extenſio actualis ſit accidens materiæ, hæc illam variare poteſt, & modò majorem, modò minorem ſibi aſciſcere. Cardo itaque controverſiæ inter Nominales & Reales de extenſione actuali,

actuali, an ſit à ſubſtantia materiæ diſtincta vel ſecùs, in hoc conſiſtit, an ſit mutabilis nécne. Si enim extenſio actualis manente ſubſtantiâ mutari queat, certiſſimum eſt, illam ab hac eſſe realiter diſtinctam, & hanc eſſe illius formam accidentalem. Reſtat itaque expendendum, an extenſio materiæ ſit ab ea ſeparabilis, an non. Verùm ipſo limine fundamenta Nominalium excutere animus eſt.

Quantitas accidentalis aſſeritur.

2. Ea à Suario Diſp. 40. ſ. 2. nº. 3. recitantur. *Fundamenta*, inquit, *hujus ſententiæ ſunt, quia rerum diſtinctio introducenda vel aſſerenda non eſt ſine ratione aut neceſſitate cogente: hîc autem nulla eſt ratio vel neceſſitas, nullúſve effectus ex quo poſſit ſufficienter colligi realis diſtinctio inter quantitatem & materiam, verbi gratiâ: ergó.* Admiſsâ propoſitione, aſſumptionem negamus; dicimúſque dari ſufficiens fundamentum diſtinctionis actualis extenſionis materiæ à ſubſtantia ejuſdem. Pergit itaque Suarius, & probationem minoris quæ à Nominalibus adducitur his verbis refert: *Minor probatur; quia ſi quis eſſet effectus, maximè realis diſtinctio, aut ſituatio partium ſubſtantiæ: nam hoc ipſo quòd res intelligitur habere unam partem extra aliam, & in entitate ſua & in loco, jam intelligitur quantitas. Utrumque autem horum habet materialis ſubſtantia per ſeipſam, neque ad ea indiget accidente; quòd ſit quantitas realiter diſtincta. Ergò nulla eſt neceſſitas talis quantitatis.*

Nominalium fundamenta excutiuntur.

An ratio quantitatis ſit, habere partes extra partes.

3. Hoc fundamentum ad denominationem quanti tantùm requirit habere partes extra partes, tam reſpectu entitatis quàm loci. Sed latet ambiguitas in iſtis verbis, *habere partes extra partes.* Vel enim intelligi poſſunt de partibus extra partes extenſis, abſtrahendo à mutabilitate & immutabilitate; vel de partibus mutabiliter extra partes extenſis. Sed utrovis modo ſufficiunt ad aliqualem denominationem quanti; attamen diverſimodé. Priore modo, quatenus abſtrahunt à mutabilitate & immutabilitate, ſufficiunt ad denominationem ſubſtantialem; poſteriore, ad accidentalem, ut nimirum extenſio partium extra partes ſit mutabilis. Reſpondeo igitur Nominalibus, ſubſtantiam materialem ad denominationem ſubſtantialem, quòd ſit quanta quantitate entitativâ, nempe abſtrahendo ab extenſionis mutabilitate & immutabilitate, accidente non indigere: verùm eadem ſubſtantia, ſi velit quantitatem mutabilem induere, opus eſt ſibi aſciſcat

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 429 sur 591

©BIUM

porrò quantitatem accidentalem. Aio igitur, ad ſubſtantias materiales, prout in rerum natura exiſtunt, præter entitativam & ſubſtantialem extenſionem, requiri accidentalem & mutabilem, quòd earum extenſio ſit naturaliter mutabilis, ut infrà probaturus ſum. Interea loci alia ambiguitas hîc ſubeſſe poteſt. Verba [*habere partes extra partes*] intelligantur quaſi nullâ occaſione una pars materiæ intra aliam ſe occultet: quo ſenſu non ſunt vera; viz. omnes materiæ partes eſſe perpetuò extra omnes alias: Vel ſumantur quaſi inſinuarent, materiam neceſſariò habere aliquas partes extra partes; nimirum eam determinari vel ad maximum aut minimum, vel ad aliquos terminos intermedios: quo ſenſu iis aſſentior, nec contra me faciunt. Verùm in his intermediis vel ad majorem extenſionem actualem, vel minorem, determinari poſſe: atque hanc determinationem ei advenire ex aliqua actuali ejus extenſione, quæ accidentalis eſt, & à ſubſtantia materiæ diſtincta, necnon manente ſubſtantiâ mutabilis. Dices, partes materiæ eſſe diſtinctas per ſeipſas, & conſequenter per ſeipſas unam partem eſſe extra aliam. Concedo unam partem materiæ eſſe entitativè diſtinctam ab alia, hoc eſt, unam partem ejus non eſſe aliam; nec indè ſequi, unam partem ejus eſſe neceſſariò & perpetuò extra aliam, cùm poſſit eſſe vel extra, vel intra aliam. Quanquam enim ſupponis tres, quatuor, vel fortè mille partes materiæ in eodem præcisè ſpatio contineri; non tamen indè efficitur ut entitativè confundantur, aut ſuam entitatem diſtinctam perdant: ſed ſatis diſtinctè ut partes manent, etiamſi unum totum conficiant, & unâ communi dimenſione accidentali includantur.

Differentia materiæ & ſpirituum.

4. Dices, non ſufficere ad diſtinctionem partium materiæ ab iis Angelorum, quòd earum una non ſit alia, ſed inſuper requiri ut earum una ſit actu extra aliam. Aliter enim partes materiæ entitativæ non fuerint ſatis diſtinctæ à ſubſtantia ſpirituum: imò, ſi per Divinam potentiam actualis materiæ extenſio ſuſpenderetur, ſubſtantia ejus maneret planè ſpiritualis. Reſpondeo, me duplicem differentiam inter ſubſtantiam materiæ & eam ſpirituum aſſignare. Prima ſumitur à ſubſtantiali materiæ mole. Ego enim, præter extenſionem actualem & accidentalem, hanc inſuper molem ſubſtantialem materiæ.

Prima ſumitur à materiæ mole.

teriæ attribuo, quæ ſpiritibus denegatur. Certum hujus molis indicium eſt, quòd ſi materia in eodem ſpatio duplicetur, triplicetur, aut centuplicetur, duplò, triplò, centuplò denſior facta fuerit: quod de ſpirituum ſubſtantia dici nequit. Quare ſubſtantia materiæ adfert molem ſubſtantialem, quam non dat ſubſtantia ſpiritualis. Dico jam, hanc materiæ molem non neceſſariò ponere omnes ejus partes extra omnes alias; ſed tantùm perpetuò ponere aliquas extra aliquas alias: nec poſſe eas ad punctum mathematicum contrahi, aut ad infinitam magnitudinem expandi; utpote ad maximam quam ferre poſſunt complicationem ſui ſeu condenſationem, necnon ad maximam explicationem ſeu rarefactionem, determinantur. Dices, hoc non ſufficere ad diſtinctionem ſubſtantiæ materiæ à ſubſtantia ſpirituum. Spiritus enim nequit ſe in infinitum ampliare, aut ad punctum ſe retrahere. Reſpondeo, ſpiritui & materiæ in eo inter ſe convenire, quòd ambo ſint finiti; & hinc eos hoc commune habere, quòd neuter ſe ad infinitam parvitatem redigere, aut in infinitam magnitudinem dilatare, queat. Quare differentiam inter eos in hoc non conſiſtere: ſed in eo, quòd ſpiritus, ſive contrahatur ſive dilatetur, non fit denſior aut rarior: è contrà, materia, ſive contrahatur ſive expandatur, fit denſior aut rarior, & ejus ſive denſitas ſive raritas perpetuò actuali materiæ extenſioni proportionatur; ità ut impoſſibile ſit, materiam non retinere eandem denſitatem, manente eâdem actuali dimenſione, aut hâc mutatâ, non proportionaliter mutari. Sed de hac re fuſiùs tractavi ſuprà Capite ſeptimo.

Secunda, ab interminata quantitate.

5. Secunda differentia ſumitur à materiæ quantitate interminata, quæ tamen fundatur in materiæ mole. Moles enim hæc efflagitat ut materia perpetuò ſit ſub aliqua materiali extenſione actuali, quanquam ad unam certam, niſi quoad maximam & minimam, ut dictum, non determinetur. Moles ergò eſt ratio ob quam materia eſt perpetuò ſubjectum alicujus materialis quantitatis interminatæ. Hoc fuſiùs ſuprà Capite ſeptimo explicuimus. Si quæſiveris quid ſit hæc quantitas interminata, aſſero, in genere, eſſe formam materiæ primæ accidentalem, ſeu eſſe proprietatem ejus incompletam, hoc eſt, inadæquatè conceptam. Sicut enim materia integrè concepta includit materiam primam, ſecundam, & formatam;

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 431 sur 591

©BIUM

matam : ità quantitas materiæ completè concepta totam rationem quantitatis ejuſdem uno confuſo conceptu complectitur ; mox verò in duos conceptus inadæquatos & incompletos dividitur. Quorum prior quicquid quantitatis materiæ perpetuum eſt ad ſuas partes rapit, & audit quantitas interminata : poſterior quicquid quantitatis ejuſdem mutabile eſt ad ſuum conceptum proprium abſtrahit, & dicitur quantitas terminata, & actualis extenſio ſeu actualis dimenſio. Dices, hanc non eſſe inadæquatum conceptum. Sed profectò eſt. Nam dupliciter accipi poteſt : vel quatenus includit quantitatem interminatam, quam complet & terminat ; & ſic eſt quantitas completa, nec rectè dicitur conceptus inadæquatus : vel quatenus abſtrahit ab eadem ; & ſic eſt tantùm pars totius quantitatis, & conſequenter eſt inadæquatus ejuſdem conceptus ; quo ſenſu hîc ſumitur. Nec quenquam turbare debet, quòd interminatum & terminatum videantur conſiſtere non poſſe. Nam ut quælibet pars includit negationem cujuſvis alterius ; interímque optimè cum iis omnibus in compoſitione totius conſentit : ità interminatum includit negationem terminati, & versâ vice ; nihilominus conjuncta conficiunt totum completum & terminatum. Dices, ſi extenſio actualis ſit actus complens quantitatem interminatam, hanc meram potentiam eſſe, & reipſa nihil. Reſpondeo, non eſſe puram potentiam, ſed includere exſiſtentiam primam ſibi proportionatam ; quemadmodum etiam materia prima habet exſiſtentiam primam ſuæ entitati conformem : ſed privari exſiſtentiâ completâ ſeu ſecundâ, & eatenus eſſe in potentia, ac potentialem dici poſſe : ità tamen ut vel hoc reſpectu actu includat *quoddam* alicujus actualis extenſionis. Materia enim prima ſemper aliquam individuam & determinatam extenſionem, quanquam non præcisè hanc vel illam, ſibi vindicat. Sed nondum ſatis explicuimus quomodo hæc interminata quantitas diſtinguit ſubſtantiam materiæ ab ea Angelorum. Verbo itaque dicam, nimirum, molem materiæ perpetuò & neceſſariò hanc interminatam quantitatem materialem in ſe producere, quæ nulli ſpiritui communicabilis eſt.

Omnem particulam non eſſe perpetuò extra aliam.

6. Paulò aliter autem Suarius, in reſponſo ſuo ad hoc Nominalium fundamentum, n°. 20. hanc ſecundam differentiam

tiam inter materiam & Angelos (priorem enim non agnoſcit) proponit. Concedit *eſſe in materia partes entitativè diſtinctas per ſeipſas, quod infrà* (inquit) *oſtendam.* Concedit etiam *eas partes poſſe locis disjungi, etiamſi intelligantur eſſe ſine quantitate diſtincta realiter per Divinam potentiam: ſicut etiam duæ ſubſtantiæ Angelicæ poſſunt locis ſeparari. Nego tamen rem eſſe quantam ex hoc præcisè, quòd partes ejus ſint in diſtinctis ſpatiis partialibus; ſed ex hoc, quòd neceſſariò poſtulent ex ſe talem extenſionem in ſpatio. Aliud eſt enim, eſſe poſſe in diverſis ſpatiis, quod duabus rebus etiam incorporeis convenit; aliud verò eſt, naturaliter eſſe non poſſe niſi in diverſis ſpatiis, quod duobus Angelis non ineſt. Igitur illud prius non requirit quantitatem, & ideo convenire poſſet partibus materiæ, etiamſi quantitate privarentur: hoc verò poſterius omnino requirit quantitatem.* Rectè Suarius materiæ largitur ſuas partes entitativas; rectè quoque ait eas poſſe loco disjungi, etiamſi ſine quantitate per Divinam potentiam conſerventur; necnon rectè negat eas eſſe quantas præcisè ex eo, quòd partes ſint in diſtinctis ſpatiis partialibus, ſed ex eo, quòd partes neceſſariò aliquam certam extenſionem obtineant: ubi verò ſubjungit eas non poſſe niſi in diverſis ſpatiis eſſe, falſæ interpretationi facilè ſubjicitur. Utpote aliud eſt, poſtulare aliquam extenſionem; aliud, omnem partem neceſſariò poſtulare ſitum diverſum ab omnibus aliis. Quælibet enim pars ſubſtantialis aliquem ſitum vel intra alias partes, vel extra eas, requirit; non autem quælibet ſibi ſitum peculiarem, & planè diſtinctum à ſitu omnium aliarum partium, requirit; nimirum pars quà ſubſtantialis hoc non requirit. Verùm poſtquam totum ſibi aſcivit determinatam extenſionem; durante eâ, ab omni alia parte ſimiliter extenſa impenetrabile eſt: nihilominus mutatâ extenſione præſenti, nihil prohibet quin una pars ſubſtantiæ aliam ſubeat, & novam dimenſionem acquirat; aut una pars ſub communi dimenſione cum aliis latitans ſeſe explicet, & propriam dimenſionem ſibi aſſerat. Hanc fuiſſe mentem Suarii, ex verbis ejus ſequentibus liquet: *Unde ſi partes materiæ ſine quantitate eſſent, indifferenter eſſe poſſent vel in eodem Ubi, vel in diverſis. Quòd ergò ſint ità diſpoſitæ ut neceſſariò requirant ex natura rei ſitus diverſos, id provenire ex quantitate.* Verùm ut quod res eſt fatear, difficile eſt Suario oſtendere eſſentialem differentiam inter

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 433 sur 591

©BIUM

ſubſtantiam materiæ, (ſi ea per Divinam potentiam abſque quantitate conſervetur,) & ſubſtantiam ſpiritûs. Ait enim illam indifferenter eſſe poſſe vel in eodem Ubi, vel in diverſis. Quid aliud de hac dici poteſt? Sunt enim ſpiritus in aliquo Ubi, & æquè ac corpora poſſunt eſſe vel in eodem Ubi, vel in diverſis. Videntur ergò ex hac ſententia corpora & ſpiritus quoad ſubſtantiam ab omni accidente ſeparatam non differre; diſcriminari autem ſolummodo ex adventu quantitatis interminatæ. Quæ ſententia nullo modo ſuſtineri poteſt. Nam proculdubio nec ſpiritus in materiam, nec materia in ſpiritum tranſmutari queat: quod fieri contingeret, ſi ſolo acceſſu accidentis diſtinguerentur. Non dubium eſt quin Clariſſ. Metaphyſicus hanc difficultatem præſenſerit. Sibi enim cavet in loco Diſp. 40. ſ. 2. n°. 21. Secundo enim Nominalium fundamento reſpondet, concedendo, partes ſubſtantiæ materiæ à Deo ſine quantitate accidentali conſervari poſſe, ut ratio Nominalium facta probat: *Sed*, inquit, *hæc omnia non ſufficiunt ut ſubſtantia ſit quanta, niſi habeat hanc molem corpoream, ratione cujus & aliis corporibus repugnat in eodem ſitu, & partes ejus ſeſe pellunt naturaliter ab eodem ſpatio; quod non haberet illa ſubſtantia quantitate privata: nam æquè poſſit cum aliis corporibus penetrari in eodem ſitu ac ſubſtantia Angelica, & partes ejus indifferenter eſſe poſſint in eodem Ubi & in diverſis, ut dictum eſt. Dices, Ergò non differret tunc talis ſubſtantia à ſubſtantia Angeli. Reſpondetur, differre quamplurimùm. Nam ſubſtantia illa, ut dixi, compoſita eſſet ex partibus non tantùm eſſentialibus, ſed & materialibus & integrantibus ſubſtantialiter, ratione quarum & eſt capax, & natura ſua poſtulat corpoream quantitatis molem; Angelica verò ſubſtantia eſt indiviſibilis, & incapax quantitatis.* Vide quàm parùm abeſt ab agnitione noſtræ molis materialis: inter ſubſtantiam materiæ & eam Angeli ſolam ponit differentiam, illam poſtulare quantitatis molem, hanc non. Eo duntaxat nobis refragatur, quòd ignoravit ſubſtantialem hujus molis rationem, & ejus loco accidentalem ſubſtituit. Putavit enim differentiam inter materiam & ſpiritum eſſe, quòd illius ſubſtantia ex partibus integrantibus componatur, hujus verò minimé. Quin & hoc ipſo videntur etiam Scholaſtici generaliter errâſſe, differentiam inter materialem & ſpiritualem ſubſtantiam eſſe compoſitionem, & carentiam compoſitionis,

ex

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 434 sur 591

ex partibus. Verùm enimvero ubi Suarius ex profeſſo conatur ſpiritualem Angelorum entitatem vindicare, l. 4. de Angelis, cap. 2. id tantùm agit, ut probet Angelos non eſſe corporeos: quod contra ſententiam noſtram nihil facit. Dicimus enim Angelos eſſe incorporeos, & in ſua entitate nullam corpulentiam aut ſubſtantialem molem includere, adeóque per ipſam ſuam ſubſtantiam incorpoream à corporibus clarè diſtingui. Cæterùm Metaphyſici, hanc molem ſubſtantialem neſcientes, alias differentias, quas humanus intellectus vix ullo modo capit, excogitârunt: ſubſtantiam ſpiritualem & materialem eo diſtingui, quòd hæc ex partibus integrantibus, illa non ex iis, componatur. Certum eſt primò, tam Angelos quàm corpora eſſe ſubſtantias finitas, & eſſe reales entitates. Quòd ergò realiter in natura exiſtant, hoc habent commune, quòd reduci nequeant ad punctum mathematicum; & quòd ſint finita, non poſſe in immenſam magnitudinem extendi. Sunt ergò in aliquo intermedio *Vbi* inter punctum mathematicum & extenſionem infinitam. Quicquid autem ſic limitatur, neceſſariò ad aliquam extenſionem inter punctum & immenſitatem determinatur. Habent ergò omnes ſubſtantiæ finitæ hoc ſibi neceſſariò adhærens, quòd ſunt extenſæ; at cum hac differentia, ſpiritus extenſionem tantùm præſentialem ſeu ſpiritualem, corpora mole ſubſtantiali infarctam, ſibi poſtulare.

An ſpiritus ſint toti in toto, & toti in qualibet parte.

7. Secundò, quod dicunt de ſpiritibus, eos *eſſe totos in toto, & totos in qualibet parte*, de ſubſtantia finita intelligibile non eſt. Quid enim eſt eſſe totum ſubſtantiale finitum? Non eſt eſſe punctum mathematicum; (hoc enim non eſt eſſe per ſe, ſed eſſe terminum alterius:) imò nec eſt eſſe in puncto mathematico; hoc enim non eſt eſſe in *reali ubi*. Siquidem punctum in ſe nihil eſt niſi negatio; quanquam reſpectu lineæ dicatur modus aut terminus, incipiens, connectens, aut finiens. Terminus enim incipiens tantùm dicit lineam non antè incipere; connectens, priorem partem lineæ non ultrà produci, poſteriorem non antè incipere; finiens, lineam non ultrà protendi. Ità ut punctum nihil addit lineæ præter negationes, *non antè, non ultrà*. Quicquid enim præter has fingitur, ad partes lineæ revera ſpectat. Quare punctum non eſt ſufficiens *Vbi* in quo totum ſubſtantiale comprehendatur. Dicit enim Suarius, & efficaciter probat, Diſp. 51. ſ. 3. n°. 23. in

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 435 sur 591

©BIUM

in substantia finita immateriali dari proprium & intrinsecum Ubi ei proportionatum. Quæro, quo modo punctum sit substantiæ finitæ proportionatum: aut quo modo ea substantia subsistere aut operari potest, quæ solâ negatione essendi, (nempe non antè, non ultrà,) absque ulla affirmatione essendi hucusque, comprehendatur. Linea quidem reducit punctum ad entitatem inhærentiæ & terminationis, eam produci huc usque, & non ultrá: at verò substantia finita absque aliqua extensione nequit sustinere punctum. Hoc enim lineam, quam terminet, cuíque inhæreat, quærit. Quocirca neque potest punctum esse substantiæ finitæ proportionatum *Ubi.*

Angeli totalis præsentia exponitur.

8. Tertiò, substantiam spiritualem suppono posse præsentem esse toti sphæræ  *a b c d.* Si totus spiritus sit totus in tota sphæra, & totus in *a*, totus in *b*, totus in *c*, & *d*; nonne est in iis quadrantibus multiplicando suas totalitates, ut singulis sit præsens? Si mentem meam minùs capias, suppoſuero hanc sphæram in majore contineri, Putemus itaque spiritum esse primò præsentem soli interiori sphæræ *a b c d*, velle autem se ampliare in *e f g h.* Nonne necesse est ut multiplicet suas totalitates, ut sit simul in *e f g h?* Cùm enim totus supponatur esse primò in interiore sphæra, & deinde se diffundere in exteriorem, non autem in hanc irrumpere sive partes suas extendendo, sive illam deferendo; alius modus non supereſt quo illuc totalem suam præsentiam transferat, quàm multiplicando se in istis respectivis locis, *e, f, g, h.* Quæro jam, utrùm durius sit dictu, spiritum multiplicare suas totalitates in hoc motu, an, extendere suas partes spirituales ad majorem præsentiam. Certò scio hoc faciliùs quàm illud à nobis concipi posse. Nam cùm partes spirituales possint absque omni reluctantia corpora penetrare, quid prohibet quò minùs in exteriorem sphæram se pro arbitrio extendant? Illud verò, ut mihi videtur, non est intelligibile, aliquid posse pro arbitrio multiplicare suas totalitates. Primò enim, ipsa ratio entis (quâ unum exigit nè sit divisum à se) cavet nè ens sit multiplex, néve sit simul totum *hic*, & totum *illic.* Secundò, cuilibet enti finito conceditur certum & *definitum ubi*, (ut Suarius fusè probat loco citato.)



e f g h.

Si

Si ergò ſpiritus, ubicunque eſt, definitivè ſit in eo Ubi, nequit eſſe ſimul in alio; & conſequenter, ſpiritus qui totus eſt definitivè in *a*, nequit eſſe ſimul definitivè in *b*, aut *c*, aut *d*. At (ex hac ſententia) ſpiritus totus eſt in *a*. Quare *a* eſt totius *definitivum ubi*: & conſequenter, idem ſpiritus totus *nullibi* præterea eſſe poteſt. Dices, *a* non eſſe *totale ubi* iſtius ſpiritûs. Sed ſi ſit *totius ubi*, non video quî non ſit *totale ubi*. *Vbi* enim non eſt quid extrinſecum, ſed intrinſecum ſpiritui. Si ergò ſit partiale, eò eſt partiale, quòd parti ſubjecti inhæreat. Si enim toti inhæreat, quo ſano ſenſu dicatur partiale? Etenim habet ab entitate ſubjecti quòd ſit ſive totale, ſive partiale. Quare niſi ſit in parte ſubjecti, nequit eſſe partiale. Aliqui ineptè diſtinguunt totum ſpiritum à toto ſpiritûs: quaſi aliquid ſpiritûs eſſet extra ſe totum. Imò verò hæc ſententia non ſolùm talem diſtinctionem, utcunque parùm intelligibilem, exigit, verùm etiam obſcuriorem. Utpote quæ non tantùm aliquid totius extra totum quærit, ſed & ipſum totum extra ſeipſum. Totus enim ſpiritus qui eſt in *a*, eſt extra eundem totum qui eſt in *b*; & ſic de cæteris. Alii diſtinguunt totum in totaliter, & partialiter ſumptum. Verùm totum partialiter ſumptum in toto quod caret partibus apertam implicat contradictionem. Nam ſumere totum pro parte, cùm nec ſit pars, nec ex ea ſententia eſſe poſſit, eſt velle verbis (cùm re fieri nequeat) conciliare contradictoria. Quicquid ſit, apparet hos authores non poſſe concipere coextenſionem ſpirituum cum corporibus abſque relatione ad partes; ità ut totum totaliter ſumptum per totalitates partialiter ſumptas alias extra alias extendatur. Quid hoc aliud eſt quàm commutare nomina partium ac totius, & omnia confundere? Quid enim differt totum partialiter ſumptum à parte eandem naturam habente cum toto, quemadmodum dicimus de partibus ſimilaribus? Si autem eo ſenſu dicunt ſpiritus totos eſſe in toto, & totos in qualibet parte, ab iis minimè diſſideo. Non enim puto ſpiritus eſſe ſubſtantias organicas, ſed uniformes & ſibi ſimiles per totam ſubſtantiam. Verùm ex dictis conſtat eos eſſe extenſos, quanquam ſpirituali modo; & differentiam inter materiam & ſpiritus non ſumendam eſſe ab extenſione, & carentia extenſionis, ſed à mole ſubſtantiali, & carentia iſtius molis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 437 sur 591

©BIUM

Coextenſio ſpirituum monſtratur.

9. Quartò, qui negant extenſionem ſpirituum, ſaltem concedunt dari coextenſionem eorum cum corporibus. Verùm ubi aliæ ſubſtantiæ per partes extra partes extenduntur, dicunt ſpiritus multiplicando ſuam totalitatem coextendi; ità ut cuilibet parti corporis extra aliam partem exſiſtenti adſiſtat totus ſpiritus extra ſeipſum totum in alia parte præſentem. Hoc qui capere poteſt, capiat; meus intellectus nullo modo capit. Etenim in ſubſtantia finita, quî fieri poteſt ut eadem numerica ſubſtantia quæ eſt in *a*, ſit in *b*, ſimúlque in *c* atque *d*? Subſtantia enim finita ſtrictâ negatione ad *hîc & nunc* limitatur: ità ut ſi ſit *hîc* & *nunc* in *a*, non ſimul ſecundùm eandem entitatem eſt in *b*, aut *c*, aut *d*. Neque diſtinctio extenſionis & coextenſionis ad hunc nodum ſolvendum aliquid momenti adfert. Si enim ſpiritus nequeat *extendi* extra ſuum *ubi*, neque poteſt extra *idem coextendi*. Oportet enim ipſa ſubſtantia *extendatur*, alioquin neque *coextendi* poteſt. Nequit enim per eandem præcisè entitatem eſſe *hîc*, & *illic*. Quare ſpiritus, ſi coextendatur ſphæræ *a b c d*, non per eandem entitatem numericam quâ eſt in *a*, eſt in *b*, &c. ſed per diverſam ſui partem. Si enim *a* ſit *ubi* ſpiritûs quatenus eſt in *a*, nequit *novum ubi* acquirere, niſi priùs illud deſerat. Nam hoc commune eſt ſpiritibus & corporibus, non eſſe *ſimul in diverſis ubi*. Si ergò ſpiritus ſimul ſit in *a* & *b*, per unam ſui partem eſt in *a*, & per aliam in *b*. Quare in finitis tam coextendi quàm extendi ſupponit partes extra partes. Sicut coexſiſtere ſupponit exſiſtere, ità coextendi involvit extendi. Siquidem coextenſio ſpiritûs æquè ſubſtantialis eſt ac extenſio materialis, ſi modò hæc abſque quantitate conſideretur. Non poſſumus enim coextenſionem accidentalem abſque ſubjecto ſubſtantiali in quo ſuſtentetur concipere. Ut ergò in extenſione ſubſtantiali aliquid ſubſtantiæ eſt extra aliud ejuſdem; ità in coextenſione aliquid neceſſariò eſt extra aliud ejuſdem, & id ſubſtantiæ quod eſt extra aliud eſt ens per ſe, & per ſuam entitatem diſtinguitur ab omni alia entitate extra ſe. Dices, pari ratione infinitum dici poſſe extendi. Reſpondeo, infinitum in infinitum abſque omni limite extendi, & ſimiliter abſque omni limite coextenſioni finitæ paſſim reſpondere. Hoc enim in infinito quòd ità eſt facile eſt conceptu. Verùm in finitis aliter ſe res habet, quòd totum limitetur

mitetur ad ſphæram finitam ; atque adeò quod ejus coextenditur cum alia re finita, cum ea ſimiliter limitatur. Dices ergò, ſpiritum eſſe quantum. Nego, quia ſubſtantialis extenſio non ponit quantitatem, ſed ſolùm ſpiritualem præſentiam ſubſtantiæ extenſæ. Dices, ut materia, præter extenſionem ſubſtantialem, includit quoque, ex mea ſententia, accidentalem & mutabilem ; ità ſpiritus, præter ſubſtantialem, includere mutabilem, & conſequenter accidentalem. Reſpondeo, extenſionem materiæ mutabilem propriè appellari quantitatem : coextenſionem verò ſpiritûs (quanquam accidentalis ſit, & ad majorem vel minorem ſphæram extendatur,) non vocari quantitatem, ſed ſolummodo immaterialem & accidentalem præſentiam ; & eſſentialiter quoque à quantitate diſcrepare, quòd hæc materialis, illa ſpiritualis ſit. Sublatâ itaque illâ differentiâ ſubſtantiali inter extenſionem materiæ & extenſionem ſpiritûs, nulla alia ſupereſt præter molem ſubſtantialem, ut ſuprà explicuimus. Atque hæc de veris differentiis inter materiam & ſpiritum.

Moles & quantitas interminata vindicantur.

10. Verùm Suarii ſententia de quantitate accidentali materiæ pleniùs exprimitur Diſp. eâdem, ſ. 4. n°. 15. ubi, mentem ſuam diſtinguendo, triplicem extenſionem apertiùs explicat. *Una*, inquit, *eſt entitativa, quæ non pertinet ad effectum quantitatis, ut dictum eſt, ſed poteſt inter partes ſubſtantiæ & qualitatis reperiri ſine quantitate. Alia dici poteſt extenſio localis, ſeu ſitualis in actu. Et hæc eſt poſterior quantitate. Alia denique eſt extenſio quantitativa, quæ dici poteſt ſitualis aptitudine : & in hac ponimus rationem formalem quantitatis. Quæ declaratur inter duas materias ſeu duo corpora : nam quòd materia hujus corporis ſubſtantialiter ac realiter ſit diſtincta à materia illius, non habet à quantitate, ut argumenta ſuprà facta probant, ſed à ſua propria entitate. Quòd verò illæ duæ materiæ ità ſint affectæ, ut neceſſariò debeant extendi ſeu ſeparari loco, id provenit formaliter à quantitate. Quod ergò in diverſis corporibus ſeu materiis quaſi totalibus conſpicimus, etiam eſt in partibus ejuſdem corporis ſeu materiæ inter ſe unitis.* Triplex hæc Suarii extenſio videtur in genere cum noſtra ſententia coincidere, quanquam in modo explicationis plurimùm diſcrepet. Ejus enim extenſio entitativa materiæ, in re nihil aliud eſſe poteſt niſi moles materiæ ſubſtantialis, prout à nobis exponitur : ejus extenſio

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 439 sur 591

©BIUM

quantitativa aptitudine situalis, in re nihil aliud est nisi Averroïs & nostra quantitas interminata : ejus extensio situalis actu, est nostra quantitas terminata, seu extensio aut dimensio actualis. Verùm primò, differimus quoad expositionem extensionis entitativæ. Ille nolit hanc substantialem extensionem vocari materiæ molem, veritus fortasse nè videatur Nominalium sententiæ ulla ex parte favere. Veruntamen nihil opus erat cur hoc vereretur. Nominales enim non proponunt suam molem substantialem per modum crassimenti aut corpulentiæ ; sed dicunt materiam consistere ex partibus entitativis quarum quælibet est extra omnem aliam. Nos, cum Suario, concedimus materiam consistere ex partibus entitativis quarum una non est alia : sed negamus quamlibet unam esse necessariò extra omnem aliam, at posse esse vel extra vel intra aliam. Jam verò difficile est Suario, ut dixi, inter hanc materiæ substantiam & substantiam spiritûs essentialem differentiam assignare.

Quantitatis ratio non consistit in aptitudine expellendi aliud.

11. Secundò, differimus quoque à Suario respectu evolutionis quantitatis interminatæ. Ille vocat *situalem aptitudine.* Sed mox contra se objicit, n°. 16. *hanc extensionem solùm consistere in aptitudine quadam expellendi similem quantitatem ex eodem loco : hæc autem aptitudo non potest esse essentialis ratio quantitatis, tum quia quantitas, ut sic, est actualis forma dans actu suum effectum formalem, & non aliquam aptitudinem ; tum etiam quia si aliquam præbet aptitudinem, illa potiùs est proprietas quædam quàm essentialis ratio, sicut suprà dicebamus de ratione mensuræ, & de divisibilitate pro aptitudine sumpta ; & idem est de aliis, quæ infrà numerabimus. Respondetur inprimis, ferè nunquam nos posse rerum essentias prout in re sunt explicare, sed per ordinem ad aliquam proprietatem : satisque stare videmur, quando per eam proprietatem quæ est prima omnium & proxima essentiæ rei eam declaramus. Deinde, non dicimus essentiam quantitatis consistere in aptitudine expellendi aliud corpus, vel resistendi illi nè in idem spatium ingrediatur : nam hæc aptitudo formaliter sumpta rectè inter proprietates quantitatis numeratur. Sed dicimus, esse formam dantem rebus corpoream molem vel extensionem, esse essentialem rationem quantitatis. Quid verò sit habere molem corpoream, declarare non possumus, nisi per ordinem ad hunc effectum, qui est, expellere similem molem ab eodem spatio, &c.* Verùm hæc responsio Suarii partim confessio est, entitatem quantitatis

titatis hùjus non conſiſtere in aptitudine; partim anſam impropriè loquendi præbet; partim falſæ ſuppoſitioni innititur. Primò, confitetur entitatem quantitatis interminatæ non conſiſtere in aptitudine ad ſitum ſeu extenſionem impenetrabilem; ſed aptitudinem ipſam eſſe tantùm proprietatem alicujus formæ accidentalis quantitativæ, quâ materia ſit apta ad aliquem ſitum, &c. Verùm, nè ludamur ambiguitate verborum, ſciendum eſt, aptitudinem non addere aliquid abſolutum ſuo fundamento, ſed ſolummodo declarare ejus ordinem ſeu reſpectum ad ejuſdem terminum; ut probavimus Cap. 14. Hæc autem aptitudo materiæ (ſi quæ ſit) dicit tantùm relationem ejus tranſcendentalem ad aliquem ſitum, non autem ad ſitum impenetrabilem. Utrùm verò hæc aptitudo fundetur in ipſa ſubſtantia materiæ, an in aliqua forma accidentali intermedia, hîc quæritur. Aſſerit Suarius, fundari hanc aptitudinem in forma accidentali quantitatis: ſed hæc forma Suario occulta quædam entitas eſt, & explicari nequit aliter quàm per aptitudinem ad ſitum. Sic enim ſe excuſat, *nos ferè nunquam poſſe rerum eſſentias attingere, ſed cogi per proprietates eas exponere.* Ego verò ſuprà aperui in qua re entitas actualis iſtius formæ, nempe *quantitatis interminatæ*, conſiſtit: nimirum, non eſſe formam completam, ſed eſſe inadæquatum totius accidentalis extenſionis materiæ conceptum: abſtrahere autem ab iſta forma totali *quoddi-tatem* alicujus actualis extenſionis; hoc eſt, abſtrahere *quòd materia ſit perpetuò ſub aliqua actuali extenſione:* atque hanc *quodditatem* eſſe ipſam formam de qua ſoliciti ſumus.

12. Conſtat itaque de re, quid ſit: ſupereſt adhuc ſecundo loco eventilandus ſcrupulus de nomine. Suarius primò vocat *quantitatem aptitudine ſitualem.* Verùm partes materiæ entitativæ abſque accidentali forma ſunt *aptitudine ſituales*, niſi voces ad alium ſenſum quàm vulgò uſurpari ſolent pervertantur. Sed ille aliter ſe exponit, & intendit per hanc quantitatem, *aptitudinem expellendi aliud corpus è ſitu ſuo.* An verò hæc ſit vera explicatio, infrà videbimus. Nos potiùs retinemus veterum locutionem, quâ hanc entitatem *quantitatem interminatam* nominârunt: quæ vox non tantùm vetuſta eſt, ſed & in Scholis bene nota. Suarius verò alio quoque nomine eandem rem exprimit. Vocat *formam dantem rebus*

Moles materiæ aſſeritur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 441 sur 591

©BIUM

corpoream molem. Sed Clariſſ. Vir profitetur, quid ſit *habere corpoream molem*, ſe neſcire. Operæ pretium ergò fuerit hîc obiter inquiramus in primam & propriam ſignificationem ipſius vocis [*moles.*] Non ſignificat extenſionem, ſive actualem ſive aptitudinalem; ſed concretè corporis magnitudinem, denſitatem & gravitatem ſimul: nunquam verò, aut certè rarò, corpori utcunque magno tribuitur, niſi denſitas & gravitas conjungantur. Non enim legimus *molem* ætheris, *molem* aeris, *molem* ignis aut flammæ, *molem* ſpirituum, ventorum, aut cujuſvis corporis levis, quantæcunque magnitudinis fuerit: ſed contrà, paſſim occurrunt apud probatos auctores, *moles terrarum, rupium, aggerum, montium, ædificiorum, lapidum, aquarum*, & ſimilium. Unde diſcimus, *molem* perpetuò applicari gravibus & denſis corporibus, quæ nimirum ægre moventur. Ob quam cauſam aliqui *molam* à *movendo* deducunt: alii *molem* à *mola*; quaſi res artificiales priores forent naturalibus. Alii igitur rectiùs *molam* à *mole* derivari volunt. Verùm quoad rem noſtram, perinde eſt ſive hæc ab illa, ſive illa ab hac, originem petit. Utrovis enim modo *moles* rem denſam & gravem, difficulter mobilem, inſinuabit. Ut *moles* à *mola*, quòd lapis molaris magno labore circumagatur; vel *mola* à *mole*, quòd ſaxi mole farina teratur. Similiter *moliri* dicitur qui rem magnam & gravem aggreditur. *Molimen* eódem ſpectat, & *molimentum*. Semper enim aliquid momenti & ponderis tentari notant. *Moleſtia* quoque huc referatur, quòd moles geſtantibus moleſtiam creet. Quicquid ſit, uſus obtinuit, ut moles perpetuò reſpiciat denſitatem & gravitatem; & conſequenter, ſi fortè ad ſubſtantiam ſignificandam transferenda ſit, neceſſariò eam dicit quatenus eſt *principium denſitatis & gravitatis*: quo ſenſu à nobis hîc ſumitur. Verùm nunquam apud claſſicos Auctores ſumitur pro extenſione, quemadmodum hîc Suarius eam accipit. Minùs itaque mirandum eſt, ſi Vir, alioquin ſubtiliſſimus, non intellexerit quid ſit moles corporea. Non enim eam quæſivit in denſitate & gravitate, earúmve principio, ſed in nuda extenſione, in qua nullum ejus veſtigium relucet. Multò minùs moles ſubſtantialis quam Nominales adſtruunt toleranda eſt. Molem vocant entitativam extenſionem materiæ, quâ una pars ſubſtantialis eſt extra aliam: quo ſenſu ea nec magnitudinem

nem nec denſitatem nec gravitatem, præter omnium Auctorum claſſicorum mentem, denotat. Quare moles ſubſtantialis potiùs ſumenda eſt pro ſubſtantiali eo craſſimento ſeu ea corpulentia materiæ, quâ ejus accumulatio in eodem loco perpetuò eſt principium alicujus denſitatis & gravitatis, ut ſuprà explicuimus. Atque hæc obiter de nomine : ad rem redeo.

Aptitudinem expellendi aliud corpus non eſſe effectum formalem quantitatis.

13. Dixi modò, Suarium ad ſuam quantitatem aptitudine ſitualem (quæ in re propè eadem eſt cum quantitate interminata) explicandam falsâ ſuppoſitione uti. Supponit enim effectum formalem hujus quantitatis conſiſtere in corporis aptitudine ad expellendum aliud corpus è ſpatio quod ipſum occupat. Verùm neque hic effectus eſt formalis reſpectu quantitatis interminatæ, neque quidem eſt ei omnino proprius. Quod probatur ſic. Formalis effectus quantitatis interminatæ eſt materiæ perpetuus : at aptitudo expellendi aliud corpus è ſpatio ſuo non eſt materiæ perpetua : ergó. Major evincitur, quòd interminata quantitas materiæ ſit coæva, & conſequenter perpetua : quare neceſſe eſt det quoque effectum formalem materiæ ſimiliter coævum & perpetuum. Impoſſibile enim eſt ut adſit aliquod accidens reale ſine formali ſuo effectu. Aſſumptionem probo, nempe aptitudinem expellendi aliud corpus è ſuo ſpatio non eſſe materiæ perpetuam, ex eo, quòd materia capax ſit condenſationis & rarefactionis. Etenim in condenſatione aliquæ materiæ partes ſubſtantiales excipiunt alias in idem ſpatium ſecum, & conſequenter eo momento non habent aptitudinem eas è ſpatio iſto expellendi. Quòd verò formalis hic effectus non ſit interminatæ quantitati proprius, ſic obtineo. Quod quantitati terminatæ, hoc eſt, actuali extenſioni materiæ, proprium eſt, non eſt proprium quantitati interminatæ : at aptitudo expellendi aliud corpus è ſpatio ſuo quod occupat eſt propria actuali extenſioni : non ergò eſt propria extenſioni interminatæ. Ratio majoris eſt, quòd quælibet quantitas terminata ab interminata abſque miraculo ſeparabilis ſit : proprietas verò naturaliter inſeparabilis eſt à ſuo fonte. Si ergò aptitudo hæc ſit proprietas actualis extenſionis, quæ ſeparabilis eſt, nequit eſſe proprietas interminatæ, cujus omnis proprietas eſt inſeparabilis ; & ob hanc cauſam una & eadem

©BIUM

dem aptitudo nequit eſſe proprietas duarum rerum naturaliter ſeparabilium. Ad minorem dico, aptitudinem iſtam eſſe proprietatem actualis extenſionis, quia materia impenetrabilis eſt ſolummodo durante eâdem actuali extenſione. Mutatâ enim dimenſione, ut in condenſatione, materia partes aliquas ſui quaſi in ſeipſam abſorbet. Impoſſibile autem eſt ut, manente eâdem extenſione, mutetur denſitas; aut ut, hâc mutatâ, illa non mutetur. Quare id quod materiam impenetrabilem ab alia materia reddit eſt quantitas (non interminata, ſed) terminata. Interminata enim, ſi ea hunc formalem effectum daret, perpetuò daret, quòd perpetua ſit: ſin terminata quà talis hunc effectum formalem edat, quoties mutatur, permittit materiam partes ſuas vel in anguſtius ſpatium contrahere, vel in amplius expandere: ità ut ſola terminata extenſio ſit quæ materiam, durante eâdem terminatione, (& non diutiùs) impenetrabilem præſtat. Cùm ergò terminata materiæ quantitas ſit mutabilis, ſequitur materiæ impenetrabilitatem non eſſe perpetuam & irrefragabilem.

Quis ſit effectus formalis quantitatis interminatæ.

14. Si aptitudo expellendi aliud corpus è ſitu ſuo non ſit formalis effectus quantitatis interminatæ, quæres quem alium ejus loco ſufficere intendimus. Reſpondeo, formalem ejus effectum eſſe, materiam denominare perpetuò, ſed interminatè, quantam, per formam accidentalem & incompletam; quæ eſt *quoddita eſſendi ſub aliqua dimenſione ſeu extenſione actuali terminata & mutabili.* Dico primò, quantitatem interminatam *perpetuò denominare materiam quantam*; eſt enim materiæ coæva: ſed denominare *interminatè quantam*; eſt enim contradiſtincta quantitati terminatæ, & conſequenter contradiſtinctum effectum formalem poſtulat. Dico ſecundò, *denominare materiam quantam per formam accidentalem.* Hoc enim nomine formalis effectus quantitatis terminatæ clarè diſtinguitur ab entitativa materiæ extenſione, quam Nominales gloriantur denominare materiam quantam per ſeipſam, hoc eſt, per ſubſtantiales ſuas partes, nec opus eſſe ad hoc quantitate accidentali. Dicimus igitur expreſsè, quantitatem interminatam denominare materiam non ſubſtantiali, ſed *accidentali denominatione.* Addimus, denominare *incompletè.* Quantitas enim interminata incompleta entitas eſt, & (ut dixi) inadæquatus

quatus conceptus. Non enim totam rationem ſeu quidditatem cujuſvis dimenſionis actualis exprimit, ſed tantùm *quodditatem* alicujus dimenſionis actualis : hoc eſt, declarat *quòd* materia perpetuò informatur aliquâ dimenſione actuali ; non autem ullius unius actualis dimenſionis rationem completam complectitur, ſed quaſi communem quandam rationem ab omnibus individuis abſtrahit. Non enim unquam determinat quanta ſit materiæ extenſio actualis, hoc eſt, quanta ſit ejus longitudo, latitudo, aut profunditas : ſed (ut dixi) ſolùm aſſerit eam perpetuò alicui certæ longitudini, latitudini ac profunditati indefinitè ſubjici. Dico tertiò, denominare materiam *quòd* ea perpetuò *informatur aliquâ quantitate mutabili.* Quærunt Nominales ſignum ſeu indicium aliquod quo innoteſcat quantitatem interminatam eſſe revera accidentalem. Addimus itaque, ejus entitatem conſiſtere in eo, quòd materia ſemper poſtulat *aliquam quantitatem terminatam & mutabilem.* Eò enim quòd hæc quantitas à re mutabili ſeu à rebus mutabilibus (quarum nimirum ſingulæ caducæ ſunt) abſtrahatur, patet non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens. Subſtantia enim materiæ non eſt mutabilis, nec eſt inadæquatus conceptus à multitudine accidentium mutabilium abſtractus, declarans quòd eorum unum materiæ perpetuò inhæret : ſed quantitas interminata eſt iſtiuſmodi inadæquatus conceptus, abſtrahens ab omnibus terminatis extenſionibus (quarum materia capax eſt) affirmationem, *quòd* earum aliqua materiæ perpetuò ineſt. Habemus itaque genuinum & verum effectum formalem quantitatis interminatæ ; qui eſt, declarare quòd materia perpetuò informatur aliquâ accidentali quantitate terminatâ & mutabili. Ex dictis manifeſtè eluceſcit notabilis differentia inter extenſionem Angelicam & materialem : illam tantùm præſentialem eſſe ; hanc eſſe corpulentam : illam nunquam expellere aliud corpus ; hanc, durante eâdem actuali extenſione, expellere omne aliud corpus è ſitu ſuo.

15. Nihilominus non dicimus [*expellere aliud corpus è ſitu ſuo*] eſſe formalem effectum actualis extenſionis, ſed eſſe proprietatem : quemadmodum etiam reddere materiam certâ menſurâ (putà pedum aut digitorum) menſurabilem, necnon in certæ magnitudinis partes diviſibilem, ſunt aliæ ejuſ- *Effectus formalis quantitatis terminatæ.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 445 sur 591

©BIUM

dem extenſionis proprietates. Verùm effectus formalis extenſionis actualis eſt, mutabiliter limitare ſeu determinare quantitatem materiæ ad certam longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Quanquam enim partes materiæ entitativæ ſeu ſubſtantiales per modum quendam ſubſtantialem dici poſſunt extenſæ: non tamen ad certam mutabilem longitudinem, latitudinem ac profunditatem, abſque addita accidentali extenſione terminante, contrahuntur. Quare mutabilis hæc extenſionis limitatio ad certam magnitudinem eſt formalis effectus extenſionis actualis: ut & inadæquatus conceptus ejuſdem ab omnibus extenſionibus actualibus abſtractus, definiens quòd earum aliqua materiæ perpetuò ineſt, eſt formalis effectus quantitatis interminatæ. Atque adeò primum ac præcipuum Nominalium fundamentum eſſe inefficax ad extenſionis ſubſtantialis diſtinctionem ab accidentali refutandam probavimus.

Secundum Nominalium fundamentum examinatur.

16. Secundum eorum fundamentum breviùs expediendum eſt. Sumitur enim à potentia Divina, de qua non ſoleo lubenter diſſerere. Eorum argumentationem ſic recitat Suarius, Diſp. 40. ſ. 2. n°. 4. *Si quantitas ſit res diſtincta à ſubſtantia; ergò poterit Deus eas ſeparare, & ſubſtantiam materialem ſine illa quantitate conſervare: ſed ſubſtantia ſic conſervata eſſet quanta: ergò impoſſibile eſt quantitatem eſſe rem diſtinctam à tali ſubſtantia.* Huic fundamento Nominalium reſpondet Suarius, admittendo conſequentiam, poſſe conſervari materiam abſque omni quantitate accidentali; ſed manere hanc quaquaversùm penetrabilem: ſuperveniente autem quantitate ejus, penetrabilitatem occludi ſeu obſtipari. Verùm utcunque hæc Suarii reſponſio multum habeat veri: mihi tamen imperfecta videtur, non ſolùm quòd non ſolvat argumentum per verum formalem effectum quantitatis, ut ex modò dictis liquet; ſed & quòd non ſatis eventilet ipſius ſequelæ difficultates. Mihi ergò viſum eſt paulò aliter reſpondere, & priùs vim ſequelæ ſtrictiùs expendere. Certiſſimum eſt, Deum omnia poſſe quæ poteſt velle, ſed non poſſe velle contradictoria. Si ergò contradictionem implicet ſubſtantiam finitam eſſe ſine quantitate, bona cum venia dubitemus, an ſubſtantia abſque quantitate queat abſolutâ potentiâ conſervari. Evenire quidem poteſt ut circumſtantiæ quædam ſint iſtiuſmodi,

ut

ut earum quælibet una facillimè à ſubjecto ſeparari queat ; & nihilominus repugnantiam implicet, ut omnes ejuſdem generis ſimul amoveantur. Duæ ſunt hoc genus circumſtantiæ vulgò notiſſimæ, *hîc* & *nunc*, abſque quibus entia exſiſtere nequeunt. Quicquid enim eſt, aliquo tempore eſt ; Quicquid eſt, alicubi eſt. Revera hæ circumſtantiæ in ente infinito ipſa Deitas ſunt. *Nunc* Dei eſt ipſa *æternitas* ; quæ ſolâ ratione ab entitate Divina differt : Et *Ubi* Dei eſt *ubiquitas* ; quæ ſimiliter Deus eſt. In ſubſtantiis finitis *quando* & *ubi* diverſa à ſubſtantia prædicamenta conſtituunt : nempe duo prædicamenta accidentium. Quanquam enim ſubſtantia finita nequit eſſe, niſi *aliquando* aut *alicubi* ſit ; hæc tamen prædicata accidentia ſunt, & à ſubjectis ſuis diſtinguuntur. Fieri fortè poteſt ut finita ſubſtantia eâdem neceſſitate alicui extenſioni adſtringatur. Quanquam enim ab hac vel illa extenſione ſeparari queat ; ab omni tamen vix poteſt. Probavimus enim ſuprà, non tantùm materiam, ſed & Angelos, omnémque adeò ſubſtantiam finitam, ad aliquam extenſionem determinari, & habere partes extra partes. Jam verò, ut *ubi definitivum* à nulla *ſubſtantia finita* ſeparari poteſt ; ità neque poteſt *poſitura partium extra partes* ab iiſdem ſejungi. *Ubi* enim & *ſitus* ſeu *poſitura* non realiter aut ex natura rei, ſed ſolâ ratione, inter ſe diſtinguuntur, ut probat Suarius Diſp. 52. ſ. 1. n°. 9. Si ergò repugnet ut aliquid ſit, & ſimul *nullibi* ſit ; æquè repugnat ut aliquid ſit, & nullibi *ſitum* ſit. Porrò, ſi *ubi totius* & *ſitus totius* realiter idem ſint, *ubi partium* & *ſitus partium* realiter idem ſunt. Si ergò omnes partes ſuum habeant *ubi partiale*, ſuam quoque habent *poſituram* ſeu *ſitum partialem*. Quid autem intereſt inter *poſituram* partium extra partes, & *extenſionem* partium extra partes ? Si *poſitura* partium extra partes ſit à finitis *inſeparabilis*, perinde *extenſio* earundem eſt *inſeparabilis*. Impoſſibile enim eſt ut ſint partes extra partes *poſitæ*, & non ſint extra partes *extenſæ*. Verùm partes extra partes *extenſæ* ſupponunt *extenſionem*. Implicat enim contradictionem, partes eſſe *extenſas* abſque *extenſione*. Perinde enim eſt ac ſi dicas, idem ſimul extendi, & non extendi. Quare licèt *hoc* aut *illud Ubi* ab *ubicato* ſeparari queat : *omne* tamen *ubi* aut *omnis ſitus* (qui, ut dixi, cum *ubi* realiter idem eſt) ab *ubicato* ſequeſtrari nequit. Similiter ut *ſitus* partium extra partes non eſt toto genere à

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 447 sur 591

©BIUM

finitis separabilis : ità neque *extensio* earundem extra partes est toto genere ab iisdem separabilis. Impossibile enim est ut maneat *positura* partium extra partes, & non simul adsit *extensio* earundem extra partes. Saltem quicquid sit de spiritibus, de materia ex omnium concessione certum est, eam habere partes extra partes. Quare sequela Nominalium videtur huic limitationi obnoxia : scilicet, si per absolutam potentiam omnis extensio accidentalis à materia auferatur, necessariò ejus loco modum quendam substantialem, quo partes extra partes positæ ad aliquam certam dimensionem revocentur, surrogandum esse. Etenim, ut dixi, implicat contradictionem, ut maneant partes extra partes extensæ absque omni, sive accidentali sive substantiali, extensione.

Extensio substantialis quid.

17. Dices, Nominalium suprà memoratum fundamentum supponere materiam per Divinam potentiam omni quantitate accidentali orbari, manere tamen quantam per quantitatem substantialem, & propterea non opus esse ullâ quantitate accidentali. Respondeo, quantitatem rectè distingui posse in substantialem, & accidentalem ; & substantialem dupliciter accipi, vel pro determinata copia seu massa partium integrantium materiæ, vel pro extensione earundem ad certam longitudinem, latitudinem & profunditatem. De priore quantitate rectè inferunt Nominales, eam non differre ab ipsa substantia materiæ ; & consequenter, eandem nec minui absque annihilatione, nec augeri absque nova creatione, posse. Copia enim materiæ, nisi nova aliqua pars ei addatur, augeri nequit ; neque minui, nisi aliqua pars ejusdem desinat esse. Verùm de hac quantitate substantiali hîc non agimus ; sed de substantiali magis propriè sic dicta, quâ partes extra partes extensæ ad certam longitudinem, latitudinem & profunditatem supernaturaliter determinantur. Hæc quantitas extensio dicitur, quæ, quòd, ut supponunt Nominales, substantialis sit, nec sit ipsæ partes extensæ, est modus substantialis, qui, sublatâ extensione accidentali, supernaturaliter è partibus extra partes constitutis resultat, eásque ad certam trinam dimensionem immutabiliter contrahit. Atque hæc extensio substantialis ea est de qua hîc loquimur. Extensio quoque accidentalis duplex est, vel spiritualis, vel materialis. Illa nihil aliud est nisi præsentia spiritûs quâ suum Ubi occupat,

aut

aut cum corpore aliquo coextenditur : eſt autem quantitas & extenſio minùs propriè dicta, quòd in mole materiali non ſubjectetur. Extenſio accidentalis propriè dicta eſt quantitas mutabilis, quâ poſitura partium materiæ extra partes certâ trinâ dimenſione naturaliter circumſcribitur. De duabus extenſionibus impropriè dictis non eſt cur ulteriùs impræſentiarum ſimus ſoliciti, cùm parùm ad rem noſtram ſpectent. Verùm duæ extenſiones propriè dictæ, nempe ſubſtantialis & accidentalis, paulò diligentiùs conferendæ ſunt. Extenſio enim hæc ſubſtantialis ab accidentali plurimùm diſcrepat : ut, 1°. quòd illa è ſubjecto non niſi ſupernaturaliter affecto, hæc naturaliter, reſultet : 2°. quòd illa ſit modus ſubſtantialis, hæc non : 3°. quòd illa ſit naturaliter immutabilis, hæc mutabilis. De his differentiis pauca advertenda ſunt.

18. Primò, ſciendum eſt, materiam, quamdiu quantitate accidentali terminatur, non opus habere aliâ terminatione ; naturaliter autem accidentali & mutabili terminari. Hanc enim terminationem materia potiùs quàm ſubſtantialem naturaliter expetit, non tantùm quòd ſufficiat ad commenſurabilitatem, proportionabilitatem & diviſibilitatem ejus terminandam, & ad repellendum aliud corpus è ſitu ſuo, adeóque ad cavendum nè quid in communionem naturæ ſuæ ſe invitâ intromittat : verùm etiam quòd omnibus actionibus, paſſionibus motibúſque magis accommodetur, magíſque amica ſit ; quódque pro re nata, materia poſſit eam excutere, & aliam, (ſi occurrat fortè aliud corpus quocum magnam habeat familiaritatem, & ex cujus unione ſe meliorari aut juvari poſſe percipiat,) aperiendo extenſionem ſuam, in ſocietatem ſecum admittere. Verùm terminatio ſubſtantialis, quòd rigida & inexorabilis ſit, & omnibus operationibus adverſa, à materia naturaliter repudiatur. Quare naturaliter eligit ſibi terminationem accidentalem ; & niſi in extremis neceſſitatibus, nè annihiletur, non ſe terminat modo ſubſtantiali. Quæres, quo certo indicio nobis innoteſcat materiam ordinariè & naturaliter accidentali quantitate terminari. Verbo dicam, quòd ejus terminus mutabilis ſit, ut mox probabo. Quod verò eſt naturaliter mutabile, nequit eſſe modus ſubſtantialis. Quod enim, ſalvo ſubjecto, poteſt adeſſe vel abeſſe, accidens eſt. Modus enim ſubſtantialis à ſubſtantia modificata

Accidentalem magis convenire materiæ.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 449 sur 591

©BIUM

dificata manente hac eadem numero ſolâ Divinâ potentiâ ſeparabilis eſt. Cùm enim non ſit realiter, ſed tantùm ex natura rei, à partibus extenſis diſtinctus, naturaliter ſeparari nequit. Quin & ſi eſſet virtute cauſarum naturalium à ſuo ſubjecto ſeparabilis, profectò motu ſeparabilis foret. Etenim extenſio partium ſolo motu naturaliter mutatur. Cùm enim in poſitura partium extra partes conſiſtat, impoſſibile eſt ut ea poſitura abſque motu naturaliter alteretur. Motus enim eſt qui novam poſituram partium naturaliter cauſat,& ſolus motus eſt qui priorem naturaliter mutat. Verùm in productione hujus extenſionis ſubſtantialis nullus intervenit motus. Etenim ſi per Divinam potentiam ſuſpendatur alicujus ſubſtantiæ extenſio accidentalis, (ut in Nominalium fundamento ſupponitur,) partium ſitus unà mutari non admittitur ; & conſequenter motu nihil tunc producitur. Quare vel ſuſpenſâ extenſione accidentali nulla in ſubjecto reliqua eſt, vel reſultat abſque motu, (partes enim extenſæ non ſupponuntur moveri :) ergò abſque motu fit, & à materia, non ut in ſtatu naturali, ſed ut ſupernaturaliter affecta, reſultat. Dices, nullam novam extenſionem produci, ſed tantùm manifeſtari priùs exſiſtentem. Probat enim Suarius, Diſp. 40. ſ. 4. n°. 19. dari extenſionem ſubſtantialem. Reſpondeo, extenſionem quam probat Suarius nihil aliud eſſe niſi quantitatem partium extenſarum, quæ ſubjectum extenſionis ſunt, & impropriè, ut dixi, nomen extenſionis ſibi arrogant: ſed extenſio propria, partes extenſas terminans, ſaltem modaliter ab iiſdem diſcrepat, ut mox dicetur. Cùm verò partes extenſæ in ſtatu ſupernaturali impediantur, nè de ſe propagent extenſionem accidentalem; cúmque exiſtere extenſæ nequeant (ut ſuprà probavimus) abſque omni extenſione ; coguntur ſupernaturaliter ſe modo ſubſtantiali terminare. Si putes hunc modum priùs exſtitiſſe, omnino falleris. Supponimus enim hîc, infrà probaturi, extenſionem quâ naturaliter ſubſtantiæ finitæ terminantur eſſe mutabilem. Atque hæc de prima differentia inter extenſionem ſubſtantialem & accidentalem ; illam tantùm ſupernaturaliter, hanc naturaliter è materia emanare.

Extenſio ſubſtantialis quid.

19. Secunda eſt, quòd illa ſit modus ſubſtantialis, hæc non. Ut hanc propoſitionem clariùs explicemus, dicendum primò eſt,

eſt, extenſionem in genere tam ab accidentali quàm à ſubſtantiali abſtrahere. Abſtrahit ab accidentali, quia (ſi fundamentum hoc ſecundum rectè urgeant Nominales) ſubſtantia finita poteſt per Divinam potentiam abſque quantitate accidentali conſervari. Patet ergò, generalem extenſionis entitatem latiorem eſſe extenſione accidentali, adeóque ab eadem abſtrahere. Verùm quia hoc tantùm ſupernaturaliter contingit, & inſervit tantùm ad reddendam rationem extenſionis corporum in ſtatu ſupernaturali, haud magni eſt momenti. Abſtrahit quoque extenſio in genere ab extenſione ſubſtantiali. Probatur, quia datur extenſio mutabilis, quæ nequit eſſe ſubſtantialis. Supponunt enim Nominales, quantitatem ſubſtantialem eſſe naturaliter immutabilem, & indè colligunt, condenſationem & rarefactionem implicare, hanc, creationem, illam, annihilationem, ut ſuprà declaravimus. Secundò, in memoriam revocandum, Nominales in hoc argumento ſupponere extenſionem accidentalem ſupernaturaliter aboleri: nulla ergò ſupereſt præterquam ſubſtantialis, ſive propriè, ſive impropriè dicta. Non dubium eſt quin extenſio impropriè dicta ſeu partes extenſæ maneant ut priùs, niſi quòd, ut antea accidentali, nunc modo ſubſtantiali terminentur. Verùm putabant fortè Nominales, extenſionem ſubſtantialem à partibus extenſis non differre; & conſequenter, eam non eſſe modum ſubſtantialem, ſed eſſe ipſam ſubſtantiam extenſam. Cur enim extenſio à partibus extenſis magis quàm exiſtentia à rebus exiſtentibus differret? Reſpondeo, omnino magnam eſſe diſparitatem. Utpote exiſtentia & partes exiſtentes non ſunt Divinâ potentiâ ſeparabiles, & conſequenter nec realiter nec ex parte rei differunt: ſed extenſio à partibus extenſis, & poſitura à partibus poſitis, ſaltem modaliter, ſi non realiter, diſtinguuntur. Quod ut probem, dico, extenſionem ſubſtantialem à partibus extenſis eſſe ſeparabilem, non quidem naturaliter, at ſupernaturaliter. Quamvis enim naturaliter mutari nequeunt; vix tamen dubitari poteſt quin ſupernaturaliter mutari queant. Partes enim ſive poſitæ, ſive extenſæ, in entitate ſua ſubſtantiali non includunt ſuam poſituram aut extenſionem, ſed, jubente Divinâ potentiâ, poſſunt aliam admittere. Quod ſic oſtendo. Sint partes poſitæ

©BIUM

positæ vel extensæ [d|c|b|a] quæ transponantur sic [a|b / c|d]: tam positura quàm extensio mutantur; partes substantiales eædem quæ priùs fuerant manent. Nulla ergò involvitur repugnantia, quin Divinâ potentiâ illæ, his salvis manentibus, mutentur. Infero igitur, extensionem à partibus extensis, saltem modaliter, seu ex natura rei, si non realiter, distingui. Ex dictis jam constat, dari in substantia materiali, præter partes extra partes, aliquam extensionem, saltem ex natura rei, ab iis distinctam; & implicare contradictionem, ut partes *extensæ* maneant *extensæ* absque *extensione*. Inferendum itaque est, positâ per absolutam potentiam suspensione extensionis accidentalis in corporibus, in iisdem necessariò resultare substantialem, eámque esse ex natura rei à partibus extensis distinctam, & consequenter esse modum substantialem.

Esse immutabilem.

20. Tertia differentia inter extensionem substantialem & accidentalem est, quòd illa, salvo subjecto, sit naturaliter immutabilis; hæc, mutabilis. Extensio substantialis, salvo subjecto, naturaliter mutabilis non est; quia mutari nequit nisi unà mutetur aliquid substantiæ, seu aliquid ad substantiam rei spectans: hoc autem fieri nequit, integro manente subjecto. Quomodo enim manet subjectum integrum, si aliquid substantiæ ejus pereat? Insuper, inter modum substantialem & accidens oportet sit spectabilis differentia: & quidem, ut omnes fatentur, modus substantialis hoc habet sibi proprium, quòd à subjecto cui inhæret, eo manente integro, absque miraculo separari nequeat: nedum modus absque subjecto conservari queat. Est enim illius separabilitas Divinâ potentiâ possibilis, sed cum conservatione unius, non utriusque termini. Attamen vix opus est hujus assertionis probationi ulteriùs immoremur; cùm Nominales ultro supponant extensionem substantialem esse immutabilem.

Extensionem accidentalem esse mutabilem.

21. E contrà, extensio accidentalis naturaliter mutabilis est. Hoc probari potest tam in spiritibus quàm in materialibus. Angeli enim, ut docet Suarius, aliique adstipulantur Metaphysici, possunt sphæram præsentiæ suæ ad majus vel minus ubi determinare: ego verò suprà probavi, coextensionem Ange-

Angelorum extenſionem quandam ſpiritualem implicare, quâ ii pro arbitrio ſuam præſentiam ampliare aut contrahere poſſunt. Porrò, imperfectionis eſſet habere ſphæram extenſionis adeò rigidè ſibi præfixam, ut nullâ occaſione ad majorem ſe expandere, aut ad minorem ſe contrahere, poſſit. Si verò in Angelis admittenda ſit extenſionis mutabilitas, quantò magis corporibus eadem concedenda eſt, cùm in omni genere mutabilitatis hæc illos facilè ſuperent?

22. Ad extenſionem materialem quod attinet, eam eſſe naturaliter, hoc eſt, à cauſis naturalibus, ſalvo ſubjecto, mutabilem, evidentiſſimâ experientiâ evincitur. Primò, corpora volatilia facillimè cedunt omnibus aliis quibus occurrunt corporibus, & dimenſiones ſuas eorum extenſionibus accommodant. Ventus per rimas, per foramina, &c. mutando priorem dimenſionem, leviſſimâ attractione, putà ignis foci, in cubiculum irrumpit: fumi & vapores aſcendentes, nubéſque, novam ſubindè figuram & terminationem ſpontè induunt. Secundò, fluida ſeu liquida vaſis continentis cavitati ſe coaptant: ſin libertati ſuæ permittantur, ſpontè diffluunt; & potiùs aptitudini ſuæ fluendi, quàm eandem longitudinem, latitudinem & profunditatem retinendi, obſequi cernuntur: evidentiſſimo argumento, determinatam materiæ extenſionem in hiſce corporibus non tanti eſſe momenti quanti ſunt aliæ ejuſdem proprietates. Tertiò, corpora mollia cujuſvis rei durioris impreſſionem admittunt, & ſuas dimenſiones alterari patiuntur. Ductilia cedunt malleo, & pro arbitrio fabri novas dimenſiones ſuſcipiunt. Cera calidâ manu malaxata, vel in placentam, rotulam, ſphæram, vel cubum, manente eâdem maſsâ ſubſtantiali, levi negotio formatur. Quis non videt, in qualibet harum mutationum, longitudinem, latitudinem & profunditatem ceræ plurimùm variari? Quartò, ſola corpora terminata rigida & propè inflexibilia, ut lapides, cryſtallum, vitrum, pertinaciùs cæteris ſuas dimenſiones tuentur, & inprimis adamas. Verùm hic quoque ſuo pulvere teritur, & artificis induſtriâ variè ſculpitur. Lapides verò compreſſi videntur tantillùm cedere & reſilire. Orbiculi lapidei, in pavimentum marmoreum incidentes, vigoroſè reſiliunt: quod vix ſine aliquali compreſſura, & indè excitata vindicatione libertatis, concipi poteſt.

Idem confirmatur experimentis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 453 sur 591

©BIUM

Turres quadratæ & prælatæ magnis ventis nonnihil motitantur & quatiuntur; sed utplurimum absque vel minimo detrimento, aut commissuræ lapidum dehiscentia. Unde aliqui conjiciunt, inter corpora physica (etiamsi alterum planum, alterum sphæricum sit) contactum non contingere in puncto mathematico, sed realem esse, sive ob imperfectionem figurationis materiæ, sive ob aliqualem cessionem corporum tangentium, (quæ corporibus etiam rigidissimis incidit.) Utcunque, omnes propè lapides (quin fortè simpliciter omnes) in furnis vitrariorum, saltem admistis materiis ad fusionem promovendam idoneis, funduntur. Ut nihil sit nobis notum & satis exploratum quod dimensiones planè immutabiles gerat.

An cœli quantitas sit accidentalis.

23. Dices, corpora cœlestia suas dimensiones ab omni mutatione immunes perpetuò servare. Respondeo, Datâ suppositione incorruptibilitatis cœlorum, non indè sequi, eorum dimensiones esse modos substantiales. Siquidem omnia propè eorum accidentia similiter incorruptibilia sunt, nec tamen sunt modi substantiales: quia accidentia ista non sunt de natura sua incorruptibilia, sed incorruptibilitatem dependenter mutuantur ab incorruptibilitate subjectorum. Præterea, sunt nonnulla phænomena quæ hanc Peripateticorum sententiam redarguere videntur: ut nova stella in sede Cassiopeiæ visa, cometæ frequenter observati, maculæ, faculæ & fæculæ in sole conspectæ, quódque Venus & Mercurius circa solem tanquam circa suum centrum vehuntur. Quæ quidem omnia Astronomis integra relinquo. Satis nobis est, si corpora hîc apud nos mutabilibus dimensionibus donentur. Circa hæc enim nostra Philosophia potissimùm exercetur: & qui asserunt dari quantitatem accidentalem, satis eam probant, si in omnibus corporibus nobis notis commonstrent. Quare, reservatâ hisce experimentis suâ certitudine, eadem quantitatis mutabilitas ratione quoque confirmanda est.

Terminum motûs esse accidens.

24. Terminus motûs localis est accidens: At extensio est terminus motûs localis: Ergó. Fateor duplicem esse motum localem; unum esse totius corporis à loco in locum, alterum esse partium inter se. Prior motus est ad Ubi seu situm totius, nec respicit extensionem. Posterior terminatur in novam posituram partium inter se. Quæ, nisi per æquivalentiam successionis, quâ una pars in locum alterius ità surrogatur, ut totius figura non varietur, necessariò unà producit novam.

novam extenſionem partium: quæque, quia ſolo motu partium locali producitur, accidens eſt. Motus enim partium localis tantùm partialem ubicationem ſeu ſitum, qui vix realiter ab extenſione earundem diſcrepat, producit. Utcunque ſit, certum eſt, merum motum partium localem non variare ſpecies earum. Exempli causâ, Coralium integrum & in pulverem comminutum, ejuſdem, cujus priùs, ſpeciei eſt. Aquam utcunque agites aut tundas, manet aqua ut priùs: Imò aqua, licèt rarefacta in vaporem, in aquam tamen ejuſdem ſpeciei denuo condenſatur. Datur ergò, ut olim dixit Ariſtoteles, motus ad quantitatem, hoc eſt, datur motus qui terminatur ad quantitatem; ſcilicet qui non tam qualitates aut alias formas rerum innovat, quàm ſolam aut primò quantitatem mutat.

25. Dices, revera mutari quantitatem multis modis, variatâ poſiturâ partium; ſed hanc eſſe partialem quandam variationem, quòd tota materia reſpectu ſpatii totius quod occupat adhuc ejuſdem magnitudinis maneat; quanquam alioquin alio atque alio modo partes reſpectu longitudinis, latitudinis atque profunditatis inter ſe diſponantur: Verùm abſque condenſatione & rarefactione propriè dictis magnitudinem totius non eſſe mutabilem. Reſpondeo, mutationem longitudinis, latitudinis & profunditatis ejuſdem materiæ ſatis monſtrare, ei, præter ſubſtantialem, accidentalem & mutabilem quantitatem inhærere; quod erat probandum. Quanquam autem hoc argumentum, quòd dantur motus condenſationis & rarefactionis, non fortaſſe ſatis probat: efficaciter tamen, quantitatem materiæ eſſe accidentalem & mutabilem, evincit. Hoc autem dato, quid prohibet quin materia, prout occaſio poſtulet, ad majus vel minus ſpatium ſe applicet? Siquidem ad certum ſpatium neceſſitate extenſionis ſubſtantialis non alligatur. Non ergò condenſationem & rarefactionem ex mutabilitate quantitatis dicta directè probo: ſed indirectè eas minimùm eſſe in natura poſſibiles infero, quòd quantitas præſens, quæ aliàs mutabilitati impedimento eſſet, variabilis ſit; & conſequenter materia mutando præſentem quantitatem, ſive majorem in rarefactione, ſive minorem in condenſatione, aſſumat. Quantitas enim, quam multi adamantinam & immutabilem materiæ adſcripſerunt, ſola

Objectioni ſatisfit.

©BIUM

obſtiterat quò minùs hoc fieret: cùm verò appareat non eſſe immutabilem, non eſt cur dehinc vereamur aſſerere, eam poſſe proprio ſenſu condenſationem & rarefactionem admittere; nec eſt cur obſtrepent alii, hoſce motus eſſe non intelligibiles. Quid enim facilius intellectu eſt, quàm poſſe materiam unam quantitatem accidentalem exuere, & aliam induere? Atqui hoc tantùm hîc poſtulatur. Sola enim quantitas accidentalis eſt quæ ſubſtantias impenetrabiles reddit. Sed de hac re mox ſub calce hujus Capitis plura advertere lubet: interea loci fundamento Nominalium in forma reſpondebo.

Accidentalem extenſionem dare effectum formalem.

26. Aiunt, Si ſupponatur quantitas accidentalis, eam fruſtrà eſſe, & nullum addere materiæ effectum formalem; propterea quòd ſi per Divinam potentiam materia abſque ea quantitate conſervaretur, eſſet tamen ſine eadem quanta; & conſequenter quantitatem accidentalem ei nullam denominationem, ſeu nihil, addere. Reſpondeo, quantitatem addere materiæ trinam dimenſionem naturaliter mutabilem, quæ in dicta ſuppoſitione aboletur: verùm quia partes extenſæ nequeunt abſque omni extenſione eſſe, ipſo momento abolitionis extenſionis accidentalis, ſupernaturaliter & neceſſariò (ut ſuprà probavi) reſultat ſubſtantialis modus extenſionis, & per eam partes adhuc manent quantæ & extenſæ. Manent quoque, fateor, quantæ per quantitatem partium integrantium; ſed hæc quantitas ab ipſa partium ſubſtantia non diſcrepat: nego autem manere quantas per quantitatem naturaliter mutabilem & accidentalem. Siquidem ea ſupponitur per abſolutam potentiam ſummoveri. Dices, manere eandem longitudinem, latitudinem & profunditatem, & conſequenter nullam quantitatem aboleri. Reſpondeo, non manere eandem quantitatem, ſeu longitudinem, latitudinem & profunditatem, entitativè, ſeu quoad entitatem accidentalem, ſed per æquipollentiam quandam, & per proportionalitatem ſeu ſimilitudinem. Accidentalis enim quantitas, quæ priùs materiæ naturalis fuerat, jam ſupponitur ſuſpendi. Quare longitudo, quæ manet, non eſt eadem entitas quæ priùs aderat, ſed duntaxat æquivalens; nec accidens naturale, ſed modus ſubſtantialis ſupernaturaliter in locum accidentis ſuffectus. Atque idem dicendum eſt, mutatis mutandis, de latitudine

latitudine & profunditate. Hinc etiam innoteſcit quinam ſit formalis effectus quem quantitas accidentalis ſubſtantiæ materiali addit: nempe eſſe certas longitudinem, latitudinem & profunditatem accidentales, & naturaliter mutabiles. Atque ità videor mihi ſecundo Nominalium fundamento ſatisfeciſſe.

Tertium quartúmque Nominalium fundamenta rejiciuntur.

27. Tertium nihil propè negotii nobis hîc faceſſit. Innititur enim falſæ ſuppoſitioni ſuprà rejectæ, Poſſe materiam contrahi ad punctum mathematicum. Sed neque materiæ extenſio nec moles ejuſdem hoc patiuntur, ut ex ſuprà dictis facilè colligitur. Quartum eorum fundamentum Occhamo tribuitur, ſed leviculum eſt; Subſtantiam eſſe immediatum ſubjectum accidentium contrariorum, & non quantitatem. *Sed*, inquit Suarius, *ad quartum reſpondetur, ſubſtantiam eſſe ſuſceptivam contrariorum, ut primum ſubjectum; quantitatem, ut proximum.* Verùm non omnium contrariorum, & præſertim non eorum quæ in vitalibus principiis fundantur, quantitas eſt ſubjectum immediatum. Videtur enim vita intimior ipſi materiæ quâcunque certâ dimenſione. Si enim materia percipiat meliorationem ſortis ſuæ ex mutatione quantitatis, vel ad majorem extenſionem, (ut in augmentatione,) ſe ultro extendit; vel ad minorem, (ut in frigore,) ſe ultro contrahit. Atque hæc de fundamentis Nominalium.

Dari condenſationem & rarefactionem in proprio ſenſu.

28. Reviſo jam quid ſtatuendum ſit de condenſatione & rarefactione. Ex dictis conſtat, Nominalium fundamenta non impedire quò minùs materia hoſce ſuos motus pro re nata exerceat. Tantùm aliqui objiciunt, condenſationem & rarefactionem abſque penetratione ſubſtantiarum explicari non poſſe. Verùm alii potiùs abſque penetratione aut vacuo concipi non poſſe aiunt: quibus aſſentior, & mox probabitur. Interim certò ſcio, datis hiſce motibus in proprio ſenſu, vacuo non opus eſſe in rerum natura. Vacuum enim excogitatum fuit, ut condenſationis ratio per excluſionem vacui, & rarefactionis per admiſſionem ejuſdem, redderetur. Verùm hæ non ſunt genuinæ horum motuum evolutiones. Neque enim condenſatio dicit motum ad majorem imporoſitatem & excluſionem vacui, nec rarefactio motum ad majorem poroſitatem & admixtionem vacui, ut ſuprà probavimus. Quare admiſſis hiſce motibus (ut dixi) in proprio

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 457 sur 591

©BIUM

ſenſu, non eſt cur de vacuo ulteriùs ſoliciti ſimus, omnéſque difficultates ad hoc unum revocantur, quomodo penetratio ſubſtantiarum in rebus materialibus admitti queat. Fateor enim, abſque hac penetratione, hoſce motus intelligi non poſſe. Etenim in condenſatione, materia retrahit ſuas partes exteriores in interiores, & interiores proportionaliter denſiores fiunt; in rarefactione, partes priùs intra alias concluſæ egrediuntur, locúmque ſibi peculiarem expoſcunt, & rariores fiunt. Quocirca hoc ſupereſt, ut motum penetrationis ſubſtantiarum vindicemus: quod proximo Capite fiet.

Cap. XXVIII.

De ſubſtantiarum Penetrabilitate mutatâ quantitate.

Quid impedit ſubſtantiarum penetrationem.

1. Qui rem totam penitiùs introſpexerunt ſuſpicantur difficultatem in hac re, maximam partem, in eo conſiſtere, quòd ab ineunte ætate conſuevimus cogitare & dicere, non dari Penetrationem corporum aut dimenſionum; quódque ſimul pro conceſſo habuimus, penetrationem corporum & ſubſtantiarum idem ſonare. Pauci enim advertunt, veram rationem cur corpora non ſe mutuò penetrent eſſe quantitatem actualem, quâ corpora à mutua dimenſionum ſuarum invaſione muniuntur, ſeu ſeſe à ſpatio quod occupant mutuò repellunt; quáque ſublatâ, ſe mutuò facillimè penetrant, & in eodem ſpatio uniuntur. Hoc, inquam, plerique non advertentes, ad nomen penetrationis commoventur, & mox, inauditâ causâ, dogma impoſſibile ſibi obtrudi concludunt. Verùm enimvero, ſi ſola quantitas actualis ſit cauſa impenetrabilitatis corporum, (ut ex ſuprà dictis liquet,) eáque ſit naturaliter mutabilis; quid impedit nè ſubſtantia materialis aliam ſubſtantiam, mutatâ quantitate, novâque ſimul aſſumptâ utriſque communi, penetret? Prior quantitas impedire nequit, quia eo momento quo unio fit, evaneſcit; nec ſubſequens, quia reſultat à materiis penetratis & unitis; neque denique ſubſtantiarum unio hoc inhibet. Quid enim repugnans naturæ

©BIUM

naturæ ſubſtantiali talis unio involvit? Videmus indies corpora priùs diviſa re-uniri. Aqua millies diſſecta illico confluit, & vulnus illatum conſarcit. Anima penetrat corpus; & Angelus corpora, utcunque quantitate munita, pertranſit, aut etiam obſidet: nec ulla ratio ſubſtantiæ præter molem materiæ impedit quò minùs penetratio fiat. Neque quidem ea impedit, niſi tanta materiæ copia in exiguis cancellis congeratur, ut ipſa denſitas materiæ ulteriorem ejuſdem ingreſſum reſpuat. Cæterùm in motu penetrationis materiarum quantitas ipſa eſt in conſimili motu, nec ad permanentem & ſtabilem dimenſionem pervenit, donec penetratio abſolvatur aut alio modo ſiſtatur. Tres itaque prorſus conditiones ad ſubſtantiarum penetrationem requiruntur. Prima eſt, duarum aut plurium ſubſtantiarum localis unio, ſive tranſiens, ſive permanens: ſecunda eſt, depoſitio prioris quantitatis utriuſque ſubjecti: tertia, aſſumptio quantitatis novæ utrique communis. Atque has conditiones nihil arduum aut impoſſibile inſinuare, ex ſuprà dictis clarè innoteſcit.

Satius eſt admittere penetrationem, quàm vacuum.

2. Omnibus itaque ritè perpenſis, non eſt cur homines ad nomen *penetrationis* tantopere exhorreſcant. Si enim alterutrum, vel penetratio ſubſtantiarum, vel vacuum, admittendum ſit, proculdubio illa potior quàm hoc, & Philoſopho dignior eſt. Illa enim eſt entitas poſitiva, & nihil abſurdi involvit: hoc verò inanem nullitatem, ut partem univerſi, imò, in multis, ut principium ipſius naturæ, importunè ſe nobis obtrudit. Sed, Cur, inquies, neceſſe ſit horum alterum admittamus? Profectò, abſque eorum altero nullus in univerſo motus peragi poteſt. Quod enim moveri incipit, vel in locum priùs vacuum movetur, vel corpus proximum quod versùs movetur ei cedit. Si moveatur in locum vacuum, datur vacuum: Sin moveatur in locum cedentis, id quod cedit nonnihil condenſatur, & aliquas ſui partes in ſeipſum retrahit, hoc eſt, patitur penetrationem. Etenim ceſſio rei in ſeipſam abſque aliquali condenſatione concipi nequit. Quod enim truditur, nec minimum in ſeipſum cedit, tantum trudit aliud ſibi proximum quantum ipſum truditur. Exempli cauſa, lapidi lapide impoſito, ſuperior trudit inferiorem; inferior tantò fortiùs premit terram, quantò fortiùs à ſuperiore premitur.

©BIUM

tur. Centrum terræ non cedit, nec propterea hunc niſum motus conſequitur. Ratio eſt, quòd corpus truſum nec cedat, nec vacuum adſit in quod corpus ſive trudens ſive truſum ſe recipiat. Si ergò univerſus mundus ex iſtiuſmodi non-cedentibus quaquaversùm conſiſteret, nullus motus ob defectum vacui & corporis cedentis contingeret. Si enim (quod aliqui imaginantur) mundus componeretur ex particulis ſeu atomis nulli compreſſioni ſeu condenſationi obnoxiis, ſequeretur eas atomos eſſe ſimul duriſſimas & planè adamantinas. Nihil enim durius eſſe poteſt eo quod nulli compreſſioni vel minimùm cedit. Porrò, ſi hæ atomi immediatæ forent, aliæ alias, quibus circumſiſtuntur, quaſi tot cunei adacti, nè quâ loco moverentur, firmarent. Quemadmodum enim lapides in pavimentum fiſtucâ impulſi immobiles hærent; ità hæ atomi aliis undique obſeratæ & impactæ eodem perpetuò loco fixæ manerent. Quid enim ſtrictiùs coarctari queat quàm corpuſculum quod undique corpuſculis duriſſimis miniméque cedentibus, & hæc viciſſim aliis uſque & uſque abſque interſtitiis, aut vel minima diſtantia, obſtipatur? Profectò, qui rem ſeriò perpendit, facilè diſcernat, iſtiuſmodi mundi ſtructuram ad nullum omnino motum comparatam eſſe. Viſum ergò eſt Sapientiſſimo Deo, mundum ſuum multò aliter concinnare; ſcilicet, partim ex corporibus difficulter cedentibus, partim ex cedentibus facillimè, partim ex medio modo ſe habentibus, componere. Nihil faciliùs cedit quàm aer, æther, exhalationes, cæteráque corpora volatilia, in quibus motus velociſſimi perficiuntur. Nihil magis reſiſtit compreſſioni quàm corpora ſolida & dura, quæ obſcurè ulli in ſe motui cedunt. Fluida ferè medio modo ad ceſſionem comparantur, & motus mediocres admittunt. Hæc res Ingenioſiſſimo Vicecomiti S^ti Albani notiſſima fuit, ut patet ex ejus explicatione motûs libertatis. Quin & ipſe Democritus, non admittens condenſationem aut rarefactionem, propterea dicit nullum motum fieri poſſe, niſi detur vacuum. Quare mihi certiſſimum eſt, vel vacuum, vel penetrationem dimenſionum admittendam eſſe. Nequis autem viliùs quàm par eſt hanc ſpeculationem æſtimet, pauculis inſtantiis penetrationis ſubſtantiarum tam exſiſtentiam in rerum natura, quàm uſum, aſſeruero.

3. Inprimis

3. Inprimis occurrunt experimenta ferè omnia quibus Illuſtriſſimus Vicecomes Stⁱ Albani, in Libro ſuo poſthumo à Doctore Rawley edito, condenſationem & rarefactionem propriè dictas in rerum natura dari probat. Ejus enim condenſatio evidentiſſimè receptionem partium aliarum in alias involvit. Secundo loco mixturam elementorum & temperamenta indè orta memoro. Profectò miror nonnullos Peripateticos, qui elementorum mixturam & unionem ultro agnoſcunt, & interim penetrationem ſubſtantiarum eorundem admittere verentur. Etenim ſi miſta ſint tantùm particulæ juxtà poſitæ, quî fiat ut faciant unum per ſe, hoc eſt, unum individuum in certa rerum ſpecie conſtitutum? Cùm enim diverſæ ſint naturæ, & qualitates contrarias in ſe foveant, non coaleſcunt in unam naturam niſi intimè commiſceantur, & mutuâ penetratione contemperentur. Faciliùs enim arenæ litoris aut pulvis quivis ſubtiliſſimus corpus unum, utcunque in multa diviſum, confecerint. Quòd verò plurimi nunc dierum Ariſtotelis elementa propè ſpernunt, me parùm movet. Sciant enim eandem eſſe rationem mixturæ principiorum chymicorum, quæ, niſi intimè uniantur, non componunt unum mixtum. Spiritus cinnamomi in cinnamomo nullibi ſincerus, qualis arte chymicâ extrahitur, ſed refractus & contemperatus, deprehenditur: idémque, mutatis mutandis, de cæteris eorum principiis dicendum eſt. Quare ſive hæc ſive illa mixtura admittatur, res eódem redit, utrobique penetrationem elementorum inferendam eſſe.

Penetratio experimentis probatur. Primum, ex iis D. Baconii. Secundum, ex mixtura.

4. Tertio loco affero vegetationem, atque adeò nutritionem per *intus aſſumptum alimentum*. Quid enim eſt per *intus aſſumptum alimentum* nutriri? Non eſt nutriri per appoſitionem extrinſecam. Sic enim domus, jacto fundamento, diceretur nutriri, dum muri indies per appoſitionem laterum ſenſim exſtruuntur & augentur. Vera autem nutritio fit per imbibitum alimentum in ipſam ſubſtantiam partium nutritarum. Etenim in nutritione non tantùm partes extimæ creſcunt, ſed & intimæ, & tractu temporis auctiores atque firmiores evadunt. Arbores enim, quanquam novâ quotannis ligneâ capſulâ inter corticem & truncum appoſitâ augeantur; quoad interiores tamen earum partes proprio modo ſimul aluntur & creſcunt. Succus enim nutritius non

Tertium, ex nutritione.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 461 sur 591

©BIUM

tantùm inter truncum & corticem labitur, ſed & meditullium arboris penetrat atque humectat. Neque quidem credibile eſt, ſuccum ſubintrantem ferri tantùm in ſtriatis ligni poris. Etenim hoc poſito, non ſufficeret ad diſcriminationem lignorum virentium à defunctis; nec ſolidas arboris partes indies duriores ac firmiores, quin potiùs, contrà, laxiores & molliores, redderet. Humida enim exteriùs applicata, nec per modum alimenti intus attracta, partes quas madefaciunt relaxant & emolliunt, nedum firmant aut indurant: ut videmus in truncis arborum in aqua maceratis, qui indè tractabiliores, flexibiliores, faciliúſque ſciſſiles fiunt. Quòd verò, è contrà, ſuccus nutritius verus perluens arboris partes eas ſubindè firmiores & robuſtiores efficit, teſtantur fabri lignarii, qui extimas ligni pallentes partes (quas *alburnum* vocant) abjiciunt, ut nondum ſucco nutritio ſatìs induratas & durabiles factas. Citò enim putreſcunt, & vermes concipiunt. Quare vera nutritio fit *per intus aſſumptum alimentum* ipſam ſubſtantiam partis alitæ penetrans.

Quartum, ex tranſpiratione.

5. Quarto loco numero tranſpirationem: quæ quidem vulgò creditur fieri tantùm per poros. Ego quidem non nego quin aliquando per poros fiat; ut in ebulliente aqua, bullæ exortæ circa fundum lebetis ad ſuperficiem aſcendunt, & in auras evolant: verùm hoc fit in liquidis calore violenter agitatis, nec ſatìs prohibet quin in ſolidis nonnullis aliter eveniat: nempe halitus per ipſam ſubſtantiam partium per quas eunt tranſudant. Corpora terminata & profunda nequeunt aliquid è ſua profunditate per poros emittere, niſi ſint ab eo loco ad ſuperficiem per quam emittunt aliquo modo ſtriata. Hoc enim videtur demonſtrari poſſe. Bullula enim in intimis partibus ſuſcitata non ſufficit ad tranſpirationem è profundo corporis: ſed requiritur continuus meatus à loco exortûs bullæ ad locum exſpirationis ejuſdem. Aliter enim ſi exeat, certè permeat ſubſtantiam partium. Dato autem meatu, neceſſe eſt pars ſit ab exortu bullæ ad exitum ejuſdem ſtriata. Cùm verò totum corpus cujuſvis animalis ſit è profundo perſpirabile, ut experimentis Sanctorii ſtaticis conſtat, neceſſe eſt ſit è profundo ſuperficiem versùs ſtriatum; nec ſufficit dixiſſe, pauculos hîc illic meatus ad cutem pertingere. Cùm enim (ut dixit Hippocrates) totum corpus ſit conſpirabile

rabile & perſpirabile, nulla particula fuerit à qua aliquid vaporis non fluat. Quare ab omni puncto ad cutem deducendus eſt ductus, adeóque totum corpus à meditullio ad ſuperficiem meatibus fuerit ſtriatum: quod tamen experientiæ quotidianæ non reſpondet. Veriſimile itaque eſt, exhalationes ex alto corporis fluere ſeu ſudare per ſubſtantiam partium exteriorum, & non per poros. Dices, dari corpora quaquaversùm poroſa, quæ tamen ſtriata non cernuntur: qualia ſunt cumulus arenæ, acervus tritici, ſpongia. Reſpondeo, priora exempla non eſſe corpora unita, eorúmque poros eſſe ſolummodo vacua (hoc eſt, aere repleta) interſtitia inter congeſtas, ſed non continuas, partes. Ad ſpongiam quod attinet, eam eſſe quidem ſuo modo ſtriatam, quanquam non directo ductu ad ſuperficiem, ſed variis flexibus quaquaversùm intorto. Verùm ſi poroſa corpora rectâ ſtriatione donata contemplari cupias, poſſis in quolibet propè ligno, quod ſecundùm longitudinem ſic ſtriatur. Obſervabis autem viridia hæc ligna in ignem conjecta, non per latera, ſed per extremitates, ſecundùm ductum ſtriarum, liquorem exſtillare. Dices, me ſuprà dixiſſe, ſuccum nutritium lignorum non diſtribui per poros. Reſpondeo, me agnoſcere diſtributionem ſucci nutritii eſſe primò inter corticem & truncum, ſecundò in poris ſtriatis lignorum: ſed tertiò, utramque eo fine, ut in ſolidas ligni fibras demum excipiatur, eáſque nutriat atque augeat. Dices, ſi hæc concedantur, obſtructionem non contingere in poris, at in ſolida ſubſtantia partium. Reſpondeo, me non negare quin obſtructio accidat in poris; quemadmodum in ductibus urinæ, in venis, arteriis & nervis, &c. ut frequenter cernimus: ſed hoc tantùm dico, obſtructionem in ſolis poris aut meatibus non contingere; verùm in ipſis ſolidis partibus frequenter reperiri, earúmque perſpirabilitatem atque etiam penetrabilitatem à variis cauſis conſtipari poſſe.

Quintum, ex diſtributione ſucci vitalis.

6. Quinto loco diſtributio ſucci vitalis in circuitu ſuo recenſeri poteſt: quæ non per ſola vaſa & poros, ut aliqui putârunt, ſed per ipſam ſubſtantiam habitúmque ſolidarum partium fertur. Vita enim influens ſolo contactu præterlabentis vitalis ſpiritûs inſpirari nequit: ſed inſuper requirit intimam unionem ſpiritûs inſiti & influentis. In qua unione, & indè oriunda excitatione ſpirituum inſitorum ad

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 463 sur 591

©BIUM

ſuas ditiones ampliandas, ſeſe nutriendas, aliáque vitæ munia peragenda, ipſa ratio vitæ influentis conſiſtit. Non nego quin præſervatio partium ſolidarum à putredine, earúmque vigoratio, tonus, activitas & juſta temperies, indè quoque potiſſimùm dependeant, & fructus ſint ejuſdem. Hoc tantùm dico, hanc exaltationem ſpirituum inſitorum cujuſvis partis non contingere abſque actuali & intima præſentia atque unione ſpirituum influentium. Spiritus enim inſiti abſque influxu vitalium fixi ſunt & quaſi ſopiti ; ſed illorum adventu actuali ad opera vitæ vegetabilis obeunda actu excitantur. Quemadmodum enim colores abſque luce torpent, & non informant viſum ; ità inſiti ſpiritus abſque influentibus quaſi potentiales ſunt & otiantur. Verùm hæc influentis & inſitæ vitæ unio multò amplioris ſpeculationis eſt, quàm ut hîc (ubi omnia quaſi in tranſitu ſpectantur) ſatis accuratè conſiderari queat.

Sextum, ex tumoribus.

7. Sexto loco, idem propè de nonnullis tumoribus dicendum eſt, qui non perpetuò in ſola infarctura pororum, ſed & frequenter in ipſa augmentatione notha ſolidarum partium, conſiſtere poſſunt. Quanquam enim in hydrope, in œdemate, in empyemate, & apoſtematibus & puſtulis, ſimilibúſque tumoribus, maximè conſpicua materiæ pars in cavitatibus & in cellulis ſeu interſtitiis membranarum aut carnium contineatur : frequenter tamen in ipſam ſubſtantiam quoque carnium, fibrarum & membranarum continentium aut adjacentium imbibitur, eáſque tumidas reddit. Vidi aliquoties membranas, quæ ex naturæ lege tenues, ſimplices ac pellucidæ forent, ad conſpicuam craſſitiem auctas. Quin & ubicunque fit difficilis tranſitus per habitum partium, exoritur eo loci intumeſcentia. Pars enim minùs aptè pervia facit ſanguinem diutiùs quàm par eſt in tranſitu per ſubſtantiam ſuam hærere ; & ſimiliter ſanguis ipſe ad permeationem parùm idoneus, in ſubſtantia partis per quam tranſit tumorem & dolorem efficit : quanquam fateor frequenter quoque tum dolores tum tumores ex ſolo flatu concitari ; tunc verò materiam non tam in ipſa ſubſtantia, quàm in poris & meatibus ejuſdem, concludi. Flatus autem ipſe difficillimè partis cujuſvis ſubſtantiam pertranſit, & atrociſſimos dolores in tranſitu ciet ; præſertim ubi pars nervoſior ac fibroſior ſit, ut ventriculus & inteſtina. Verùm cùm tanta ſit tumorum varietas, de omnibus huc ſpectantibus hîc tractem, exſpectandum non eſt.

8. Septimo

8. Septimo loco reponimus mixturas & penetrationes artificiales. Corpora congenera ſe mutuò facilè penetrant; ut cera, reſina, gummi reſinacea, ſevum, adeps, axungia, oleum; quorum quælibet duo aut plura colliquata ſtatim intimè commiſcentur: imò calx plumbi, lithargyrum, minium, & ſimilia, in oleo diu cocta, ità mutuò ſubiguntur, ut in emplaſtrum juſtæ tenacitatis & conſiſtentiæ faceſſunt. Miretur quis, pulveres tam ponderoſos poſſe in oleo promiſcuè fluitare, nec fundum petere: ſed oleum eorum mixturâ denſatur, pulveréſque oleo ſoluti rarefiunt, adeóque ex æquo librantur. Similiter gummi aquoſa, Tragacanthi, Arabicum, ceraſorum, &c. aqueis facillimè diluuntur, & in muccilaginem claram aquâ intimè perfuſam abeunt. Sales quoque & ſaccharum in aqueis liqueſcunt, & cum iiſdem facillimè uniuntur. Quòd verò non tantùm per contactum junguntur, ſed per realem ſubitionem, conſtat, 1. Quia ſaccharum pulverizatum, & in vitrum aquam limpidam continens injectum, quamdiu ſub forma pulveris manet, ſi agitetur, vas lacteo colore conſpicitur; poſtquam verò liquatur, inſtar aquæ puræ pellucet. 2. Quia ſaccharum aquâ gravius eſt, & conſequenter, quamdiu non intimè permiſcetur, in ea ſubſidit; verùm intimâ unione factâ, partim ſuam gravitatem aquæ impertit, partim aquæ levitatem ſibi aſciſcit; nempe ſuam denſitatem miſturâ rarioris aquæ temperat. Inſuper ſpiritus ſalſus, ut aqua fortis, diſſolvit corpus (ſolo auro excepto) cujuſvis metalli; quin & diſſolvit argentum vivum, (omnia corpora præter aurum gravitate vincens,) & ad æquipondium ſecum reducit. Poſtea enim non ſubſidit. Imò adeò intimè ſibi adunit, ut opacitatem ſuam exuat, & inſtar aquæ tranſpareat. Quid quòd ad eandem normam aqua Regia diſſolvit ipſum aurum? Quî fiat ut aurum in liquore tot vicibus ſe leviore abſque ſubſidentia natet? Proculdubio vel aurum ſuum corpus aperit & ſe expandit, ut in amplexum aquæ Regiæ ruat; vel aqua aurum penetrat & rarefacit, necnon ad æquilibritatem ſecum, ut ejus intimâ ſocietate fruatur, revocat. Dices, *aurum in minutiſſimas atomos reductum non amplius gravitare.* Verùm quis credat? Ea enim quæ pondus corporum minuunt, idem gradatim minuunt: ut corpora quò rariora fiunt, eò gradatim leviora redduntur. Verùm ſi maſſam auri integram

Septimum, ex mixturis artificialibus.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 465 sur 591

©BIUM

gram ſumas, & in fruſta aliquot dividas, fruſta ſimul ſumpta non minus, quàm in integra maſſa pendebant, pendent. Imò aurum foliatum, aut in pulverem ſubtilem limâ redactum, ejuſdem ponderis eſt ac fuit in maſſa integra. Dices, *aurum foliatum in aquis natare.* Sed hoc contingit, quòd aliquid aeris in cavitatibus foliorum, aut inter aquam & aurum, aut in plicis auri, nempe vel ſuper vel ſubter aquis, contineatur. Atque hoc ſatis demonſtratur, quòd idem aurum foliatum in aere libratum non minùs quàm ante foliationem pendeat. Porrò, comminutio auri eo nomine non minuit gravitatem, habitâ ratione quantitatis diminutæ. Revera ſi dividas aurum in duas, tres, vel plures partes, nulla earum pondus totius adæquat; nec hoc requiritur, ſed tantùm ut pro ratione magnitudinis ſit ejuſdem ponderis. Minutiſſima enim particula eſt auri particula; & cùm aurum ſit corpus (ſi quod aliud) ſimilare, omnis ejus particula eſt ejuſdem rationis cum toto. Diviſio enim corporis ſimilaris in partes integrantes non eſt in partes diſſimiles, ſed ſimiles; ſcilicet ejuſdem naturæ ſeu rationis ac definitionis cum toto. Quare diviſio integralis non eſt ſufficiens cauſa levitatis. Præterea, ſi atomi ſe ſuâ priſtinâ gravitate exuant, ſimul ſuam denſitatem deponunt. Gradus enim gravitatis perpetuò comitatur aut ſequitur gradum denſitatis; nec datur unum experimentum in quo denſitas à gravitate, aut hæc ab illa, diviſa cernitur. Quare mihi certum eſt, auri atomos, ſi ſuam retineant denſitatem, ſuam quoque gravitatem retinere. Sed fortè dices, *neque retinere denſitatem, neque gravitatem.* Attamen in memoriam revocandum eſt, ex eorum ſententia qui atomos defendunt, quantum minuitur denſitas, tantum poroſitatem augeri: & conſequenter, ex eorum opinione, ipſæ atomi (quod prodigio ſimile eſt) ſunt poroſæ. Nam quid in poris earum continetur? an *minores atomi*, an *vacuum?* Qui negant vacuum, neceſſum habent ſubſtituere minores atomos. Sed adhuc miror an has quoque velint eſſe poroſas. Oportet enim ſint, ſi quid levitatis ſecundùm mentem eorum apportent. Et ſic erunt atomi in poris atomorum, & pori in atomis pororum, in infinitum. Nec feliciùs iis ſuccedit qui vacuum in poris atomorum admittunt. Nam iſtæ atomi jam non ſunt atomi, ſed corpora formata, habentia

habentia os & jejunum ventrem. Manifeſtè eorum latera inani interſtitio dividuntur, & quidem actu dividuntur; & conſequenter nec actu nec potentiâ ſunt indiviſibiles ſeu atomi. Quàm vereor nè actum ſit de atomis, ſi iis *vacuo* veſci neceſſum ſit! Plurimæ aliæ hoc genus artificiales mixturæ recenſeri poſſunt, ut variæ metallorum inter ſe compoſitiones. Argentum vivum ſe inſinuat in aurum, idémque palleſcere facit; æs cum ſtanno, cum ferro, & in nummis, roboris cauſâ, cum argento & cum auro certâ proportione commiſcetur. Huc etiam referas electrum Chymicorum. Et profectò fruſtrà dixeris haſce mixturas eſſe tantùm appoſitiones per minima; cùm nec per microſcopia particularum diſcriminatio diſcerni queat; cúmque ipſe nummus ob mixturam firmior, robuſtior atque durabilior fiat: at, è contrà, quæ per appoſitionem particularum congeruntur indè fragiliora ac friabiliora evadunt; ut amalgama ex argento vivo & plumbo, quod in pulverem album facillimè teritur. Enimvero atomi inſtar arenæ ſunt, & de ſe minimè cohærent. Verùm arenæ ipſæ in furnis vitrariorum eliquatæ ſe mutuò quodammodo penetrant, & in firmam maſſam coaleſcunt. Cineres ſimiliter vehementer calefacti gradum quendam liquationis aſſequuntur, & magis cohærent quàm aliàs ſolent. De extractione tincturarum nihil hîc dixero, quas tamen liquores alii aliis faciliùs & citiùs educunt: ſed ſpectat ad quartam formarum Claſſem. Hîc igitur concludendum eſt, ſubſtantiarum penetrationem non eſſe naturæ adeò alienam aut infeſtam, nedum (quod prætendunt) repugnantiam implicare.

9. Hîc finem huic Capiti imponerem, niſi paucula quædam de regulatione horum motuum quatenus vitam materiæ reſpiciunt dicenda ſupereſſent. Reguntur ergò hi motus condenſationis & rarefactionis vel ab intus, vel ab extrà, vel partim ab intus, partim ab extrà. Regimen ab intus dicitur, ubi materia, à nulla cauſa extranea coacta, ſe ſpontè dilatat aut contrahit. Ut in granulatione mellis, mannæ, olei, ſacchari candi, ſalium, materia ſe ad ſua ſimilia ſpontè contrahit, & arctiùs ſe unit: in liquatione eorundem ſpontè expanditur, & ſe diffundit. Atque hi ſpontanei materiæ motus ejus deſiderium ſe perficiendi, ejúſque conſequenter vitam, declarant. Huc referri poteſt nobile iſtud experimentum

De regimine horum motuum, ab intus:

©BIUM

tum thermometri, in quo eximiè relucet ſpontaneus hic condenſationis & rarefactionis motus. Aer enim in thermometro concluſus ſpontè ſeſe modò expandit, modò contrahit, prout calor aut frigus tempeſtatis variat atque invitat. Fateor dicere nonnullos, hoſce motus à preſſura atmoſphæræ cum elatere aeris luctante fieri. Aiunt enim atmoſphæram aquam comprimere, & ſurſum in collum vitri adigere; aerem verò ſuo elatere hunc aſcenſum quantum poteſt deprimere: quòd verò aeris vis elaſtica pro gradu caloris modò debilior, modò robuſtior ſit, ſit ut calente aere magis deprimat aquam, & frigente minús. Mihi quidem impræſentiarum, ob enormem digreſſionem, haud fas eſt veritatem hujus hypotheſeos eventilare; & propterea ſive ſufficiens, ſive inſufficiens ſit, hîc non moror, neque de ea quicquam definio: ſed ſupponens (quanquam non ità certum ſit) rem ſe ſic habere, dico, ſpontaneum aeris motum eâ evaſione non eludi. Quanquam enim interpretantur aeris rarefactionem per vigorem elateris auctum; & condenſationem, per elateris debilitationem & compreſſionem: non tamen negant quin hæc aeris condenſatio & rarefactio æquè propriè ac ulla alia ità denominetur; neque negant quin alterutra ſpontè fiat. Sit ergò depreſſio aquæ & auctio loci aeris qualiſcunque rarefactio, (nam de genuina rarefactionis natura hîc non ſumus ſoliciti, ſuprà vidimus:) & ſimiliter, ſit aeris reductio ad anguſtius ſpatium qualiſcunque condenſatio: dico utramque eſſe motum ſpontaneum ab interno principio provenientem. Vis enim elaſtica aeris, (ſi detur) cùm ſit facultas motiva, ſpectat ad tertiam primarum facultatum ſpeciem, & manifeſtè eſt intrinſeca. Quod ad motum ipſum attinet, non venit ab extrà, quòd non ſit alterius pulſio. Volunt enim motum omnem quo aliud movetur pulſionem eſſe. Cùm ergò aer non deorſum pellatur, ſequitur à ſeipſo moveri. Verùm dubitari poteſt de aeris contractione. Attamen datâ compreſſione ab atmoſphæra, in quantum aer ei modò plùs, modò minùs cedat, ab interno principio regitur. Preſſura enim atmoſphæræ (in quantum ad hoc) conſtans eſt, nec hujus varietatis cauſa eſſe poteſt. Nihil ergò eſt à quo proveniat niſi ab aere incluſo. Aer enim externus internum non tangit, & vitrum quieſcit. Nihil ergò reliquum eſt quod operetur præ-

ter

ter aerem incluſum. Quare aer eſt internum & vitale horum motuum principium. Porrò, id obſervatu dignum eſt, incluſum aerem modò ad majorem, modò ad minorem locum evidenter extendi. Sive enim hoc ex compreſſione atmoſphæræ, ſive ex alia cauſa provenit, reſpectu motuum condenſationis & rarefactionis perinde eſt. Siquidem ſi abſque ingreſſu aut egreſſu alterius corporis idem aer in minus ſpatium comprimi, iterúmque in majus expandi poſſit, patet dimenſiones ejus accidentales & mutabiles eſſe, eandémque materiæ portionem poſſe nunc majus, nunc minus ſpatium occupare: & conſequenter, dari condenſationem & rarefactionem in propria acceptione vocum, ut priùs exponuntur; necnon dari receptionem aliquarum partium materiæ in ſeipſas, earundémque explicationem.

10. Inſuper, quanquam in thermometro veteri admitto preſſuram atmoſphæræ eſſe ſaltem ex parte cauſam cur aer, frigente cœlo, in locum anguſtiorem cogatur: non tamen in novo (ab Ingenioſiſſimo ſimúlque Honorabili Viro D°. Boyle invento) locum habere poteſt. Hoc enim organum ſigillo Hermetis clauſum nullibi occurſui preſſuræ atmoſphæræ ſubjicitur: interímque, frigente aere, ſpiritus vini in eo ſubſidit, & in anguſtum ſpatium contrahitur; calente, intumeſcit, & majorem locum poſtulat. Quis mihi Oedipus hîc ſubveniet, & docebit quo pulſore ſpiritus vini, cùm ad mutationem temperamenti aeris modò contrahatur, modò dilatetur, niſi ſponte & à ſeipſo, ducatur? Certè invitis reluctantibus, internum ſuum vitæ motûſque principium manifeſtè demonſtrat. Fruſtrà mihi elaterem aeris ſimul incluſi objicis. Ejus enim elater (ut fatentur omnes) tempeſtate frigidâ debilior fit, & minùs quàm antea deprimit ſpiritum ſecum incluſum; hic interim vel tunc ab intus monitus minus ſpatium affectat, & ſe ſponte contrahit: è contrà, urgente æſtu, ubi ab elaſtica vi aeris incluſi fortiùs coercetur, nihilominus intumeſcit, & majus ſpatium ſibi arrogat actúque conſequitur. Cùm ergò à nullo alio niſi à ſeipſo (ſigillo Hermetis omnibus aliis corporibus à pulſione, excepto aere, qui quantum poteſt ejus motum præpedit, ſecluſis) moveatur, ſuum internum motûs principium ſatis efficaciter manifeſtat. Quin & eâdem operâ dari condenſationem & rarefactionem in proprio ſenſu evin-

Experimentum thermometri novum.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 469 sur 591

©BIUM

cit. Spiritus enim vini, nullo alio ſubintrante aut egrediente corpore, modò ſe ambitiosè expandit, & ad majus ſpatium vitri implendum movetur; modò, quaſi ſecuritatis gratiâ, ſe magis concentrat, & in ſpatium anguſtius revocat. Cùm ergò eadem materiæ portio modò majorem, modò minorem locum affectet; datur motus ſenſu Ariſtotelis ad quantitatem, nempe motus ejuſdem materiæ vel ad majorem vel ad minorem ſui extenſionem: adeóque ſequitur ipſam quantitatem eſſe mutabilem & accidentalem, daríque *plicam materiæ*, eámque poſſe ſuas partes in ſeipſas retrahere, iterúmque occaſione poſtulante explicare, necnon, ſine novarum partium creatione aut præexiſtentium annihilatione, ſuas dimenſiones variare. Atque hæc omnia hoc uno experimento videntur evidenter monſtrari. Verùm de regimine hujus motûs ab intus hæc ſufficiunt.

Regimen horum motuum ab extrá.

11. E contrà, regimen ejuſdem purè ab extrà veniens dicitur, quòd ab extranea cauſa violenter inferatur. Eſtque vel *preſſura*, vel *tenſura*. Illa condenſationem violentam, hæc rarefactionem ſimiliter violentam, infert. Hi motus de ſe nullam naturæ vitam probant: ſed ex accidente, quatenus materia ad libertatem ſuam vindicandam excitatur, apertiſſimè ejus vitam produnt. Hos duos itaque motus, quippe eum ab intus venientem, & eum ab extrà violenter impreſſum, Vicecomes S^ti Albani, loco laudato, per antiſtrophen optimè deſcripſit. *Motus Hyles*, inquit, *quodammodo antiſtrophus eſt motui libertatis. Etenim in motu libertatis corpora novum dimenſum, ſive novam ſphæram, ſive novam dilatationem aut contractionem, (hæc enim verborum varietas idem innuit,) exhorrent, reſpuunt, fugiunt, & reſilire, ac veterem conſiſtentiam recuperare, contendunt. At contrà, in hoc motu Hyles corpora novam ſphæram ſive dimenſum appetunt, atque ad illud libenter & propere, & quandoque valentiſſimo nixu, (ut in pulvere pyrio) aſpirant.* Vide quàm eleganter, illinc, naturæ zelum ſe ab injuria illata vindicandi, hinc, affectum ampliandi fines dominii ſui, exprimit. Profectò utrinque materiæ, tam ſe vindicantis, quàm ſe propagantis, vitam colligere licet. Regimen horum motuum partim ab intus, partim ab extrà proveniens, latiſſimè extenditur. Quanquam enim in paucis hi naturæ motus purè ab intus aut purè ab extrà venientes conſpiciuntur: frequentiſſimè tamen ab extrà ſuſcitati & ab intus proſecuti occurrunt.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 470 sur 591

occurrunt. Calor enim omnis, ignis, calor vitalis, ſubtilitas, penetratio, liquatio, fermentatio, putredo, fracedo, contagium, inquietudo interna, motus quilibet vividus, rari vicinitas, ad rarefactionem aliquid contribuere videntur: & è contrà frigus, languor, mors, ſeu extinctio vitalium ſpirituum, torpor, quies, congregatio ſeu coagulatio, congregatio ſimilium, conſtrictio, preſſura, &c. ad condenſationem faciunt. Tanti autem eſt momenti horum motuum, ad rectam naturæ interpretationem, cognitio, ut Illuſtriſſimus Vicecomes Sti Albani, in aditu Hiſtoriæ Denſi & rari, de Philoſophorum ex hac parte negligentia, ut de una magna noſtræ in rebus naturalibus ignorantiæ cauſa, conqueritur: *rémque* (inquit) *quæ ad infinita ſpectat, & naturalis Philoſophiæ veluti baſis eſt, aut non attingunt, aut non urgent.* Et ſub finem ejuſdem aditûs; *Denſitates & raritates* (inquit) *corporum nôſſe, & multò magis condenſationes & rarefactiones procurare & efficere, maximè intereſt & contemplativæ & practicæ. Cùm enim ſit res (ſi quæ alia) planè fundamentalis & catholica, accincti debemus ad eam accedere; quandoquidem omnis philoſophia abſque ea penitùs diſcincta & diſſoluta ſit.* Quæ cætera de hoc ſubjecto deſiderari poſſunt, ex eodem Libro magna cum delectatione & emolumento petantur.

Cap. XXIX.

De Craſſitie & Tenuitate, motibúſque ad eas ſpectantibus; necnon de aliis quibuſdam poſituræ differentiis.

1. TRactavimus Capitibus præcedentibus de denſitate & raritate, de motu libertatis, ut & fusè de motibus condenſationis & rarefactionis: titulus ejuſdem Claſſis proximus poſtulat aliquid (utcunque curſoriè) de Craſſitie & Tenuitate dicamus. Ipſo limine danda eſt opera ut voces ab ambiguitate liberentur. 1°. Craſſum, pingue, carnoſum, corpulentum, ſynonyma ſunt: ut homo vel equus craſſus, hoc eſt, pinguis, carnoſus, corpulentus; cui opponitur macilentus, gracilis, *Variæ ſignificationes craſſitiei & tenuitatis.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 471 sur 591

©BIUM

gracilis, tabidus, macie confectus. 2°. Craſſities dicit menſuram profunditatis corporis, ſeu tranſverſi diametri ejuſdem: ut liber tres digitos craſſus, arbor ulnam craſſa. Datur tenuitas quædam quæ huic opponitur: ut aurum foliatum tenue dicitur, membrana tenuis, charta tenuis. 3°. Craſſum, obtuſum, hebes, idem ſignificant: ut acies craſſa, hoc eſt, retuſa & hebes. Ei opponitur acutum, ſive punctim, ſive cæſim: ut acus acuta, gladius acutus. 4°. Per metaphoram ad ingenium transfertur: ut ingenium craſſum, craſſa Minerva. Cui opponitur ingenii acumen & ſubtilitas. Hæ quatuor ſignificationes ut parùm ad præſens inſtitutum ſpectantes hîc rejiciuntur. 5°. Craſſities ſumitur pro ſchematiſmo quodam, qui aliquid denſitatis in ſuo genere perpetuò inſinuat: ut aer craſſus, ſpiritus craſſus, humor craſſus, urina craſſa, denſitatem aliquam in genere aeris, ſpiritûs, humoris, urinæ, innuunt. Non autem dicit abſolutè denſum, ſed comparativè ad tenuius. Porrò, non ſolam hanc denſitatem exprimit, ſed & plerumque alias formas quoquo modo (ut mox dicetur) unà complectitur. Non enim eſt ſchematiſmus ſimplex & purus, ſed magìs minúſve complexus. Ei hoc ſenſu tenuitas & ſubtilitas, ſed non eodem planè modo, opponuntur. Tenuitas enim ei opponitur ut forma contraria; ſubtilitas, ut effectus illius. Magìs propriè dicitur craſſities quà opponitur tenuitati, quàm quà ſubtilitati. Sciendum inſuper eſt, ad clariorem vocis evolutionem, craſſitiem de liquidis, aut in liquido contentis, quàm de ſolidis frequentiùs dici. Vox enim potiſſimùm à medicis uſurpatur ad humorum & ſanguinis differentias ſignificandas: ad alimenta quoque & intus aſſumenda transfertur; ſed eo præſertim fine, ut indè intelligatur quo modo ſe habeant ad coctionem ſeu eliquationem in ſuccum ſeu chylum. Atque hæc de nominis interpretatione.

Affectiones quibuſcum craſſities complicatur.

2. Proximo loco recitandæ ſunt complicationes quibuſcum hæc comparativa denſitas ſeu craſſities conjungi ſolet. Primò igitur, craſſum eſt in quo ſpiritus activi parùm dominantur. Dupliciter hoc fit: 1. cùm ſpiritus qui inſunt fixi ſint; 2. cùm ſpiritus qui inerant exhauſti fuerint. Priore modo craſſum idem propè quod crudum ſignificat; niſi quòd aliquid inſuper denſi in ſuo genere in ſe perpetuò includat. Crudum

dum enim craſſos habet ſpiritus & quaſi ſopitos, intimè immerſos ſeu concluſos in craſſioribus mixti partibus, & ad dominium nondum provectos. Sunt ergò tanquam hæredes nondum emancipati, quibus jus dominii non permittitur. Id tantùm agunt, ut unionem miſti integram conſervent, idémque à corruptione tueantur; & ut ipſi ad juſtam maturitatem demum adoleſcant. Hujus generis exempla habemus in fructibus immaturis, in multis cibis, in muſto, in potu recenti & vino dulci, in ſaccharo, & ſimilibus. Poſteriore modo craſſa dicuntur quorum ſpiritus evanuerunt. Materia enim quæ ſupereſt tarda eſt, ſtupida, minimè activa, & quaſi defuncta: ut pituita excrementitia, melancholia ſeu tartarum ſanguinis, fæces vini, ſabulum in urinis ſubſidens. Tenuia hiſce ſpeciebus craſſitiei oppoſita ſunt vinoſa, acida, vina oligophora, (dulcia enim in genere vinorum vocantur craſſa,) ſpiritus vini, ſpiritus ſalium, ſpiritus aceti, urinæ, & ſimilium. Secundò, craſſities, præter denſitatem, cum aliquali tarditate & ineptitudine ad motum componi ſolet. Hinc enim humores craſſi facilè pariunt obſtructiones. Tenuia oppoſita ſunt calida, fluxilia, penetrantia, aperientia, ſubtilia. Tertiò, cum craſſis hiſce utplurimum aſſociatur eſſe dyſpepticum, ſeu eſſe difficilis coctionis. Hoc ſenſu cibi aliquot vocantur craſſi; ut caro bovina, aprugna, porcina, fabæ, ſalſamenta, &c. Tenuia his oppoſita ſunt eupeptica; ut cibi qui levi ſtomachi operâ in bonum chylum eliquantur. Quartò, craſſum eſt quod haud facilè diſſipatur. Tenuia volatilia ſunt, & in auras facilè exhalant; ſed craſſa in fundo remanent. Sunt ergò minùs diſſipabilia.

Motus ad craſſitiem & tenuitatem ſpectantes.

3. Motus ad craſſitiem & tenuitatem ſpectantes ſunt vel formarum cauſæ, vel effectus. Cauſæ ſunt motus incraſſationis & attenuationis: effectus ſunt motus obſtruendi, aperiendi; ſiſtendi, fluendi. Incraſſatio duobus modis fit, *per ſe*, *per accidens*. Incraſſatio quæ fit per ſe ab iis rebus provenit quæ naturæ quadam vi, ſeu ſibi aſſimilando, condenſant & mobilitatem coercent; ut craſſa & frigida omnia, congelantia, figentia, dulcia, multùm nutrientia, ſedantia, anodyna, hypnotica, narcotica. Attenuantia his contraria ſunt calida, tenuia, ſeu ſubtilia, colliquantia, fluxionem concitantia, acida, acria, amara, diæta parca & tenuis, digerentia, maturantia,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 473 sur 591

©BIUM

turantia, exsuscitantia, fermentantia, discutientia, purgantia, sudorifica, somnolentiam arcentia. Quæ omnia rarefaciunt, aperiunt, & activitatem rerum promovent. Incrassatio quæ fit per accidens, vel à separatione partium tenuiorum, vel à mixtura crassiorum, quoquo modo provenit. Crassa enim admixta crassitiem unà adferunt, & tenuia addita attenuant. E contrà, tenuia separata massam crassiorem, & crassa tenuiorem, relinquunt. Ità ut hæc separatio in diversis partibus crassitiem & tenuitatem eâdem operâ producat: ut in lacte coagulato, serum lacte tenuius, & coagulum eodem crassius, simul fiunt. Quinque modis minimùm fit separatio; 1. colaturâ, 2. coagulatione, 3. congregatione magneticâ, 4. subsidentiâ & innatatione, 5. evaporatione. Colatura artificialis relinquit crassimentum in colo: naturalis (quia unà includit secretionem & similarium attractionem) modò partem crassiorem excernit, & tenuiorem retinet; modò contrà, hanc excernit, & illam retinet: ut renes reducunt sanguinem, & urinam tenuiorem emungunt; ventriculus & intestina exspuunt pituitam crassam, & sanguinem tenuiorem revocant. Coagulatio triplex est: alia solo frigore coagulantur, ut urina in matula; alia insuper evaporationem præviam exposcunt, ut sales in aqua soluti; alia injecta peculiaria exspectant, ut magisteria. Congregatio magnetica hîc tangenda non est. Subsidentia, densitatis & gravitatis, innatatio, raritatis & levitatis, opus est. Evaporatio incrassat lutum, & quicquid per evaporationem evocatur tenuius est residentibus in fundo. Effectus crassitiei & tenuitatis, præter incrassationem & attenuationem, (de quibus dictum,) sunt obstructio, & apertio obstructionis; ligatio motûs humorum, & eorum fluxio. De quibus hîc nihil ultrà exspectandum. Tantùm supereſt investigandum, ecquid hi motus ad vitam naturæ probandam contribuant.

Causæ incrassationis commotos spiritus sedant.

4. Verùm de iis quatenus includunt motum condensationis & rarefactionis non opus est plura addamus, cùm suprà sub calcem prioris Capitis de iisdem dictum sit. Restant ergò motus incrassationis & attenuationis considerandi, vel quatenus respiciunt alias formas quibuscum complicantur, vel quatenus respiciunt diversas suas causas, vel denique effectus. Verùm formæ cum densitate & raritate complicatæ ob conformem

formem naturam vix ſeparatam conſiderationem merentur. Quare ordiendum eſt à cauſis incraſſationis per ſe, quæ operantur per viam aſſimilationis. Hæ verò ſpiritus quoquo modo commotos ſedant, placant, ad fixationem perducunt, atque adeò eos quaſi firmiter deſpondent craſſioribus miſti partibus. Manent igitur iis intimè uniti, nec facilè ab eorum complexu divelluntur. Omnia enim quæ inquietudinem ſpirituum ſopiunt, quæ torporem aut ſtuporem inferunt, quæ ambitionem exſpatiandi compeſcunt, ad craſſitiem faciunt. Hinc hyemis frigiditas ea quæ æſtas præcedens irrequietè commoverat ad quietem componit, & ut in alimentum crudis atque creſcentibus plantis cedant efficit. Hinc quoque ſpiritus ad mediam regionem aeris ambitiosè evecti, frigiditate & humiditate loci ſedati, nubium vaporibus facilè aſſociantur, & cum earum ſtillis in terram relabuntur, eámque denuo pinguefaciunt. Mutatio ergò perceptionis & appetitûs ſpirituum motum hunc incraſſationis ultimò complet, & ſpontaneum reddit. Revera primæ cauſæ ſedationis appetitûs irrequieti, nempe frigus & humiditas, ferè extrinſecæ ſunt: verùm ſedatione ſemel inchoatâ, ipſi ſpiritus incipiunt convenientiam re-unionis cum craſſiore materia percipere, comprobare & affectare; ultimúſque hujus incraſſationis actus ab intus oriundus dat vitæ naturalis luculentum teſtimonium. Quódque de ſpiritibus dicitur, multò magis de cæteris miſti elementis verificatur. Minùs enim irritabilia ſunt, minùs irrequietè agitantur, multóque faciliùs ſedantur: imò lubentiſſimè in ſpirituum ſedatorum amplexum ruunt. E contrà, motus attenuationis, quanquam incipiat tanquam ab extrà, proceſſu tamen temporis perceptionem & appetitum naturales, illecebrâ dominii & auctionis ſui, ad ambitioſam expanſionem affectandam invitat: ità ut in integro actu hujus motûs includitur quoque actus quidam vitæ. Inchoatus enim motus attenuationis, ceſſante cauſâ inchoante, frequenter per ſe ſolùm progreditur: ut in cœpta fermentatione & maturatione. Hæc enim, in baccis multis, uſque in hyemem protrahitur; illa, ſeparato tartaro in doliis vini tranſvaſatis, perſiſtit.

Cauſæ incraſſationis accidentales.

5. Procedimus jam ad motus incraſſationis & attenuationis qui per accidens contingunt. Quamvis enim in his prima

©BIUM

ma intentio incraſſantis aut attenuantis non ſit incraſſatio aut attenuatio, ſed ſeparatio aut miſtio; ſit tamen ut indè conſequatur vera incraſſatio aut attenuatio. Et utcunque in externa cauſa ſeparante aut miſcente operatio intenta tantùm ad ſeparationem aut miſtionem collimet; in recipiente tamen ulteriùs procedit: & indè motus quidam ab intus reſultat, quo partes ſimiles ad ſuas ſimiles congregantur, & tenues, eò tenuiores & puriores, craſſæ, eò craſſiores & firmiores, fiunt. Verùm quòd congregatio magnetica non propriè ſpectet ad hunc locum, tranſeo ad ſeparationis ſpecies. Primò, Colaturam artificialem mitto: naturalis autem manifeſtè includit virtutem ſecretricem. Etenim in colo hoc genus nihil plerumque remanet, ſed alia materiæ pars per unam viam, alia per aliam, ſecernitur. Quare hæc operatio dilectum quendam & appetitum naturalem apertè implicat. Secunda ſpecies eſt Coagulatio, quæ à ſolo frigore fit. Evidentem interni hujus motûs principii notam exhibet. Nulla enim externa cauſa quæ partem à parte pellat, aut quæ motum iſtum (verbi cauſâ, quem in urina in actu turbationis cernimus) concitet, occurrit. Ea quæ præviam evaporationem expoſcunt, (ut ſales, ſaccharum dilutum, &c.) ſi in penuria liquoris fluitent, incipiunt iterum deſiderio coeundi in ſolidam maſſam tangi: ut in ſaccharo Candi & ſimilibus cernimus. Hic appetitus coaleſcendi clarum vitæ naturalis indicium præbet. In hoc enim motu tam ſaccharum quàm ſal, nullâ externâ alterutrum trudente cauſâ, ſe ſponte & per ſe movere & congregare nititur. Ea quæ per tertium injectum ſegregantur, idem arguunt. Etenim utplurimum id tertium quod injicitur plus habet familiaritatis & cognationis cum uno miſtorum quàm cum altero. Amplectitur itaque liquor novum hoſpitem magis familiarem, & priorem dimittit. Si argentum in aqua forti diſſolvatur, injectâ ſufficiente quantitate cupri, aqua deponit argentum, & rapit in ſe cuprum, quócum intimiorem habet amicitiam. Tertiò & quartò, Congregatio magnetica, ut & Subſidentia ac Innatatio, ſpectant ad congregationem vel majorem, vel minorem; de quibus poſtea agendum. Quintò, Evaporatio facit ſeparationem: ſed modus evaporationis differentiam dat. Si enim materia nondum fermentaverit, aqueæ partes primò

primò aſcendunt; ſin aliter, ſpiritus. Quæ differentia aliquid interni concurſûs in hoc motu demonſtrat. Extractum ſeu incraſſimentum in fundo reſtans aliquid etiam actionis propriæ edit: ut Celeberrimus Vicecomes S^ti Albani libro de Denſo & raro, p. 81. accuratè obſervat, atque his verbis probat. *Nemo nugetur, aiens iſtam contractionem in deſiccationibus nihil aliud eſſe quàm abſumptionem humidi. Nam ſi id tantùm ageretur, ut humidum in ſpiritum verſum evolaret, deberent corpora manere in priore exporrectione & dimenſo ſuo, & ſolummodo cava fieri, ut pumices aut ſuber; non autem localiter contrahi, & minui dimenſo ſuo.* Notatu dignum eſt, quàm apertè reliquiarum motum ſpontaneum aſſerit & demonſtrat. Progrediendum jam erat ad effectus horum motuum; ſed feliciùs fortè alibi ſe obtulerint.

6. Schematiſmi hujus Claſſis cæteri, ut ſatis perſpicuè elucidentur, plenarias hiſtorias, quales ad naturæ interpretationem ab Illuſtr. S^ti Albani Vicecomite in ſuo Novo organo exiguntur, poſtulant. Sunt enim formæ ſatis particulares, nec ſingulæ univerſam naturam percurrunt, & conſequenter finitâ inſtantiarum collectione quaſi circumſcribi queunt. Cùm verò ad noſtrum ſcopum (qui eas earúmque motus tantùm in ordine ad vitam naturalem ſpeculamur) minùs directè ſpectent, cúmque unius operâ vix ſatis copiosè congeri aut accuratè expendi poſſint; viſum eſt eaſdem Celeberrimæ Regali Societati (à quibus nihil non ſperare licet) propemodum integras reſervare; imò & ſiquid per modum tentaminis aut conjecturæ interea loci hîc propoſuero, eorum quoque judicio permittere. Aliquid enim ſubindè, ſive de formis ipſis, ſive de earum motibus, obiter dicendum fortaſſe videbitur. Formæ ipſæ ad tria genera poſituræ, uniformitatem, difformitatem, & uniformem difformitatem, referuntur. Hæc diviſio etiamſi primâ fronte cum illa in partes ſimilares & organicas coincidere videatur; multùm tamen ab ea diſcrepat. Diviſio enim in partes ſimilares & organicas potiſſimùm reſpicit partes animalium & vegetabilium; quarum aliæ organa vitæ ſunt, aliæ organorum materiæ. Hîc verò potiùs dividimus formas accidentales ad inanimata ſpectantes; & quidem differentias quaſdam figurarum ſimplices à poſitura particularum inter ſe oriundas, ſed nequaquam figu-

Tria ſchematiſmorum genera.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 477 sur 591

©BIUM

ram ad usum animæ formatam, investigamus. Formæ enim organicæ propriè sic dictæ duplici vitâ, naturali & influente, fruuntur: figuratio autem ea quam schematismum vocamus solâ simplici vitâ gaudet; aut si in animatis spectetur, non consideratur ut in ordine ad animam, aut ut respiciens propriam organizationem. Ad uniformem posituram seu figurationem particularum corporum referimus imporositatem, diaphaneitatem, & opacitatem eam quæ speciem visivam integre reflectit. Ad difformitatem spectant inæqualis porositas pervia, opacitas inæqualis à refractione multiplici orta, positura striata, laminata, nodosa, fissilis, aspera, ramificata. Ad uniformem difformitatem reservantur porositas æqualis, sive pervia, sive impervia, positura quaquaversùm libere scissilis aut sculptilis, necnon opacitas orta ex compositione elementorum intermediorum. Hanc methodum non opus est ulteriùs prosequamur; siquidem formas oppositas quæ juxtà positæ magis eluceſcunt ab invicem distrahit. Quare ordo potiùs in prima Classe propositus observandus videtur.

Porositas pervia, & impervia.

7. Porositas in genere est imperfecta quædam continuitas, hoc est, foraminulis passim intercepta. Duplex est, vel pervia, vel impervia. Pervia magis propriè Porositas dicitur, & ad aliquam materiam deferendam destinatur: in plantarum & animalium partibus frequentissimè cernitur, in mineralibus rariùs. Impervia minùs propriè pro porositate habetur, siquidem vix ullius materiæ transmissioni inservit. Facit quidem, ut dixi, ad opacitatem eam quæ cum multiplici refractione conjuncta est, cujus est una, sed non sola, causa: facit quoque ad levitationem aliásque nonnullas proprietates schematismi. Plurimum interest Philosophiæ, posse perviam porositatem ab impervia disterminare. Regulas igitur aliquas tentaminis gratiâ, aut saltem exempli loco, utcunque imperfectas, hîc proponere lubet. 1ª. Quæ inflantur, & priùs rumpuntur quàm quicquam exspirare sinunt, non sunt porosa. 2ª. Quæ ſucta nihil intromittunt, imporosa sunt. 3ª. Quæ diu in aquis immersa nihil imbibunt, imporosa sunt. 4ª. Quæ infusa aliquid imbibunt, & detersa licèt, graviora fiunt, nec tamen intumescunt, in poros trahunt: quæ intumescunt, non tantùm in poros, verùm etiam in substantiam aliquid imbibere videntur. 5ª. Quæ liquores sibi familiares intromittunt,

mittunt, repellunt verò ingratos, per poros intromittere non eſt veriſimile. 6ª. Quæ pellucida ſunt, non ſunt poris pervia. 7ª. Ductilia videntur imporoſa; nihil enim in iis per modum foraminis aut rimæ unam particulam à proxima dividit: foramina enim ad fragilitatem faciunt. 8ª. Liquida, ſi nec bulloſa nec ſpumoſa ſint, non ſunt poroſa. 9ª. Omnis tranſudatio aut permeatio poroſitatem perviam non ſatis demonſtrat. Datur enim permeatio quædam, præſertim in vivis, per ſubſtantiam ſeu per habitum partium. Eſt porrò alia diviſio poroſitatis, in ſuperficialem, & profundam: de quibus non opus eſt hîc quicquam adjiciamus.

8. Imporoſitas eſt integra continuitas totius aut partis nullis foraminibus, rimis aut cavitatibus intercepta. Duplex eſt, pellucida, & opaca. Pellucida cernitur in vitro puro, cryſtallo, in aere puro, in æthere, in aqua limpida, aliiſque multis liquoribus. Imporoſitas opaca adhuc duplex eſt: vel enim primò reflectit; vel primò refringit, dein reflectit. Imporoſitas primò reflectens eſt, quæ ob eximiam denſitatem radios lucis ſe penetrare non ſinit, ſed protinus vel directè, vel facto angulo æquali angulo incidentiæ, repellit, & conſequenter integram objecti ideam retorquet. Imporoſitas primò refringens, & dein reflectens, nec ob ſolam denſitatem, nec ob eam primò, ſpeciem retorquet; ſed ob mixturam imperfectam & quaſi fractam radios primò refringit, & variè refringendo demum reflectit. Mixtura hæc fracta & turbida ſic dicitur, quòd ejus partes componentes non ſatis accuratè aut æqualiter inter ſe uniantur. Hinc enim non conſtituunt purum & ſimplex medium, ſed multiplex & refringens. Eſt autem adhuc duplex, vel mixtura ſimplex, vel compoſita. Mixtura ſimplex, ſimúlque imperfecta, ex elementis immediatè concinnatur: ut ex aqua, ſale tartari & oleo, fit lac artificiale, corpus opacum. Mixtura decompoſita requirit elementa intermedia, ex quibus immediatè conſiſtit: quanquam ea quoque in elementa pura ultimò reſolvantur. Exempla habemus in lacte animalium, quod proximè ex ſero, caſeoſa parte & butyro, dein hæc ex elementis conficiuntur. Similiter ſanguis fortaſſe primò ex humoribus, ultimò ex elementis, componitur. At carnes aliæque partes animalium atque plantarum viventium, præter conſtitutionem inſitam, influente

Imporoſitas pellucida, & opaca.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 479 sur 591

©BIUM

ente ſucco perfunduntur. Sed hæc de poroſitate & imporoſitate.

Opacitas duplex.

9. Opacitas & Diaphaneitas proximo loco ſequuntur. Opacitas in genere eſt, quæ non tranſmittit radios lucis: Diaphaneitas, quæ tranſmittit. Illa duplex eſt. Prima radios luminis iiſdem coloribus quibus ab objecto modificatos excipit retorquet: ut ſpeculum & metalla polita. Fortaſſe opacitas hoc genus à ſola denſitate & politura ſuperficiali corporis opaci provenit. Secundum opacitatis genus radios primò refringit, & quidem refractos novis coloribus plùs minúſve modificat, & ſic modificatos reflectit; & quidem ſolis novis, niſi fortè ipſi radii à lucido venientes colore intermedio inficiantur; quo tamen caſu ſecunda reflexio fracta tinĉturam adventitiam perdit. Nam refractio iterum refracta, niſi ſecunda primæ ſubordinetur, vertitur in reflexionem: ut ſi plura vitra ità diſponantur, ut unum huc, aliud illuc radios confusè diſpellat, fit reflexio, ſed quodammodo fracta. Neque enim operantur ut unum vitrum, neque vitrum ſecundum aptè recolligit radios prioris. Primum ergò genus opacitatis vocamus opacitatem integram, ſeu integræ reflexionis; ſecundum, opacitatem fractam, ſeu diſperſæ reflexionis. Hæc vel extrema eſt; ut in corporibus albis & nigris: vel media; ut in corporibus flavis, rubris & cæruleis. De quibus omnibus non opus eſt quicquam addam.

Diaphaneitas quoque duplex.

10. Diaphaneitas eſt vel pura, vel impura. Utraque eſt vel ſimplicis, vel duplicis medii. Pura diaphaneitas ſimplicis medii imaginem objecti intemeratam ad viſum defert. Pura duplicis medii vel ad perpendiculum, vel à perpendiculo, radios ideam deferentes refringit. Impura diaphaneitas ſimplicis medii corpuſculis diverſi generis inſperſis obſcuratur; ut in nebulis, vel in aere vaporibus aut pulvere referto, & ſimilibus: in quibus plùs minúſve objectum, ſive quoad ſitum, ſive quoad colorem & claritatem, ſive quoad magnitudinem, alteratur. Impura diaphaneitas duplicis medii eſt, quæ vel viſum ex parte terminat, ex parte non; vel radios diſtorquet. Radios ex parte terminant pori, rimæ, cavitates; ut in vitro, cryſtallo, & adamante. Pori enim in his cernuntur tanquam arenulæ; rimæ & cavitates, tanquam albæ ac lucidæ lineæ aut hiatus. Impura diaphaneitas quæ radios variè

diſtorquet

diſtorquet exemplificatur in vitris dioptricis venoſis, ut & in iis inæqualis ſuperficiei. Sed de his omnibus potiùs conſulentur Optici.

Schematiſmum differre ab organizatione.

11. Poſitura ſtriata, laminata, nodoſa, fiſſilis, & ramificata, ſimul ſpectari queunt; ſed revera magis ad proximam Claſſem ſpectant. Siquidem præcipuè modum continuationis & cohærentiæ partium reſpiciunt. Hîc verò tantùm conſiderantur quatenus ſimplicem quandam formationem ſeu figurationem includunt. Profectò vis plaſtica, quæ animalibus tribuitur, ab ea inanimatis aſcripta plurimùm diſcrepat. Illa uſui duplicis vitæ coaptatur; hæc ſimplicis. Cavet enim natura in formatione organorum viventium, non tantùm ut concinnè fabricentur, ſed etiam ut duplicis vitæ uſui, nimirum vitæ inſitæ & influentis, ſubſerviant. Etenim nulla cujuſvis plantæ pars tam vilis deprehenditur, quæ non (præter vitam inſitam) vitali ſucco perluitur. Vis autem formatrix inanimatorum de formatione organorum quæ famulentur diſtributioni ſucci vitalis non omnino eſt ſolicita: ſed id tantùm agit, ut quodlibet corpus ſchematiſmum ſuæ ſpeciei debitum obtineat. Revera poroſitas quoque quatenus à natura intenditur ad hos ſchematiſmos accenſenda eſt, ſed modò de eadem peregimus.

Corpora ſtriata fibroſis comparantur.

12. Striata poſitura quamproximè accedit ad organizationem fibroſam. Fibra enim & ſtria quodammodo proportionantur: ut fibra eſt ad corpus fibroſum, ità ſtria ad ſtriatum; utræque quaſi lineæ parallelæ ſibi invicem contiguæ excurrunt; neutra æquè tranſverſim ac ſecundùm longitudinem eſt diviſibilis & fiſſilis. Fibræ enim de ſuarum partium tenacitate quoad longitudinem, non æquè quoad latitudinem, anxiæ ſunt. Etenim quoad lateralem connexionem, eam plerumque laxam, ſi non planè liberam, relinquunt. Similiter ſtria ſuis partibus in longum productis tenaciùs quàm tranſverſis adhæret. Et ut fibra una ab alia continuitate quadam lubricâ, ità ſtria à proximis poroſitate, ſive perviâ ſive impervia, diſterminatur. Stria differt à lamina, tanquam linea à latitudine. Ut enim linea tranſverſim ſeu in latum mota deſcribit ſuperficiem; ità ſtria quoad latitudinem expanſa fit lamina. Laminata itaque poſitura non multùm diſtat à ſtriata: ſed laminata uno modo fiſſilis eſt, ſtriata duobus. Illa-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 481 sur 591

©BIUM

enim hanc in se quodammodo complectitur. Quare corpus propriè fissile est vel striatum, vel laminatum. Alia enim corpora quæ adactis licèt cuneis dividuntur, non tam propriè finduntur, quàm franguntur; non enim secundùm ductum fibrarum aut striarum regulariter divelluntur. Corpora nodosa fissuræ plerumque inepta sunt ob implexam fibrarum texturam. Nodi autem plerumque tum duriores cæteris partibus sunt, tum indirecto striarum ductu constant. Denique, corpora ramosa inanimata (quæ rariùs quidem occurrunt) nec necessariò nec perpetuò striantur, aut organizatione vegetabili donantur. Non enim includunt succi nutritii à certa radice distributionem, nec per viam pullulandi ab una parte principe excrescunt: sed simul quasi formantur, & ferè sextâ quâque circuli parte conformi configuratione & aspectui gratissimâ easdem proportiones reduplicant. Quare differunt à plantis & vegetabilibus, quæ duplici vitâ, insitâ & influente, (ut sæpius monui) gaudent. Siquis tamen minera-lia quoque in mineris suis vegetare aut crescere voluerit, me non magnopere refragantem habuerit. Verùm si ità sit, necesse quoque est duplici vitâ duplicíque formatione ibidem fruantur, & influente, postquam è fodinis eruuntur, spolientur. Utcunque sit, largiendum est, dari nihilominus inanimata quædam duplici vitâ minimè freta, quæ tamen accuratè & eleganter formantur: ut regulus antimonii stellatus, meteora nonnulla, ut nives, grandines, pruinæ, glacies, &c. Sed hæc omnia aliorum potiùs industriæ & curiositati ulteriùs expolienda relinquo. Asperitas & lævitas his adnumerari queunt: sed de iis pauca advertimus libro de Rachitide. Cæterùm ut multæ ex formis suprà memoratis propiùs spectant ad secundam Classem, seu ad motum continuationis: ità ad eandèm referri possunt textura libere sciſſilis, sculptilis, & ductilis; neque de his quicquam hîc ulterius exspectandum.

Schematismum naturæ vitam monstrare.

13. Motus ad has formas spectantes sunt varia genera motuum simplicis figurationis; videlicet figurationis uniformis, difformis, uniformiter difformis, & ramificatæ. Qui omnes insitam naturæ vitam evidenter arguunt. Si enim complexa vis formativa plantis & animalibus indulta ab omnibus pro certissimo vitæ vegetativæ indicio habeatur; pari jure hæc simplex formatrix, quæ singulis corporum speciebus debitum schema-

©BIUM

ſchematiſmum, & multis perquam elegantem, arte vix imitabilem, miniſtrat, pro ſufficiente vitæ naturalis teſtimonio habenda eſt. Motus enim tam eminentem ſchematiſmum edens nulli cauſæ externæ aſcribi poteſt; ſed natura clanculùm intus operatur, & nacta ideam ſpeciei formandæ propriam, ad ejuſdem exemplar texturam materiæ aggreditur, & ſpecificam ſimilitudinem rei intentæ, niſi impediatur, aſſequitur. Etenim in viſceribus terræ, quid præter ipſam naturam intervenire poteſt, talémque ſchematiſmum largiri? Natura eſt quæ lapideum ſuccum certæ glebæ permixtum, rejectâ aut alio modo exſiccatâ ſuperfluâ humiditate, in rupem, putà, marmoream aut lapideam, aliud genus, digerit, ſeu concreſcere facit, & cuilibet ſpeciei propriam poſituræ particularum figurationem inter ſe aſſignat. Si parùm ei ſit ſchematiſmos uniformes dediſſe; multos magìs operoſos, ut ſtriatos, laminatos, aut etiam ramoſos, excogitat. Qui figurationes nivium, pruinæ, grandinum, & ſimilium, in microſcopiis contemplatur, vix ſibi perſuaderi patietur, quin natura aliquando quaſi deditâ operâ conſpicuum ſuæ artis ſpecimen perhibere affectet. Saltem ejus artificium cujuſvis apud nos artificis peritiam facilè ſuperare agnoverit. Etſi enim magìs elaboratè plantarum & animalium texturam exornat: non tamen putandum eſt eam inanimatorum omnem abjeciſſe curam, quin potiùs in iis quoque formandis miro, & nobis vix ſatìs ſcrutabili, artificio uti. Sed non opus eſt hæc ulteriùs proſequamur: ad ſecundam Claſſem procedimus.

Cap. XXX.

Claſſis ſecunda; & primò de Continuitate, Contiguitate, & Diviſibilitate.

1. HÆc formarum motuúmque Claſſis in corporum unitate & diviſione, earúmque modis, fundatur. Siquidem etſi firmam laxámve cohærentiam partium præcipuè reſpiciat, & circa earum robur debitúmque tonum (quæ modi unionis *Hujus claſſis fundamentum & partes.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 483 sur 591

©BIUM

unionis ſunt) verſetur: cùm tamen iſti modi unitatem & diviſibilitatem ſupponant, methodus poſtulat de his, ut de fundamentis illis ſubſtratis, ipſo limine agamus, atque indè ad modos ipſos deſcendamus. Quare quinque formarum, quatuor motuum, genera hæc Claſſis fundit. 1. Continuitatem, contiguitatem, & diviſibilitatem. 2. Tenacitatem, & fragilitatem ſeu friabilitatem. 3. Lentorem ſeu viſciditatem: cujus forma contraria caret nomine; vocari autem poteſt ἀγλιχεότης, carentia viſciditatis. 4. Tenſibilitatem, ac intenſibilitatem. 5. Flexibilitatem, & inflexibilitatem. Huc quoque referas poſituram fiſſilem, ſciſſilem, ſculptilem, ductilem; nimirum quatenus certos continuitatis modos inſinuant: nam reſpectu poſituræ partium manifeſtè ad primam Claſſem pertinent. Motuum genera ſunt, 1. motus actualis continuationis ſeu cohærentiæ, motus diviſionis; cui opponitur exhorrentia quædam & fuga ſolutionis continui. 2. Motus naturæ ſuccumbentis ſeu fatiſcentis; ut motus marcoris, corruptelæ, putredinis, incinerationis vi ætatis, calcinationis. 3. Motus ab externa violentia; ut motus fracturæ, rupturæ, contuſionis, vulnerationis, roſionis, raſuræ, ſculpturæ, puncturæ, pulverizationis, &c. 4. Motus elaſticus. Primo loco de continuitate, contiguitate, & diviſibilitate agendum eſt: & quia circa has plurimæ difficultates propemodum inextricabiles occurrunt, de iis paulò fuſiùs tractandum eſt; & ob eandem cauſam integra aliquot Capita iis ſolis deſtinavimus.

Continuitatem differre ab unitate tranſcendente.

2. Non dubium eſt quin Continuitas ſit ſpecies quædam unitatis: an verò ſit unitas tranſcendentalis nécne, in dubium vocatur. Aliqui putârunt unitatem quam quantitas ſuo ſubjecto adfert eſſe ipſam unitatem tranſcendentalem. Sed Suarius Diſp. 4. ſ. 9. n°. 2, 3, 4. hanc ſententiam ſolidè refutat. Ipſe verò n°. 8. controverſiam dirimere conatur. Diſtinguit enim unitatem ipſius quantitatis quatenus eſt in ſe, ab eadem quatenus communicatur ſubjecto. Illam entitati propriæ intimam eſſe, & inſeparabilem, manente eâdem quantitate; imò ab entitate ejuſdem non differre, niſi quòd ei addat negationem diviſionis in ſe: & conſequenter continuitatem & unitatem tranſcendentalem ejuſdem quantitatis unam atque eandem rem eſſe, nec duplicem unitatem in eadem quantitate eſſe quærendam. Verùm è contrà, unitatem quam continuitas

nuitas ſuo ſubjecto contribuit, non eſſe tranſcendentalem nec eſſentialem, ſed accidentalem, & reſpectu entitatis ſubſtantialis adventitiam. Dicit ergò duplicem eſſe in ſubjecto unitatem, alteram entitativam ſeu tranſcendentem; alteram quantitativam, nempe continuitatis. Et quidem hæc ejus diſtinctio ex parte vera eſt. Unitas enim naturæ ſubſtantialis ab unitate continuitatis manifeſtè diſtinguitur. Etenim illa diſſolvi poteſt, hâc manente integrâ. Inſtat enim Suarius, & rectè, in ſurculo partim virente, partim arido. Natura partis virentis clarè diſtinguitur ab ea partis defunctæ: ſed quantitas una utrique communis manet. Verùm è contrà, nunquam fortaſſe contingere ſolet quantitatem ſolvi, manente naturâ unitâ. Quantitas enim quæ, divisâ naturâ, perſiſtit unita, ad materiam ſpectat: Sed forma ſeu natura, ſi materia dividatur, unita manere nequit. Hæc enim per ſe ſubſiſtit, & ſuam materialem continuitatem, divisâ licèt naturâ, ſuſtinere poteſt: illa verò, quòd non per ſe ſubſiſtat, diviſo ſubjecto, ſe continuare nequit. Partes enim corporis, utcunque diverſæ, aliquo modo inter ſe continuantur: de continentibus & contentis, ſi de ullis, dubitare licet: ſed ſanguis vitalis in circuitu ſuo omnes partes perfundit, iiſque durante vitâ continuatur. Membrum verò abſciſſum à communione cum cæteris partibus illico rejicitur; ità ut nulla pars diutiùs toti unitur, quàm communi vinculo continuitatis eidem connectitur.

Et ab entitate quantitatis.

3. Verùm enimvero altera Suarii aſſertio, (Continuitatem nihil aliud eſſe niſi unitatem quantitatis entitativam, & à quantitate ipſa ſolâ ratione differre,) ſi ullo modo vera, ſaltem non æquè certa eſt. Quantitas enim ſeu extenſio mutari poteſt, immutatâ continuitate: ut in expanſione corporum, ut & in condenſatione eorundem. Quantitas ergò à continuitate ſeparari, hâc manente, poteſt: ſed unitas entitativa ab entitate ſeparabilis non eſt; ſiquidem hæc ab illa ſolâ ratione diſcrepat. Cùm ergò quantitas à continuitate ſeparabilis ſit, liquet hanc ab illa pluſquam ratione differre; & conſequenter, unitatem continuitatis non eſſe ſolam unitatem tranſcendentalem, ut aſſerit Suarius. Secundò, in condenſatione, corpora quò magis in anguſtias coguntur, plerumque eò firmiùs uniuntur: in rarefactione, quò magis

©BIUM

expanduntur, eò laxiùs continuantur. Cùm itaque continuitas & extenſio non pari paſſu aut gradu varientur, patet eas pluſquam ratione diſcrepare. Siquidem quæ ſolâ ratione diſtinguuntur, eodem perpetuò modo augentur & minuuntur. Tertiò, extenſio & continuitas (quanquam ambæ ad quantitatem ſpectent) non ſunt ejuſdem motûs termini: & conſequenter, quantitatem materiæ primæ eſſe dupliciter interminatam, vel quoad extenſionem, vel quoad continuitatem, ſub finem Capitis ſeptimi inſinuavimus. Quare quantitas continua duas rationes in ſe complectitur: alteram, quâ opponitur non-extenſo, ut puncto mathematico; alteram, quâ opponitur diviſo, ſeu quantitati diſcretæ. In harum enim rationum differentiis fundatur diviſio quantitatis in continuam, & diſcretam. Si enim ipſa magnitudo aut parvitas quantitatis conſiſteret in ſola extenſione, & hæc non differret à continuitate; fruſtrà magnitudo diſtingueretur in continuam & diſcretam, quando omnis foret continua. Diviſio enim non deſtruit magnitudinem partium ſimul ſumptarum, ſed continuitatem earundem. Ideóque extenſio pluſquam ratione à continuitate diſtinguitur. Quartò, continuitas eſt unitas partium entitate diſtinctarum. Non autem diſtinguuntur partes unitate ſuâ, ſed potiùs hâc communicantur, & ad unum idémque totum quodammodo reducuntur. Etenim entitas quantitatis ſeu extenſionis partes ſuas non unit, ſed diſtinguit, & diverſas conſtituit: ſed unitas entitativa & entitas extenſionis realiter idem ſunt. Hæc ergò partes ſuas non unit, ſed diverſificat. Impoſſibile enim eſt ut eâdem præcisè entitate quâ partes extenſæ diſtinguuntur, ſimul uniantur. Siquidem implicat contradictionem, ut ratio diſtinctionis ſit ipſa ratio unitatis. Quare aliâ, & ſaltem ex natura rei diversâ, ratione partes quantitatis, ab ea quâ diſtinguuntur, continuantur. Cùm ergò unitate entitativâ, hoc eſt, entitate ſuâ, diſtinguantur, aliâ unitate, & ſaltem ex parte rei diſtinctâ, continuantur. Hoc confirmatur, quòd partes priùs continuæ perdere poſſunt ſuam continuitatem, ſalvâ entitate, & conſequenter, ſalvâ unitate entitativâ. Cùm ergò partes quantitatis entitate ſuâ diſtinguantur, ſed non continuitate; rectè infertur hanc ab illa pluſquam ratione diſcrepare.

Quantita- 4. Profectò hæc argumenta, præſertim primum & ultimum,

me

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 486 sur 591

me multùm & diu exercuerunt. Demum verò fortè adverto, interminatam quantitatem duobus motuum generibus ſuam terminationem conſequi, motu condenſationis & rarefactionis, necnon motu diviſionis & unionis: motum condenſationis & rarefactionis non rectà tendere ad continuitatem aut ſolutam continuitatem, tanquam ad proprios terminos; è contrà, motum unionis ac diviſionis non tendere ad denſitatem & raritatem tanquam ad ſuos terminos: ſed hoſce motus in continuitatem & ſolutionem ejuſdem, illos in denſitatem aut raritatem, deſinere. Hinc mihi innotuit, continuitatem & determinatam denſitatem eſſe diverſorum motuum terminos; & continuitatem diſſolvi poſſe immutatâ denſitate, ſimilitérque denſitatem ſalvâ continuitate poſſe mutari. Verùm certa denſitas aut raritas ejuſdem portionis materiæ, certáque extenſio, ſaltem inſeparabiles comites ſunt, & perpetùo iiſdem gradibus, necnon proportionaliter, variantur: ut quò magìs aliqua materiæ portio rarefit, eò extenſio ejus major fit; quò minùs, eò minor. Quare determinata extenſio ejuſdem portionis materiæ motu condenſationis & rarefactionis regitur; ut continuitas ejus, motu unionis & diviſionis. Quapropter hæ terminationes ſpectant ad quantitatem interminatam, eámque diverſimodè terminant. Etenim quantitas materiæ non tantùm interminata eſt reſpectu dimenſionum, ſed & reſpectu copiæ. Hinc, ut dixi, duo genera motuum ad ejus terminationem poſtulantur: ad novam dimenſionum terminationem requiritur condenſatio aut rarefactio; ad copiam terminandam requiritur unio vel diviſio. Unio copiam materiæ auget, diviſio minuit. Illa novam materiam uniri, hæc partem priùs unitam abſcindi, ſupponit. Quare unio & diviſio determinant materiæ copiam. Impoſſibile enim eſt ut materiæ copia abſque diviſione ſeu abſciſſione partis ejuſdem minuatur, aut abſque additione (quæ fit unione pluris ejuſdem) augeatur.

tem interminatam duobus modis terminari.

5. Hinc colligo, extenſionem & continuitatem eſſe duos ſatis diſtinctos interminatæ quantitatis terminos motu aſſequendos; & conſequenter nec entitatem extenſionis eſſe continuitatem, nec continuitatis eſſe extenſionem. Cùm ergò ſint duæ entitates ſaltem ex natura rei diſtinctæ, fieri nequit ut altera ſit alterius unitas tranſcendentalis: quia unitas tranſcendens

Continuitatem eſſe terminum quantitatis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 487 sur 591

dens à re cujus eſt ſolâ ratione differt. Quocirca ex hac parte ſententia Suariana mihi corrigenda videtur, & dicendum eſſe, unitatem tranſcendentem quantitatis non eſſe unitatem continuitatis, ſed aliam diverſi generis: necnon quantitatem duplicem admittere unitatem, alteram entitativam ſeu tranſcendentem, alteram continuativam. Quæres quo certo indicio hæ unitates internoſcantur. Paucis dicam. Mediante unitate tranſcendentali, quantitas eſt indiviſa in plures quantitates qualis ipſa eſt in ſe, (quæ unitas non eſt continuitas, ſed tranſcendentalis:) verùm mediâ unitate continuitatis, quantitas eſt indiviſa in partes quas continet, (quæ unitas non eſt tranſcendentalis, ſed alia inferior.) Quare ob eandem cauſam ob quam Suarius diſtinguit unitatem quam quantitas habet in ſe ab ea quam largitur ſuo ſubjecto, ego cogor diſtinguere ipſam extenſionis unitatem in eam quam gerit in ſe, (quatenus dicitur entitativè una extenſio, non duæ vel plures in ſe,) & in eam quam mutuatur à continuitate. Etenim ſi rectè inferat ille, quòd, quia entitas ſubſtantiæ & entitas quantitatis ſunt duæ entitates realiter diſtinctæ, fieri non poſſit ut unitas entitativa unius ſit unitas entitativa alterius; nimirum, ut unitas entitativa quantitatis ſit ipſa unitas entitativa ſubſtantiæ: pari jure nos inferamus, quoniam continuitas & extenſio ſunt duæ entitates pluſquam ratione diſtinctæ, illam non poſſe eſſe unitatem entitativam hujus; & conſequenter, quantitatem in ſe duas complecti unitates; alteram entitativam, quæ ſolâ ratione differt ab entitate ſua; alteram acceſſoriam ſeu communicatam, quæ pluſquam ratione ab ejus entitate diſcriminatur.

Objectioni de ea re ſatisfit.

6. Dices, *unitatem continuitatis eſſe tranſcendentem: at unitatem quantitatis eſſe unitatem continuitatis: ergò unitatem quantitatis eſſe tranſcendentem.* Reſpondeo, primò, [vocem *tranſcendentem*] aliter applicari in propoſitione, aliter in concluſione, & ſic committi fallaciam quatuor terminorum. Primus terminus eſt, *unitas continuitatis*, qui medius eſt; ſecundus, *tranſcendens*, qui majus extremum eſt; tertius, *unitas quantitatis*, qui eſt minus extremum; quartus, eadem vox *tranſcendens*, ſed aliâ ſignificatione. Si enim vox *tranſcendens* aliud ſignificet in majore, aliud in concluſione, manifeſtè quatuor ſunt termini, & ſyllogiſmus vitioſus eſt: at in majore ſignificat unitatem

tatem tranſcendentem *continuitatis*, in concluſione unitatem tranſcendentem *quantitatis*. Utrumque probo. Suppono majorem eo ſenſu ſumendam eſſe quo eſt vera: ſed non eſt vera niſi hoc modo intelligatur, viz. *unitatem continuitatis eſſe unitatem tranſcendentem continuitatis, & ſolius continuitatis, non quantitatis*, aut cujuſvis rei alterius à continuitate diſtinctæ. Etenim unitas tranſcendens cujuſvis rei eſt ipſa entitas ejuſdem quatenus indiviſæ in ſe. Quare *unitas tranſcendens continuitatis non eſt unitas tranſcendens quantitatis, aut corporis*, quia ab entitate utriuſque ſaltem ex natura rei diſtinguitur, ut ſuprà probavimus. Ideóque *unitas continuitatis eſt unitas tranſcendens reſpectiu ſolius continuitatis*. Majus extremum jam in concluſione longè alio ſenſu ſumitur. Dicit enim, *unitatem quantitatis eſſe tranſcendentem*, hoc eſt, eſſe *unitatem quantitatis tranſcendentem*; cùm in majore tantùm aſſeruiſſet, eſſe *unitatem tranſcendentem ſolius continuitatis*: & ſic ſunt quatuor termini in ſyllogiſmo. Verùm paulò evidentiùs hoc innotuerit, alterando ſyllogiſmum ſic; Unitas continuitatis eſt *unitas tranſcendentalis ejuſdem*: at unitas quantitatis eſt unitas continuitatis: ergò unitas quantitatis eſt *unitas tranſcendentalis ejuſdem*. Vox [*ejuſdem*] in majore refertur ad *continuitatem*; in concluſione, ad *quantitatem*: & ſic conſpicuè quatuor ſunt termini. Verùm ſi reducatur ſyllogiſmus ad tres terminos, fuerit verus, ſed nugatorius, ſic; *Unitas continuitatis eſt unitas tranſcendens continuitatis: at unitas quantitatis eſt unitas continuitatis: ergò unitas quantitatis eſt unitas tranſcendens continuitatis*. Concluſio vera eſt, ſed nugatoria, ut & totus ſyllogiſmus. Majoris ſubjectum & prædicatum idem ſunt, & propoſitio eſt tautologica, & conſequenter nugatoria; quaſi diceres, *Unitas continuitatis eſt unitas continuitatis*. Nam unitas continuitatis & unitas tranſcendens continuitatis idem ſonant; quòd unitas tranſcendens à re cujus eſt non differat. Concluſio itaque vana eſt, & coincidit cum minore propoſitione. Reſpondeo, ſecundò, minus extremum, nempe *unitatem quantitatis*, dupliciter accipi poſſe; vel pro ipſa entitate quantitatis quatenus indiviſa eſt in plures quantitates tales, hoc eſt, æqualis magnitudinis ſecum; vel pro unitate partium quantitatis. Priore modo, ipſa entitas quantitatis non eſt unitas continuitatis; ſed minor propoſitio ſic intellecta falſa eſt. Entitas enim quanti-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 489 sur 591

tatis declarat magnitudinem corporis, ſive id continuum, ſive diviſum ſit. Non ergò eſt ipſa unitas continuitatis, cùm hâc ſolutâ, illa manere queat. Poſteriore modo, unitas partium quantitatis revera eſt unitas continuitatis. Hæc enim ut modus entitati quantitatis ſupervenit : & hoc ſenſu admiſi in priore reſponſo aſſumptionem eſſe veram, & concluſionem cum eadem coincidere ; hoc eſt, unitatem partium quantitatis eſſe unitatem continuitatis tranſcendentem. Fateor vocem [*tranſcendentem*] hîc addi, ſed ſenſus idem eſt ; quòd unitas continuitatis & unitas tranſcendens continuitatis idem planè ſignificent, & ſyllogiſmum inutilem reddant.

Unitatem entitativam quantitatis differre à continuitate.

7. Si adhuc dicas, quantitatem ſuam unitatem ab extrà non mutuare ; concedo, ſi de unitate ejus entitativa intelligatur. Eſt enim hæc unitas ipſa entitas quantitatis. Habet autem quantitas aliam unitatem ab entitate ſua diſtinctam, quâ eſt indiviſa in partes quas in ſe continet : quæ alterius diviſionis (& à priore diſtinctæ) negatio eſt. Aliud enim eſt, negare ſe dividi in plures tales in ſe ; aliud, negare ſe dividi in partes. Quare duæ ſunt negationes diviſionis in quantitate, altera entitativa, quæ ſolâ ratione à quantitate ipſa differt ; altera continuativa, quæ pluſquam ratione ab eadem diſcrepat. Nec obſtat quòd pro Durando Suarius, Diſp. & ſ. dictis n°. 4. allegat, *quantitatem eſſe ens, ergò eſſe unum tranſcendens : non eſt autem unum tranſcendens niſi ſuâ unitate quantitativâ : ergò illa ſub unitate tranſcendentali continetur. Alioqui oporteret fingere duas unitates in una quantitate, aliam tranſcendentalem, aliam quantitativam ; quod ſupervacaneum eſt.* Etenim reſpondeo, quantitatem revera eſſe ens & unum tranſcendens per propriam entitatem, non per continuitatem : per hanc enim, aliam negationem diviſionis, quam non exprimit unitas tranſcendens, conſequitur. Ideóque non verendum eſt agnoſcere, duas unitates in quantitate contineri, (quarum tamen altera ab ipſa quantitate non differt, altera planè differt :) nec hoc difficulter concipi, cùm, ut dixi, extenſio unà cum ſua entitate tranſcendentali, ſalvâ continuitate, mutetur : ut in condenſatione, extenſio & unitas tranſcendentalis quantitatis (quæ non differt ab entitate hujus) variatur ; ſed continuitas quantitatis interim inſoluta manet. Dices, entitatem quantitatis indiviſam, eſſe ejus unitatem tranſcendentalem ; at continuitatem eſſe eam entitatem

titatem indiviſam ; & conſequenter eſſe unitatem tranſcendentalem. Reſpondeo, aſſumptionem vacillare. Quanquam enim unitas tranſcendentalis cujuſvis rei ſit entitas ejuſdem indiviſa ; continuitas tamen non eſt ea entitas indiviſa extenſionis, ſed ſatis diſtincta : ſiquidem, ut dictum, manere poteſt mutatâ extenſione. Errat ergò Suarius, ubi dicit nº. 10. continuitatem eſſe unitatem tranſcendentalem reſpectu quantitatis. Non enim eſt ejus unitas entitativa, ſed adventitia. Verùm urgeri poteſt ex Suario nº. 7. *poſtquam quis finxerit entitatem ſeu rationem quam addat hæc unitas* (nempe continuitas) *ſupra quantitatem, ſi mente vel reipſa intelligat eam ſeparari, & manere ſolam quantitatem indiviſam, intelliget manere quantitatem unam : ergò quicquid additur, ſuperfluè & ſine fundamento additur.* Reſpondeo, latere ambiguitatem in iſtis terminis, [*quantitatem indiviſam.*] Dupliciter enim dicitur quantitas indiviſa ; vel in plures tales qualis ipſa eſt, vel in partes quas continet. Priore modo, unitas & entitas quantitatis indiviſa eadem res ſunt, & ſimpliciter impoſſibile eſt ut ſeparentur, ità ut alterutrâ deſtructâ, altera maneat. Poſteriore, quantitatis entitas manere, diviſa licèt, poteſt : ut linea *a b c* perdere continuitatem poteſt in puncto *b*, & nihilominus retinere extenſionem. Nam linea *a b c*, diviſa in *b*, non mutat extenſionem quam priùs habuit, ſed ſolam continuitatem amittit. Siquidem duæ lineæ, *a b*, & *c b*, diviſæ, ſed ſimul ſumptæ, extenſione æquales ſunt toti lineæ indiviſæ *a b c*. Verùm propterea quòd entitas extenſionis maneat, manet quoque unitas entitativa : nimirum lineæ diviſæ *a b* & *c b* manent indiviſæ in plures tales quales ipſæ ſunt. Non enim dividuntur in plures duas lineas, ſed ſolùm in duas partes quoad extenſionem & unitatem entitativam uni priori pares. Quare unitas partium entitate diſtinctarum eſt unitas addita unitati tranſcendentali. Monſtravimus enim ſuprà, extenſionem, & conſequenter ejus unitatem entitativam, quæ realiter eadem eſt, variari poſſe inſolutâ manente continuitate : & per conſequentiam, continuitatem aliquam rationem poſitivam quantitati ſupra extenſionem, quâ illa manet hâc mutatâ, addere. Dices, quantitatem continuam neceſſariò implicare continuitatem ; aliter nec eſſet, nec rectè diceretur, continua. Reſpondeo, quantitatem interminatam perpetuò gaudere aliquâ extenſione actuali

©BIUM

actuali & aliquâ continuitate, & indè rectè denominari tum extensam, tum continuam: non tamen indè sequitur, perpetuò ad certam extensionem, aut ad hanc vel illam continuitatem, determinari. Potest ergò actualis extensio, & similiter actualis continuitas, variari: imò potest illa mutari, hâc persistente immutatâ. Quapropter nihil hinc nostræ sententiæ adversum infertur. Concludimus igitur, continuitatem differre ab unitate entitativa, ut & ab hac vel illa extensione actuali, quòd determinata extensio, continuitate permanente, actu mutari queat.

Continuitatem esse entitatem positivam.

8. Proximo loco disquisitio de entitate continuitatis, ut quid positivum extensioni addat inveniatur, ineunda est. Suarius quidem asserit continuitatem solam negationem extensioni addere: interim punctum, quo linea, lineam, quâ superficies, & superficiem, quâ corpus continuatur, esse entia realia & positiva retur. Quare ei dicendum est, continuitatem hæc indivisibilia extensioni non addere; quin potiùs ad extensionem priùs quàm ad continuitatem spectare. Profectò nihil hîc de entitate indivisibilium definio, (de iis infrà disceptaturus:) hîc paucis considerabimus utrùm ad extensionem, an potiùs ad continuitatem, ea pertineant. Certum est, lineam non primò componi ex punctis, nec superficiem ex lineis, aut corpus ex superficiebus. Imò Suarius ipse non admittit hæc indivisibilia esse proprias quantitatis partes, (fatetur enim ex non-quantis non fieri quantum:) esse tamen partes impropriè dictas, quòd quodammodo in quantitate necessariò includantur. Respondeo, si non sint propriè partes extensionem componentes, ei accedere ut termini & limites; de quorum entitate infrà considerabimus. Verùm hæc indivisibilia, quà continuativa, non primò spectant ad extensionem, sed primò ad continuitatem. Punctum enim continuativum, quà continuativum, non terminat extensionem, sed ponit continuitatem. Utpote extensio intrinsecè entitate suâ terminatur; extrinsecè, negatione [non ultrà extendi:] continuitate verò pars non propriè & primò terminatur, sive intrinsecè, sive extrinsecè; sed potiùs eâ pars una alteri communicatur. Punctum itaque terminativum propriè tribuitur extensioni, & continuativum continuitati: & si quid entitatis, materiæ extensæ, punctum hoc genus addat,

©BIUM

dat, continuitati id primò debet. Siquidem aliàs quorsum vocatur continuativum? Si verò puncta quà continuativa lineam, lineæ superficiem, superficies corpus continuent; profectò quicquid entitatis ex hac continuitate corpus consequitur, à continuativis indivisibilibus mutuatur. Sed hæc ulteriùs hîc urgere nolo, quòd nondum constet an ipsa indivisibilia extensioni quicquam positivum addant. Enimvero iis qui negant ea esse entia positiva, sive primò ad continuitatem, sive primò ad extensionem pertineant, haud multùm interest. Suario verò ea res pluris esse debet, quòd hæc indivisibilia quà terminativa esse entia positiva putet. Si enim sint positiva, & mediâ continuitate quantitati tribuantur, illam aliquid positivum huic adferre largiri tenetur. Sed hæc missa faciamus.

Continuitatem non esse purè negativam.

9. Quanquam Clariss. Metaphysicus asserit continuitatem solam negationem quantitati addere; non tamen putat eam in se dicere solam negationem. Existimat enim eam mutuare aliquam entitatem ab extensione, eodem modo quo unitas transcendentalis suam debet enti. Unitas enim transcendentalis, realis & positiva entitas est; nihil tamen addit enti nisi negationem divisionis in se. Quare hæc unitas dupliciter consideratur. Primò, absolutè & completè, ut est in se; quo respectu rapit ad suum conceptum non solùm negationem divisionis in se, sed & ipsam entis entitatem, quatenus est fundamentum istius negationis: atque hic est completus conceptus formalis unitatis transcendentalis. Secundò, concipitur unitas inadæquatè, nempe in ordine ad ens, quò ejus formalis differentia quam enti addit inveniatur: & hoc respectu dicit tantùm negationem divisionis in se, & est inadæquatus totius entitatis unitatis conceptus. Respicit enim eam tantùm quatenus enti contradistinguitur. Similiter continuitas in se spectata est ens positivum. Saltem enim includit aliquid ut fundamentum negationis divisionis. Sin seorsim ab eo fundamento consideretur, est tantùm negatio divisionis. Quòd verò aliquid per modum fundamenti positivi in sua integra ratione includat, ex eo evincitur, quòd non solùm negatio divisionis in se, sed etiam negatio divisionis in partes, sit negatio perfectiva, quæ, in re, entitas positiva est; utcunque à nobis (ob imperfectum nostrum intelligendi modum) negativè declaretur. Unitas enim in genere perfectio est, & Deo

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 493 sur 591

©BIUM

tribuitur. Cùm igitur continuitas in se considerata sit quædam unitas, necessariò aliquam perfectionem involvit. Solutio continui (ut Medicis notissimum) morbus est & magna imperfectio, necnon vim naturæ infert: imò istiusmodi imperfectio est, ut eam natura exhorrescat, & respectu animalis perceptionis sola sensum doloris causet. Quare negatio solutionis continui, quatenus amovet hanc imperfectionem, in re perfectio est, negativè licèt facilius exprimatur & intelligatur. Rectè itaque Suarius tam unitatem entitativam quàm continuitatem esse in re entia positiva, negativè licèt concipiantur, statuit: rectè, inquam, nisi quòd neget continuitatem aliquid positivum quantitati addere.

Nec addere solam negationem.

10. Quare concedimus ei, continuitatem posse esse in se positivam, etiamsi solam negationem divisionis quantitati addat: sed simul negamus eam solam hanc negationem quantitati addere. Quæres, præter eam negationem, quam entitatem quantitati addat. Respondeo, addere suam entitatem positivam, quæ, quamvis negativè exprimitur, in re tamen entitas positiva est, ut modò probavimus. Urgebis, unitatem entitativam esse similiter entitatem positivam, enti tamen solam negationem addere. Subvenio, unitatem entitativam non differre ab ente, & propterea nihil ei addere præter negationem: at verò continuitatem à quantitate saltem ex natura rei differre, ut suprà quoque probavimus, & consequenter suam entitatem quantitati addere. Pari argumento demonstrat Suarius, *unitatem quantitativam, quatenus substantiæ denominativè convenit, addere supra substantiam rem positivam sub negatione, scil. quantitatem ipsam cum indivisione.* Et paulò pòst, *Patet*, inquit, *facilè; quia sicut substantia est quanta per quantitatem sibi adjunctam, ità est una quantitativè propter unam quantitatem quam in se habet*, &c. Vis argumenti in hoc sita est: Quantitatem satis manifestè aliquam positivam & realiter distinctam entitatem substantiæ addere; sed unitatem quantitativam addere ipsam quantitatem quatenus indivisam: ergò aliquid re distinctum substantiæ addere. Argumentum suppositioni falsæ innititur, continuitatem in sua tota ratione formali includere entitatem extensionis quà indivisam: alioquin rectè procedit. Nos verò, absque ea suppositione, sequelæ vim à substantia ad quantitatem sic transferimus.

©BIUM

ferimus. Continuitas eſt entitas poſitiva ex natura rei à quantitate diſtincta: ſed unitas quantitativa addit quantitati continuitatem: ergò ei addit aliquid poſitivum ab eadem ex natura rei diſtinctum. Quanquam igitur continuitas deſcribitur per indiviſionem in partes, eſt tamen entitas poſitiva, & quantitati eam entitatem ſub negatione diviſionis in partes impertit. Eſt enim in re poſitivum iſtius negationis fundamentum.

Formalis effectus continuitatis.

11. Supereſt adhuc ſcrupulus de formali effectu continuitatis. Ea enim ſi realis & poſitiva ſit, proculdubio formalem aliquem effectum edit. Exiſtimo hunc effectum eſſe communionem quandam totius & partium. Nam communio eſt duplex, alia entitativa, quæ ſolâ ratione à re eam participante differt, & eſt effectus unitatis tranſcendentalis; alia quantitativa, quæ inter partes entitate ſuâ realiter diſtinctas, mediâ continuitate, intervenit. Eſt autem hæc communio adhuc duplex; vel ſolius quantitatis, vel inſuper naturæ. Communio ſolius quantitatis cernitur in virga partim viridi, partim ſicca; ut & in membro ſphacelo correpto. Hæc autem communio ſtat ex parte ſolius materiæ ſeu ſubjecti, non ex parte formæ ſeu naturæ additionalis. Communio partium materiæ perpetuò ſupponit continuitatem quantitatis, & conſequenter communio naturæ quoque eandem præſumit. Cùm enim partes materiæ entitate ſuâ ſint realiter diſtinctæ, virtute continuitatis, non ſimplicis identitatis, hanc communionem & denominationem mutuæ confœderationis & unionis participant. Verùm natura licèt dividi queat integrâ manente quantitate; hâc tamen diviſâ, nullo modo ſuam unitatem retinere poteſt. Diviſâ enim quantitate, dividitur ipſa materia: diviſâ materiâ naturam ſuffulciente, hæc ab illa eſſentialiter dependens ſuam continuitatem aut communionem defendere nequit. Quare ut communio partium materiæ pendet à continuitate quantitatis earundem; ità communio naturæ ſuo modo fundatur in utriſque. Natura enim inhæret in materia: hæc ſi non continuetur, nec continuatur illa. Eſt ergò continuitas cauſa proxima communionis partium materiæ, & remota communionis ipſius naturæ ſeu formæ. Hinc colligere licet quanti ſit momenti hæc affectio continuitatis. Virtute ejus pars quælibet auctior fit, & parte vicinâ tanquam ſuâ fruitur: natura quoque hinc percipit utilitatem partium

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 495 sur 591

©BIUM

ſuarum, eáſque amat, & totis viribus tueri conatur. Hinc etiam ratio facillimè redditur cur natura tantopere ſolutionem continuitatis exhorreat. Ipſa enim, ſolutione factâ, minoratur, & communione ſuarum partium, quâ aliàs plurimùm oblectatur, ſpoliatur. Quare effectus formalis continuitatis non tantùm poſitivus eſt, ſed & entitas pernobilis, magníque momenti.

Contiguitas quid.

12. Ultimò, de Contiguitate aliquid ſubtexendùm eſt, ut formalis differentia inter eam & continuitatem conſpicuè innoteſcat. Contiguitas eſt approximatio ſeu contactus corporum actu diviſorum. Unde vera & manifeſta differentia inter continuitatem & contiguitatem eluceſcit. Illa negat diviſionem, hæc eam ſupponit; ſeu illa actu indiviſorum, hæc actu diviſorum eſt. Nulla (quod ſciam) ſpectabilis difficultas circa harum ulteriorem diſtinctionem occurrit; & conſequenter mox procedendum eſt ad naturam diviſionis (quam negat continuitas, & præſumit contiguitas) inveſtigandam. Verùm quòd indiviſibilia vulgò dicta, *punctum*, *linea*, & *ſuperficies*, aliquid ad utriuſque clariorem notitiam conferant, nonnulla de iis interponenda ſunt. Quare proximè de indiviſibilibus, deinceps de diviſione, dicturus ſum: & quidem de indiviſibilibus Capite proximo.

Cap. XXXI.

De tribus indiviſibilibus, Puncto, Linea, & Superficie.

De entitate indiviſibilium.

1. Difficillima quæſtio de entitate indiviſibilium, *puncti*, *lineæ* & *ſuperficiei*, movetur. Clariſſimus Suarius de hac re Diſp. 40. ſ. 5. diſſerit, qui conſulatur. Duas ſententias extremè oppoſitas, & nonnullas intermedias, proponit; & quidem omnes ſubtiliter eventilat. Ex oppoſitis eam quæ affirmat amplectitur, intermedias argutè refutat. Mihi quidem videtur, in tota hac diſſertatione latere ambiguitatem. Aliud enim eſt, quærere an hæc indiviſibilia aliquid poſitivum in ſua ratione includant; aliud, an punctum lineæ, linea ſuperficiei, ſuperficies corpori aliquid poſitivum addat. In ſenſu fortaſſe altero

altero extremæ ſententiæ ambæ veræ eſſe poſſint. Nam ſi concretè ſumantur, affirmativa, quam defendit Suarius, veriſimilis eſt: ſin abſtractè conſiderentur, nimirum quid ſuis reſpectivis ſubjectis addant, negativa potiùs comprobanda videtur. Nos primò ea conſiderabimus ut ſunt in ſe, & deinde in ordine ad ſua ſubjecta.

2. De iis in ſe ſpectatis, an omnino ſint, nonnulli diſputant. Sic enim argumentantur. Quod caret partibus, nihil eſt. Sed indiviſibilia carent partibus. Propoſitionem non probant, ſed pro conceſſo habent. Verùm communis ſententia eſt, punctum non eſſe quantum, at principium (ut vocant) quantitatis. Nemo enim inter ſpecies quantitatis numerat. Conſimili argumento Magiſter Hobbes Euclidis definitionem puncti, eſſe σημεῖον *cujus pars nulla eſt*, rejicit. *Manifeſtum* (inquit) *eſt, punctum eſſe diviſibile, ex eo, quòd ſectâ lineâ in duas partes, habebit utraque pars duos terminos, id eſt, duo puncta extrema: & per conſequens punctum dividens ſecatur (ſi quantitas ſit) in duas quantitates; ſi nihil ſit, in duo nihila. Etiam circulus ſecari poteſt in ſectores quotcunque: & proinde cùm omnis ſector deſinat in punctum, ſecabitur quoque centrum in totidem puncta, partes totidem centri; ſive centrum illud quantitas ſit, ſive nihil.* Sed de centro circuli facilis eſt reſponſio, quemlibet ſectorem ſeu diametrum circuli per totum centrum decurrere, neque hinc aut illinc aliquid reſectum relinquere. Ubi autem vulgò dicunt, diametrum ſecare centrum, intelligunt ſecare planitiem (in qua deſcribitur circulus) in centro: at ſecare in centro non eſt centrum in partes dividere, ſed per centrum tranſire; hoc eſt, totum centrum in ſuo decurſu occupare. Hoc autem dupliciter fit, vel deſignando diviſionem, vel actu exſequendo. Utroque modo decurrit linea per totum centrum, idémque in ſe quaſi abſorbet, non actu in partes ſecat. Similiter infinitæ lineæ (ſi tot ſupponantur, centrum ſecare) totum centrum ſingulæ poſſident, nec pars centri diverſa cuilibet lineæ occurrit. Quòd verò reſectâ lineâ reſultant duo termini, ex eo fit, quòd continuitas lineæ ſectæ ſolvatur, & utraque pars ejuſdem ultra locum ſectionis non actu producatur, & conſequenter ibidem terminetur: non quòd punctum aliquod præexſiſtens in iſta ſectione dividatur; ſed quòd præexſiſtens deſtruatur, & nova puncta ex reſectione lineæ neceſſariò reſultent. Neque hinc

An punctum ſecetur.

©BIUM

probatur punctum eſſe diviſibile, aut definitionem Euclidis eſſe vitioſam, ejúſve eſſe meliorem. Sic autem definit, *Punctum eſt diviſibile quidem, ſed cujus pars nulla in demonſtratione conſideranda eſt.* Conſimiles ſubtilitates adfert de linea, quæ eâdem reſponſione, mutatis mutandis, diluuntur. Lineam verò definit, *eſſe veſtigium quod relinquitur à motu corporis*, (utì arbitror, intendit acuti ſeu conici,) *cujus quantitas* (fortè intelligit [latitudo;] nam certè longitudo conſideranda eſt) *non conſideratur in demonſtratione.* Ex hiſce deſcriptionibus liquet eum depingere ſive punctum, ſive lineam, prout chartis imprimitur, & deinde alterutrum ad indiviſibilitatem in demonſtrationibus reſtringere. Alii autem authores non magnopere ſoliciti ſunt de craſſiore puncto aut linea prout impreſſa oculis ſubjiciuntur: ſed id quod hiſce nominibus ſeu ſignis in demonſtratione intenditur exprimere conantur. Quare tota hæc lis eſt de modo loquendi. Admittit enim eſſe indiviſibilia prout in demonſtratione ſpectantur.

Non dari punctum purè terminans.

3. Procedimus igitur dehinc de his indiviſibilibus prout à Mathematicis definiuntur, hoc eſt, (miſſâ delineatione in chartis,) prout in demonſtratione conſiderantur. Quærimus igitur an ſint aliquid nécne. Argumenta utrinque à Suario loco citato recitantur, quæ repetere non eſt animus: aſt ea modò advertere quæ ad clariorem controverſiæ deciſionem faciunt. Primò, ſciendum eſt, ut punctum ſe habet ad lineam, ità linea ad ſuperficiem, & ſuperficies ad corpus. Lineam terminat punctum, ſuperficiem linea, corpus ſuperficies. Secundò, lineæ continuationem, punctum; ſuperficiei, linea; corporis, ſuperficies, pari modo reſpiciunt. Denique, hæc omnia, ſive quatenus terminant, ſive quatenus continuant, ſunt indiviſibilia. Quare hæc indiviſibilia communem tractationem poſtulant, nimirum, quòd quicquid de eorum uno dicitur, de omnibus ſuo modo verificetur. Non tamen negamus quin punctum à linea, linea à ſuperficie, & hæc à corpore, clarè diſtinguantur. Punctum enim omni modo indiviſibile eſt, & propterea nullo modo eſt quantum. Linea verò quanta eſt, & diviſibilis ſectione tranſverſâ; ſed non ſecundùm longitudinem. Superficies tam ſecundùm longitudinem quàm latitudinem; ſed non ſecundùm profunditatem. Porrò, hoc habet ſuperficies peculiare, quòd reperitur in rerum natura ſolùm terminans,

nans, & non simul continuans: non autem datur linea aut punctum purè terminans, sed si terminet, simul continuat. Hoc itaque Suarius nº. 40. in responsione ad argumenta largitur; nimirum, *punctum aut lineam nunquam reperiri naturaliter purè terminantia: quod* (inquit) *non indè provenit, quòd ad terminandam intrinsecè quantitatem non sit necessarius terminus positivus; sed ex eo, quòd non reperiantur in rebus lineæ & superficies separatæ à corporibus: in eodem autem corpore nulla est pars lineæ aut superficiei quæ non sit conjuncta aliis partibus ex utroque extremo. Inter superficies autem datur aliqua purè terminans, ut suprà dictum est.* De termino positivo quantitatis infrà videbimus: hîc recipimus vulgarem puncti distinctionem, in terminativum, & continuativum; & similiter lineæ ac superficiei. Sed de hac quoque distinctione paucula infrà advertenda sunt: hîc tantùm cum Suario agnoscimus, punctum & lineam in rerum natura nunquam esse purè terminantia. Nihilominus, quòd saltem punctum & linea, tam terminativa quàm continuativa, sint in rebus conjunctim, quanquam ea seorsim non dentur, cuivis fas est de utrisque, perinde ac de superficie, seorsim tractare. Quæ enim ratione tantùm, aut ut inadæquati conceptus ejusdem rei, differunt, diversos tractatus frequenter merentur. Seorsim itaque puncti (cujus ex hac parte fortunas tam linea quàm superficies secuturæ sunt) non solùm continuativi, verùm etiam terminativi, rationes investigabimus: sed paucula de iisdem in communi prælibanda.

4. Dico igitur punctum, sive continuativum sive terminativum, dupliciter considerari: vel in ordine ad usum quem in matheſi aliisve scientiis præbet; vel in ordine ad entitatem propriam, quâ formaliter in se constituitur. Utroque modo paucis expendendum. Primò, in ordine ad usum ab Euclide describitur, σημεῖον *cujus partes nullæ sunt.* Rectè quidem (ni fallor) σημεῖον, seu *notam* & *signum*, vocat: sed explicatiùs fortè, si unà rem signatam apposuisset, ejus rationem dedisset. Est ergò res ipsa hoc signo signata, locus (si modò locus hâc latitudine accipi permittatur) sive ubi indivisibile, nempe præcisè ab omnibus partibus sumptum, (purè enim hîc consideramus punctum, præcisâ omni consideratione partium;) est, inquam, locus aliquis in linea, planitie aut corpore signatus, cujus

Indivisibilia dupliciter considerari.

1. *In ordine ad usum.*

©BIUM

cujus partes nullæ ſunt, ſive cujus partes non conſiderantur, nempe mente præciduntur, ut locus exactiſſimè deſignetur. Si enim punctum habeat partes, nequit ſatis accuratè locum lineæ intentum notare. Siquidem neſcire fortè potes quam puncti partem is qui ſignat intelligat. Cùm verò punctum partibus planè careat, eſt nota certæ & minimè dubiæ indicationis, & purè ſive caſtè intentum lineæ locum declarat. Eſt itaque hoc reſpectu idoneum mathematicæ demonſtrationis inſtrumentum. Rectè itaque dicitur punctum σημεῖον indiviſibile, quo certus lineæ locus præcisè & abſque ambiguitate deſignatur. Atque hæc generalis eſt deſcriptio puncti reſpectu uſûs ejuſdem. Uſus hic multiplex eſſe poteſt: ut, 1°. deſignare ubi linea incipit; 2°. ubi deſinit; 3°. ubi continuatur; 4°. ubi ſecari poteſt, aut actu ſecatur; 5°. ubi plura puncta confluunt. Atque hæ deſignationes totum puncti uſum in artibus exhauriunt. Quoniam verò linea eoſdem uſus reſpectu ſuperficiei, & ſuperficies reſpectu corporis, præſtat; ſatis fuerit in ſolo puncto eos, ut ſuprà, explicuiſſe.

2. In ordine ad entitatem propriam.

5. Proximè ad punctum deveniendum eſt quatenus in ſe conſideratur. Aliqui enim exiſtimant punctum eſſe modum quendam realem & poſitivum quo materiæ extenſio vel terminatur, vel continuatur: alii potiùs putant eſſe puram negationem. Sed fortè ſatius fuerit ipſo limine rationem puncti terminativi ab ea continuativi diſterminare. Hæc enim duo pluſquam ratione inter ſe differunt, eorúmque differentia ab aliis vix ſatis advertitur. Cùm enim hactenus unitatem extenſionis entitativam ab unitate continuitatis non diſtinxerint, terminum extenſionis à puncto continuativo propriâ differentiâ diſcriminare non poterant. Idem enim ſignum utrique puncto tribuitur: & hinc dicit Suarius, non dari in natura punctum terminativum, quin idem ſit continuativum.

Punctum terminativum & continuativum differre.

Non quòd punctum terminativum & continuativum idem planè ſignificent: ſed quòd eodem ſigno ſeu eodem ubi ſignato indigitentur: alioquin verò negationem quam punctum terminativum extenſioni addit continuativum præcîdit, & aliam ſibi propriam, atque ſub ea rationem poſitivam, addit. Quæres quam negationem aliam, quámque entitatem poſitivam, punctum continuativum terminativo addat. Reſpondeo, negationem quam punctum terminativum extenſioni addit

dit esse, [*non ultrà extendi*;] punctum quippe terminativum significare, lineam hucusque, hoc est, ad signum datum, extendi, & non ultrá: punctum verò continuativum hanc negationem præcidere, & aliam, quippe lineam in Ubi signato non dividi, insinuare: imò sub hac negatione [*non dividi*] realem & positivam entitatem clàm dicere, nempe ipsam perfectionem quam continuitatem vocamus; quæ (ut dixi) negativè licèt faciliùs exponatur, est in re perfectio positiva. Affero igitur, punctum terminativum in entitate extensionis, & punctum continuativum in entitate continuitatis, fundari. Unitas enim extensionis entitativa seu transcendentalis, & entitas ejusdem, in re eadem res sunt, & solâ ratione differunt. Entitas extensionis finita est, & suâ entitate, hoc est, seipsâ, quà finitâ, positivè terminatur. Entitas enim lineæ ad quodcunque signatum punctum intrinsecè & per seipsam extenditur, & non ultrà; quòd extra seipsam, seu extra entitatem suam, non vagetur. Quare entitas extensionis seipsâ terminatur, tam positivè, quàm ut fundamentum terminationis negativæ. E contrà, punctum continuativum fundatur in entitate continuitatis. Destructâ enim hâc, punctum continuativum unà perit: sed puncta terminativa partium extensionis divisæ adhuc supersunt, & ipsæ partes extensæ divisæ permanent. Quare punctum continuativum saltem ex parte rei à terminativo differt. Insuper punctum terminativum includit diversam negationem ab ea quam continuativum insinuat. Terminativum enim dicit *lineam non ultrà extendi*; continuativum verò, *lineam non dividi in loco signato*: quæ diversæ negationes sunt, & à diversis fundamentis fluunt. Negatio enim, *non ultrà extendi*, fundatur in extensione quà finita, quæ suâ entitate ad *non ultrà* (ut dictum) terminatur: negatio autem, *non dividi*, manifestè fundatur in continuitate. Plurimi enim definiunt continuitatem per *negationem divisionis*: & profectò negatio divisionis facilitat explicationem continuitatis: sed hæc, sub negatione divisionis, perfectionem positivam, quæ est fundamentum istius negationis, ut suprà probavi, occultat. Positâ enim continuitate, ea negatio [*non dividi*] necessariò resultat; sublatâ, æquè necessariò tollitur. Tertiò, punctum continuativum negationem quam punctum terminativum dat, non considerando præ-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 501 sur 591

©BIUM

cîdit; & ſimiliter punctum terminativum conceptum continuativi rejicit. Negationes enim quas includunt in eodem conceptu diſtincto vix conſiſtere poſſunt. Etenim *non ultrà extendi* quodammodo repugnat *conceptui continuandi*. Nam continuari eſt ulteriùs protendi, & negatione *non ultrà* non occari ſeu non limitari. Partes enim continui in unum totum inter ſe confœderantur, hoc eſt, ſibi invicem communicantur; nec lineæ productio in loco ſignato ſiſtitur, atqui ad extremitatem ejuſdem excurrit. Quare [*non ultrà extendi*] quodammodo ſupponit lineam ſic terminatam in loco ſignato occari: non ergò ſimul complectitur negationem diviſionis ibidem. Similiter continuari, ſeu ulteriùs produci, non ſimul conſiderat non ultrà produci, ſeu non ultrà extendi. Quapropter alteruter conceptus ab altero abſtrahit, & ambo in eodem conceptu diſtincto conſiſtere nequeunt. Quartò, proceſſus horum punctorum, ſive ab ente ad non-ens, ſive à non-ente ad ens, quodammodo oppoſitus eſt. E. g. ſit linea *a b c*. Supponimus primò lineam continuari in *b*: punctum itaque *b* eſt punctum continuativum, & connectit partem lineæ *a b* parti *c b*. Supponimus ſecundò lineam *a b c* dividi in puncto *b*: deſtruitur itaque punctum continuativum *b*, & proceſſum ab ente ad non-ens patitur: ſimúlque duo puncta terminativa ex ejus ruina reſultant; nempe punctum *d*, terminans partem lineæ *a d*; & punctum *e*, terminans partem lineæ *c e*: ut in linea $\frac{a\ b\ c}{d\ e}$ cernere eſt. E contrà, jam ſupponamus puncta terminativa *d e* iterum confluere, & partem lineæ *a d* parti *c e* re-uniri; eodémque momento duo puncta terminativa *d e* corruere & abſorberi in lineam continuam *a b c*. Patiuntur itaque proceſſum ab ente ad non-ens; ſimúlque punctum continuativum *b* ſuam entitatem reſumit, & proceſſum à non-ente ad ens ſortitur: ità ut hæc puncta quaſi per vices occumbant & reſtituantur, &, quod aiunt de formis, corruptio unius eorum ſaltem per conſecutionem quandam eſt generatio alterius. Dices, in primo proceſſu punctum continuativum & terminativum ſimul deſtrui, & eorum loco exſurgere duo puncta terminativa nova: in ſecundo proceſſu duo puncta terminativa coaleſcere ſeu perire, & unum indè, quod tam terminativum quàm continuativum eſt,

eſt, reſultare. Reſpondeo, primò, punctum terminativum tantùm perire quà commune, hoc eſt, quà mutuatur ſuam entitatem à continuitate, quâ pereunte neceſſariò eatenus perit. Verùm hoc punctum commune, quà purè terminativum, reſolvi in duo vel plura puncta partium terminativa, quæ non pereunt: ſiquidem ut termini partium lineæ priùs exſiſtebant; tantùm nunc fiunt alteruter terminus lineæ totius. Reſpondeo, ſecundò, punctum terminativum totius lineæ cum continuativo non conſiſtere, cùm reſultet ex interitu continuativi. Quid verò dicendum ſit de puncto terminativo communi, infrà clariùs declarabitur. Ultimo loco, punctum terminativum nihil poſitivum ex parte rei diſtinctum extenſioni ſeu quantitati addit. Nobilis hæc aſſertio eſt, & digna (quoniam præcipuam inter punctum terminativum & continuativum differentiam complectitur) quæ ulteriùs expendatur. De ea itaque proximo loco inquirendum.

Continuativum aliquid extenſioni addere.

6. Suarius tres ſententias medias de entitate indiviſibilium recitat. Verùm prima media (quam tertiam, quòd apud eum duas extremas ſequatur, vocat) videtur aliam ſibi quodammodo oppoſitam admittere; quam, ob oppoſitionem tertiæ, quartam mediam de hac re nominare licet. Nam ſicut ejus tertia, puncta terminantia, ſed non continuantia, ex natura rei diſtincta agnoſcit; ità hæc quarta, continuantia, ſed non terminantia, eo modo diſtincta admittit. Fundamentum hujus ſententiæ eſſe poteſt, quòd cuilibet uni materiæ duo accidentia, extenſio & continuitas, neceſſariò inſint. Extenſio enim, ut materia ad certam dimenſionem determinetur, continuitas, ut partes extenſæ inter ſe uniantur, requiritur. Materia nuda variarum dimenſionum capax eſt, & modò condenſari, modò rarefieri poteſt: ut ergò determinetur ad certam longitudinem, latitudinem & profunditatem, opus habet certâ extenſione; quæ eſt ipſa poſitiva atque actualis ejuſdem terminatio, ſed accidentalis, & mutabilis. Si autem quæſiveris quo termino hæc terminatio terminetur, facilis eſt reſponſio, intrinſecè & poſitivè terminari per ſeipſam; extrinſecè & negativè, per negationem à ſe reſultantem, [ſe non ultrà extendi.] Dico, primò, extenſionem eſſentialiter ſeu intrinſecè & poſitivè terminari per ſeipſam. Cùm enim ſit ipſa terminatio dimenſionum materiæ, non exſpectanda eſt termi-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 503 sur 591

©BIUM

terminatio terminationis, niſi velis introducere proceſſum in infinitum. Quare extenſio terminatur poſitivè per ſeipſam, hoc eſt, per entitatem ſuam actualem, nec requirit aliam poſitivam terminationem. Secundò, terminatur negativè per negationem à ſe neceſſariò & immediatè reſultantem, nimirum ſe non ultrà extendi. Videtur Suarius fingere punctum poſitivum, quod terminet & claudat lineam: ſed ſi ità eſſet, negatio [non ultrà extendi] reſultaret non immediatè ab extenſione, ſed ab eo puncto ficto quod ſupponitur extra extenſionem lineæ apponi. Hoc enim dato, ea negatio primò denominaret punctum, & deinde extenſionem: ſed aliter multò evenit. Ea enim negatio [non ultrà extendi] primò & propriè ipſi extenſioni, & non puncto terminativo, tribuitur. Quod enim non omnino extenditur, cui uſui dicatur non ultrà extendi? linea autem terminata ultra ſuam intrinſecam terminationem maximè propriè dicitur non ultrà extendi. Nihil ergò poſitivum inter lineam & hanc negationem intervenit: & conſequenter, punctum terminativum entitati extenſionis nihil poſitivum (ut prima pars aſſertionis ſtatuit) addit. Secunda pars eſt, punctum continuativum extenſioni aliquid poſitivum ex parte rei diſtinctum addere, ſcilicet continuitatem ad certum indiviſibile Ubi determinatam. Duo hîc aſſeruntur: primò, punctum continuativum aliquid poſitivum extenſioni addere: ſecundò, iſtud poſitivum quod addit eſſe ab extenſione ex natura rei diſtinctum. Ad primum quod attinet, certum eſt, punctum continuativum denotare negationem diviſionis in loco ſignato: quæ negatio in re eſt forma poſitiva. Dicit enim perfectionem, quæ (ut ſuprà probavi) in re eſt entitas poſitiva, utcunque negativè faciliùs exprimatur & concipiatur. Ad ſecundum quod ſpectat, id poſitivum quod punctum continuativum extenſioni addit, eſt ab ea ex natura rei diſtinctum. Etenim extenſioni addit continuitatem ad certum Ubi reſtrictam; quæ non ſolùm eſt entitas poſitiva, ut dictum, verùm etiam ex parte rei ab extenſione (quod ſuprà quoque fusè probavimus) diſtinguitur. Quare utraque pars hujus ſententiæ ſtat, & nova opinio media, de qua veriſimile eſt Suarium non cogitâſſe, oboritur, cæteríſque palmam præripit. Eadem quoque ulteriùs manifeſtabitur ex infrà dicendis de nonnullis diviſionibus.

divisionibus seu distinctionibus puncti terminativi, earúmque differentiis à puncto continuativo.

Punctum terminativum distinguitur.

7. Primò, punctum terminativum est vel totius lineæ, vel partis. Terminativum totius lineæ in rerum natura non datur. Siquidem non datur linea tam abstracta aut tam terminata, ut non vel rectè, vel obliquè, vel angulatim, vel circulariter suis partibus continuetur: ut ex Suario suprà declaravimus. Quare punctum hoc genus extra animum non reperitur: datur tamen in rebus sufficiens fundamentum cur excogitetur. Nam primò, absque hoc puncto Mathematici neque de linearum longitudine, neque de earundem inter se æqualitate, inæqualitate aut proportione, quicquam statuere possunt. Coguntur itaque puncta fingere quibus tam extremitates linearum in se, quàm proportio inter se, inveniantur ac demonstrentur. Secundò, datur aliud ejusdem fictionis fundamentum: quòd, nimirum, si linea recta chartæ inscribatur, & ea charta postmodum transversè laceretur aut secetur, partes lineæ unà dividantur, & alterutra pars novo termino seu puncto terminativo claudatur. Partes enim non continuantur ut priùs. Siquidem, quamvis in re extremitas utriusque partis lineæ aliis partibus linearum continuatur; respectu tamen partis abscissæ dividitur, & novo termino ab ea disterminatur. Atque idem accidit in omni lineæ divisione. Utcunque igitur in re non detur punctum totius lineæ terminativum, datur tamen in re sufficiens fundamentum cur tale fingatur; quòd pars rectæ manens actu separetur à parte resecta, & consequenter novo termino ab ea discrimineturQuomodo verò hic terminus lineæ totius à termino partis discrepat, infrà videndum.

Secunda distinctio.

8. Secundò, distinguitur punctum terminativum in principians, & finiens. Hæc distinctio leviuscula est, & potiùs ad distinctam de alterutra lineæ extremitate locutionem, quàm ad veram earum differentiam enodandam, expetitur. Interest enim Mathematicis, (quò distinctè intelligantur) unam lineæ extremitatem esse principium, alteram esse finem, supponere. Imò applicari etiam potest hæc eadem distinctio tam terminis lineæ totius, quàm partium. Sed primò applicanda est terminis totius, dein partium. Puncta duo terminantia totius lineæ vocari possunt, alterum, principium, alterum, finis;

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 505 sur 591

©BIUM

finis: ſed hæ denominationes ex parte ſola rationis ratiocinantis inter ſe diſtinguuntur. Principium dicitur terminus à quo linea incipit; finis, terminus in quem deſinit. Quòd verò hi termini inter ſe pluſquam ratione ratiocinantis non differant, monſtrari poteſt. Pendent enim ab arbitrio denominantis. Utpote, ſi ſupponas lineam *a b* duci à ſiniſtra dextram versùs, punctum *a* eſt principium, & punctum *b* finis: è contrà, ſi jubeas eandem lineam à dextra ſiniſtrorſum duci, *a* finis erit, & *b* principium. Quocirca hæ denominationes pendent ab arbitrio ducentis; adeóque ſolâ ratione ratiocinantis differunt. Similiter in terminis partium lineæ diſtinctio eſt ejuſdem ſortis, ut in linea *a b c*. Punctum *b*, ſi ducas lineam à ſiniſtra, eſt punctum finiens reſpectu partis lineæ *a b*, & punctum principians reſpectu partis *b c*: è contrà, idem punctum *b*, ſi ducas lineam à dextra, eſt punctum principians reſpectu partis lineæ *b a*, & punctum finiens reſpectu partis *c b*. Et conſequenter hæc quoque differentia pendet ab arbitrio ducentis, & eſt rationis ratiocinantis. Quamobrem hæ diſtinctiones, cùm tantùm ſint entia rationis, nihil contribuunt ad probationem poſitivæ entitatis punctorum terminativorum. Quin & rejiciuntur puncta totius lineæ terminativa ab hac entitate, quòd non ſint in rerum natura; & dubitatio quæ ſupereſt ſolùm ad puncta terminativa partium lineæ reducitur, de quibus proximè inquirendum.

Tertia, in commune, & proprium.

9. Tertio loco, terminus partialis ſeu punctum terminativum partis lineæ eſt duplex, vel commune, vel proprium. Non quòd hæc ſint duo puncta, ſed quòd idem diverſimodè conſiderari atque applicari poſſit. Nam in linea *a b c*, punctum *b* eſt tum commune, tum proprium, prout applicari poteſt. Si enim applicetur ſoli parti *a b*, eſt proprium iſtius partis; & ſimiliter ſi applicetur ſoli parti *c b*, huic quoque appropriatur: ſin tribuatur utrique parti ſimul, eſt utriuſque punctum terminativum commune. Quare hæc quoque diſtinctio à varia operatione intellectûs provenit. Si enim punctum terminativum partis integre concipiatur, eſt punctum commune: ſin inadæquatè, quatenus uni ſoli parti tribuitur, conſideretur, vocetur terminus proprius iſtius partis. Nihilominus punctum partiale commune, ubicunque ſignatur, innumeris linearum partibus commune eſt. Eſt enim quaſi

quasi centrum ad quod lineæ undique confluunt: ut ex hoc asteriſmo ✳ cernere est. Seorsim quoque idem centrum cuilibet radio sic confluenti applicari potest, eique appropriari. Veruntamen apud authores utplurimum punctum tam commune, quàm proprium, strictiùs accipitur; nimirum quatenus partibus unius lineæ, sive rectæ sive alterius speciei, tribuitur: & hoc sensu est vel duabus partibus lineæ commune, vel alterutri appropriatur, ut modò explicuimus. Atque eodem sensu dehinc accipimus, nè alioquin multitudine partium linearum (quæ omnes, quoad rem præsentem, ejusdem rationis sunt,) obruamur. Quæro igitur, an punctum partiale, sive quatenus terminus proprius, sive quatenus terminus communis, aliquid positivum extensioni addat: & primò inquirimus de puncto proprio.

10. Punctum terminativum proprium partis duo manifestè connotat; quorum alterum positivum, alterum negativum est. Positivum est, partem ad terminum signatum extendi; negativum, non extendi ultrá. Hæc duo totam rationem puncti terminativi partialis proprii exhauriunt. Ut exempli causâ, punctum terminativum *b* in linea *a b c*, respectu solius partis *a b*, est terminativum proprium. Significat ergò partem lineæ *a b* ad *b* extendi, & non ultrá. Certum est hoc totum significari, & nihil præterea. Siquidem ad hujus puncti proprii conceptum nihil insuper requiritur. Dices, simul significari partem lineæ *c b* ad *b* produci, & non ultrá. Fateor, si terminationi istius partis similiter seorsim comparetur: sed hîc soli parti lineæ *a b* comparatur, & consequenter hîc nihil aliud quàm quod suprà exprimitur significat. Insuper, perinde est sive punctum uni, sive alteri, sive utrique parti simul applicetur. Tantundem enim ubique denotat; nimirum, partem lineæ cui applicatur usque ad punctum *b* extendi, & non ultrá. Dices, punctum *b* significare præterea punctum commune, ut & continuativum; quæ puncta aliquid positivum extensioni addunt. Verùm hæc objectio potiùs spectat ad examen termini communis, quid extensioni addat, de quo proximè dicendum.

Punctum terminativum proprium quid significat.

11. Punctum terminativum commune, quatenus simul punctum continuativum includit, proculdubio aliquid extensioni addit:


Terminativum commune quid.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 507 sur 591

©BIUM

Continuativum ab eo diſtingui.

addit : ſed punctum hoc dupliciter accipitur ; vel ſtrictiùs, quatenus duos aut plures terminos partium proprios ſimul complectitur ; vel latiùs, quatenus præter eos includit etiam continuitatem. Priore ſenſu, duas affirmationes, duáſque negationes, partem lineæ *a b*, & partem *c b*, ad *b* extendi, & neutram ultrà, complectitur. Quare præter affirmationes, negationem, duabus (imò omnibus) linearum partibus ad centrum ſignatum confluentibus communem, (eas non ultrà extendi) dicit. Eſt igitur, hoc ſenſu, communis negatio ulterioris extenſionis partium lineæ in centro concurrentium. Verùm in poſteriore præter affirmationes & communem negationem, continuitatem in loco ſignato denotat, quæ, ut ſuprà monſtravi, eſt perfectio, & conſequenter res poſitiva. Hæc omnia ſequente exemplo illuſtrari poſſunt. Supponamus tria corpora (quorum ſuperius ſit cubus duplò longior duobus inferioribus) ſe mutuò tangentia ; prout hîc quoquo modo obumbrantur. Linea *a c* duplò longior eſt *d e*, aut *f g*. Sed duæ lineæ *d e* & *f g*, ſi ſimul ſumantur, reſpectu extenſionis æquales ſunt toti lineæ *a c*. Verùm reſpectu continuitatis, ſuperior linea *a c* aliquid continet quod non continent duæ lineæ inferiores, etiamſi ſimul ſumantur : nempe punctum continuativum *b*, quod duobus punctis terminativis reſpondet. Nam duo puncta proxima *e f* ſe tangunt ſecundùm ſe tota ; hoc eſt, nihil ſpatii occupant, nec mutuum & immediatum contactum duarum linearum *d e* & *f g* in punctis *e* & *f* impediunt. Imò ultima extremitas lineæ *d e* à principio lineæ *f g* non longiùs diſtat quàm pars lineæ *a b* diſtat à parte lineæ *c b* : quæ tamen partes puncto continuativo *b* nectuntur : ità ut unum punctum continuativum duobus actu terminantibus æquiparatur. Quæro igitur primò, cur duo puncta terminativa *e* & *f* in unum commune (quemadmodum in ſuperiore linea pars *a b* & *c b* in unum punctum *b* coeunt) non coaleſcant. Profectò nulla ratio reddi poteſt, niſi quòd duæ lineæ *d e* & *f g* non confœderentur in unam lineam totam, nec ſibi invicem communicentur ut partes ejuſdem totius, ſed ſuis terminis ſeorſim claudantur. Si enim ſupponas extremitates linearum *d e* & *f g* ſe mutuò tangere, & in unum totum



totum ut partes ejuſdem confœderari, nihil præterea ad earum continuitatem deſideratur. Ipſo enim facto duo puncta terminativa *e* & *f* in unum continuativum quaſi confluunt & abſorbentur. Etenim ex parte extenſionis nihil deerat antea. Linea enim *d e* æqualis erat parti lineæ *a b*, & linea *f g* parti *b c*. Quod ergò deerat erat ſolum punctum continuativum, quod, (ut dixi) confœderatis in unum partibus, eo ipſo adeſt. 2. Hinc diſcimus, punctum terminativum de proprio nihil addere extenſioni præter negationem, *lineam non ultrà extendi*. Nam affirmatio, lineam ad punctum ſignatum uſque extendi, ad partes extenſionis ſpectat. 3. Hinc colligimus quoque differentiam inter terminum partis proprium, & terminum totius, non conſiſtere in ratione terminationis, ſed in ſola ratione conjunctæ continuitatis. Si enim ſolvatur modò continuitas in puncto *b*, cæteris omnibus manentibus immutatis, linea *a b* cum linea *d e* eodem planè modo terminabitur. Terminus enim *a* cum termino *d*, & terminus *e* cum termino *b*, omnino coinciderint. 4. Hinc evincimus, punctum continuativum, quà continuativum, aliquid poſitivum extenſioni addere. Etenim duæ lineæ inferiores *d e*, & *f g*, ex parte extenſionis æquales ſunt toti lineæ ſuperiori *a b c*: nihilominus inferiores *d e*, & *f g*, carent continuitate, quæ entitas poſitiva eſt. Cùm ergò ſuperior linea præter punctum continuativum *b* nihil contineat quod in inferioribus ſimul ſumptis non perinde reperiatur, conſtat punctum continuativum *b*, quà continuativum, hanc entitatem ſuperiori addere. 5. Hinc deducimus, punctum continuativum non propriè & formaliter extenſioni addere negationem ulterioris extenſionis, ſed negationem diviſionis. Negatio enim ulterioris extenſionis propriè ſpectat ad punctum terminativum: Negatio autem diviſionis eſt de formali ratione puncti continuativi. Punctum enim *b*, quà continuativum, non dicit partem lineæ *a b* non ultrà extendi, ſed continuari ſeu communicari parti *b c*, hoc eſt, partes *a b* & *b c* in puncto *b* non dividi. Verùm idem punctum *b*, quà terminativum, dicit nec partem *a b* nec partem *c b* ultra *b* produci. Denique, hinc inferimus, punctum continuativum, quà tale, non addere aliquid extênſioni tanquam modum terminativum aut appendicem extenſionis, (ut videtur inſinuare Suarius)

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 509 sur 591

©BIUM

rius) sed mutuam confœderationem partium in puncto *b*, quæ inhæret in ipsis partibus confœderatis, non in positivo aliquo intermedio puncto terminativo, tanquam in proximo subjecto. Nam pars lineæ *a b* est ejusdem terminationis seu terminatæ longitudinis cum linea *d e* ; ut & *c b*, cum *f g*: neque datur locus termino positivo intermedio. Siquidem duæ lineæ *d e* & *f g* æquales sunt toti lineæ *a b c*. Punctum itaque continuativum dicit modum communionis partium immediatarum, non terminum positivum intermedium. Urgeri potest, in ligno partim arido, partim virente, occurrere continuitatem absque communione naturæ. Reponimus, dari communionem ex parte generalis naturæ materiæ, ad quam extensio primò & propriè spectat ; quanquam non ex parte formæ seu naturæ additionalis. Iterum urgeri potest, indivisibile non posse inhærere in partibus extensis. Respondeo, satis esse, totam continuitatem habere sibi proportionatum subjectum. Tota enim continuitas est coextensa tam materiæ quàm ipsi extensioni, & utrasque in omni puncto assignabili continuas seu indivisas præstat. Utpote extensio est accidentalis modus materiæ, & continuitas est alius modus eam afficiens. Hæc enim tam materiam quàm extensionem continuat : ut illa tam materiam quàm continuitatem extensas reddit. Fateor tam extensionem terminatam quàm continuitatem ad interminatam quantitatem, tanquam duos ejusdem terminos, spectare, ut suprà declaravimus. Quòd verò aliàs continuitas & extensio sunt satis inter se distinctæ, patet, quòd illa manere possit, hâc mutatâ ; ut in condensatione & rarefactione : & hæc, mutatâ illâ ; ut in partibus divisis, in quibus extensio partium materiæ solutâ continuitate præservatur. Nam linea continua *a b c* est æqualis, respectu extensionis, lineis divisis *d e* & *f g* : nec divisio minuit aut auget extensionem. Insuper accidens indivisibile materiale facilè inhærere potest in re extensa. Majus enim haud difficulter continet minus. Sed contrà, res extensa in puncto indivisibili contineri nequit. Verùm dices non esse ratiocinium conforme, indivisibile continuativum esse positivum, & terminativum non esse. Mihi autem rationi maximè conforme videtur, id quod negationem perfectivam subjecto addit esse quid positivum, non item id quod solam negationem limitantem

limitantem adfert: at punctum continuativum ſubjecto adfert perfectivam negationem [non dividi;] punctum autem terminativum negationem limitantem [non ultrà extendi.] Revera ſi terminari ſeu limitari eſſet perfectio, facilè concederem eſſe quoque poſitivum.

Subſiſtentiam modalem non dicere ſolam negationem.

12. Urgebis adhuc, hiſce conceſſis, ſubſiſtentiam modalem nullam includere perfectionem, ſed ſolam negationem unionis cum omni alio; & interim ex ſuprà dictis eſſe poſitivam. Eodem enim modo quo punctum terminativum ad [non ultrà extendi,] ea ſubſiſtentia ad [non alii uniri] materiam limitat. Imò ſi negatio diviſionis ſit perfectio, quî fiat ut negatio unionis (cùm contrariorum contraria ſit ratio) non ſit imperfectio? Reſpondeo, ſubſiſtentiam modalem non dicere ſolam negationem unionis, ſed inſuper includere corporis ab omnibus aliis diviſi complementum in ſe: hoc autem complementum clàm inſinuari ſub negatione unionis cum omni alio. Eſt verò in re actus vitæ, quo ſubſtantia ſibi ſoli conſœderata (ut ſuprà declaravimus) in partibus ſibi relictis ut ad integritatem ſuam ſufficientibus acquieſcit. Jam verò punctum terminativum non eſt hujuſmodi actus, nec totum complet. Dices ſuperficiem ultimam, quæ eſt quid indiviſibile terminativum, complere corpus, id circumſcribendo ab omni alio. Reſpondeo, aliud eſſe, corpus circumſcribere negativè, [id non ultrà extendi;] aliud, acquieſcere in ſuis partibus quatenus ſic circumſcriptis. Hoc, eſt actus vitæ, & verum complementum totius; illud, negatio ulterioris extenſionis, & nihil poſitivum.

Quomodo figura inhæret.

13. Sed urget Suarius, figuram hærere in ſuperficie: addere poſſumus, & colores quoque. Verùm figura non ſolùm ſuperficiei, ſed & corporis figura eſt. Eſt enim modus reſultans ab actuali ac poſitiva extenſione partium corporis. Reſpicit itaque corpus ut ultimam ſuam baſin, ſed extenſionem ut intermediam. Verùm quòd extenſio dupliciter, intrinſecè ſeu poſitivè, [quatenus eouſque extenditur,] & extrinſecè ſeu negativè, [quatenus non ultrà,] terminetur; fit ut figura quoque duplicem conſequatur terminationem, poſitivam, [quatenus partes corporis eouſque actu extenduntur,] negativam, [quatenus non ultrà.] Quare figura eodem modo eſt entitas poſitiva quo extenſio: quà fundatur in ex-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 511 sur 591

©BIUM

tenſione partium, hucuſque extenſarum eſt poſitiva ; quà negat earum ulteriorem extenſionem, eſt negativa. Superficies autem ſupponit partes ad ſe uſque extendi, quo reſpectu aliquid ponit : ſed negat eas ulteriùs extendi, & ſic ſolùm negativa eſt. Sed dices figuram prædicari de ſuperficie ; ut ſuperficies eſt vel planæ, vel gibboſæ figuræ, &c. Fateor, quia illa fundatur in intrinſeca extenſione partium, quam ſupponit ſeu connotat, cuíque de proprio [ſe non ultrà extendi] addit, ità eſſe. Extenſio enim poſitivum & proximum ſubjectum eſt ſuperficiei, & ſuperficies eo reſpectu intermedium ſubjectum figuræ : minimè itaque mirandum ſi hæc de illa ſaltem obliquè prædicetur. Idem, mutatis mutandis, dicendum eſt de coloribus. Superficies quatenus connotat extenſionem partium ad ſe protendi, eſt ſubjectum colorum ; ſed non quatenus negat ulteriorem earundem extenſionem. Atque adeò dedimus operam, intricatam hanc de entitate indiviſibilium controverſiam qualitercunque decidere. Jam proximo loco procedendum ad rationes diviſibilitatis exquirendas. Sed video hoc Caput præter ſpem excreviſſe. Conſultius ergò fuerit, hîc pauſam Lectori indulgere, & in proximum differre.

Cap. XXXII.

De Diviſione & Diviſibilitate.

Tria ad actualem diviſionem requiri.

1. Ad actum diviſionis requiritur dividuum, & dividens. Illud poteſt dividi, hoc dividere. Etenim dividi, potentiam paſſivam ſeu receptivam, dividere, activam implicat. Ad potentiam proximam ſeu diviſibilitatem completam tria requiruntur : 1°. *habere partes* ; 2°. *habere partes actu extenſas, ſeu quantas, & continuas* ; 3°. *eſſe impotentium ad ſuam continuitatem vindicandam, quàm eſt dividens ſeu diviſor ad ſolvendam.* Ex hiſce tribus oritur relatio ea tranſcendentalis quæ eſt inter rem dividuam & actualem ejus diviſionem, quam diviſibilitatem vulgò vocamus ; de qua quatenus relativa non opus eſt plura attexamus, cùm de potentiis tam activis

activis quàm paſſivis ſuprà fusè egimus : ſed abſoluta entitas iſtius potentiæ in dictis tribus requiſitis conſiſtit. Quibus poſitis, relatio neceſſariò reſultat ; ſublatis, tollitur : quibúſque rectè intellectis, relatio, ejúſque fundamentum, ſatis intelligitur.

2. Primum fundamentum generale ad hanc potentiam requiſitum eſt, *habere partes*. Quod enim caret partibus, non habet in quod reſolvi poteſt. Nam dividi eſt in partes dividi. Deus ergò & punctum mathematicum ſimpliciter indiviſibilia ſunt. Deus, ob infinitam unitatis atque entitatis perfectionem : (eſt enim actus purus & ſimpliciſſimus, nullóque modo ex partibus compoſitus :) punctum, ob defectum entitatis in quam diſſecetur. Ut igitur aliquid dividatur, neceſſe eſt habeat partes : non verò inde ſequitur, quicquid habet partes poſſe dividi. Conſtare enim poteſt ex partibus quarum una non eſt alia, etiamſi eæ partes ob aliam cauſam ſint indiſcerpibiles. Angeli enim non penitùs deſtituuntur partibus, & interim dividi nequeunt. Quare ad realem diviſibilitatem habere quoquo modo partes non ſufficit. *Primum requiſitum, habere partes.*

3. Secundum itaque requiſitum ad diviſibilitatis reſultationem eſt, *habere partes quantas, ſeu actuali extenſione præditas, & quidem continuas*. Quantitas actualis requiritur, ut id quod dividuum eſt ſit tangibile ſeu tractabile : nimirum ut vel trudi, vel prehendi, ſeu trahi, poſſit. Quod verò caret quantitate, non pellitur, aut diſtenditur, ſeu rumpitur ; ſed corpora impetum facientia ſuâ ſubtilitate penetrat, eorúmque vim illæſum ſubterfugit. Subſtantia enim una, niſi vel mole corporeâ, vel quantitate terminatâ & actuali (ab illa reſultante) armetur, aliam à ſuo loco non trudit aut arcet. Cùm ergò ſpiritus careant mole corporeâ, ut ſuprà declaravimus, & conſequenter quantitate, corporibus allidere nequeunt ; nedum aliis ſpiritibus. Quocirca ſpiritus nec vapulare nec atteri nec vellicari à corporibus queunt ; multò minùs ab iis dividi. Porrò, ut corpus dicatur dividuum, requiritur ut ſit actu continuum. Dividuum enim eſſe, eſt poſſe dividi, non eſſe actu diviſum. Actualis itaque continuitas ad diviſibilitatem requiritur. *Secundum, habere partes quantas.*

4. Ultimò, ad realem diviſibilitatem requiritur, ut *materia dividua impotentior ſit ad ſuam continuitatem vindicandam, quàm eſt diviſor ad dividendam*. Natura ſolutionem continuitatis *Tertium, diviſorem eſſe ſe fortiorem.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 513 sur 591

©BIUM

ſuæ exhorreſcit. Inſurgit itaque ad eam tuendam, & aggreſſorem, niſi ſe fortiorem, repellit: ſin hic fortior ſit, actu lacerat, vulnerat, aut divellit continuum. Duplex itaque eſt potentia ſeu capacitas diviſionis: alia remota, alia proxima eſt. Illa frequenter ſuſpenditur, & nunquam fortaſſe deducitur in actum: hæc illico in actualem diviſionem erumpit. Prior enim tantùm paſſiva eſt, & quaſi materia diviſibilitatis, duáſque ſolummodo priores conditiones ad diviſibilitatem requiſitas complectitur. Habet enim partes, eáſque extenſas ſeu quantas, & continuas: abeſt autem cauſa diviſionis compos; nec res dividua ſe dividit, ſed quantum poteſt ſuam continuitatem defendit. Quare ubi ſuprà tria ad diviſibilitatem completam neceſſaria poſui, non intelligitur de hac paſſiva ſola, quæ ſe nunquam actuat; ſed de potentia completa & proxima, quæ, præter capacitatem materiæ dividuæ, concretè includit, aut ſaltem ſupponit, cauſam activam diviſionis potentem. Interim de utraque diviſibilitate aliquid dicendum eſt: & primò, de paſſiva abſtractè ſumpta, nullo habito reſpectu ad activam virtutem diviſoris, an dividere potis ſit, an ſecús: deinde verò de eadem concretè cum cauſa activa; nimirum, vires hujus cum potentia illius conferendo. Paſſivæ diviſibilitati infinitas quædam à nonnullis tribuitur; viz. materiam dividi poſſe in partes ſemper diviſibiles: ab aliis hæc infinitas negatur. Unde quæſtio difficillima, & quæ propè humanum ſuperat ingenium, exorta eſt. Nihilominus ſunt qui adeò certi de ea videri volunt, ut hinc ſua totius naturæ principia petere & aſſerere audeant. Sunt & alii tam incerti, ut eandem potiùs ad materias infinitæ diſputationis relegandam putent. Utcunque illuſtria ingenia ab ejus ſpeculatione vix ſe temperare poſſunt; & propterea iis quoque (ſi quâ poſſim) ſubſervire tentabo.

An quantum ſit diviſibile in infinitum.

5. Omnes, tam Phyſici quàm Mathematici, pro certo habent, omne quantum conſtare ex partibus. Si enim extenſio ſit ipſa eſſentia quantitatis, neceſſe eſt quantum quà quantum ſit extenſum; & eo quòd extenſum, habeat partes extra partes. Extenſio enim nihil aliud ſignificat niſi poſitionem unius partis extra aliam, & conſequenter, rem ſic poſitam eſſe in eas partes dividuam. Nemo, quod ſciam, de his hactenus dubitavit. Infero, cùm omne corpus ſit quantum, extenſum, & dividuum,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 514 sur 591

duum, cúmque quælibet corporis particula (utcunque exigua) ab aliis diviſa ſit corpus, fuerit adhuc ulteriùs dividua, & ſic in infinitum. Nunquam enim dividi poteſt in particulam adeò exiguam, quæ diviſa non ſit corpus; neque unquam ad puncta purè mathematica reali diviſione pervenire licet. Quare ſi omnis atomus ſit adhuc corpuſculum, quantúmque, & continuum, utcunque ulteriorem diviſionem reſpuat, eſt tamen de natura ſua paſſivè diviſibilis ſeu dividua; & infinitas quædam hujus diviſibilitatis omni corpori hoc modo competit.

Atomus vel diviſibilis vel nihil eſt.

6. Inſuper atomus vel eſt corpuſculum, vel punctum mathematicum. Si hoc dicatur, atomus nihil eſt; (punctum enim mathematicum, ut ex ſuprà priore Capite dictis conſtat, negationem, non entitatem poſitivam, quanto adfert.) Sin illud, atomus eſt quanta & continua, adeóque diviſibilis, & continet partes; & corpus non componitur ex ſimpliciter minimis actu exiſtentibus, nec datur corpus ità minimum ut nullas contineat partes ſe minores: imò nec ex certo atomorum numero corpus componitur. Si enim ex numero impari componi ſupponatur, nequit dividi in duas partes æquales; quod communi experientiæ repugnat: omne enim corpus biſecari poteſt: & conſequenter, ex certo atomorum numero non conflatur. Similiter numerus denarius nequit in tres æquales partes dividi; nec corpus, ſi dicatur ex decem ſolùm atomis conſtare. Adhæc, diagonalis linea coſtæ quadrati non Arithmeticè reſpondet, nec ex numero partium ejuſdem rationis ſeu magnitudinis concinnatur. Corpora itaque ex indiviſibilibus non componuntur.

Atomus nihil addit extenſo.

7. Porrò atomi, ſi ſimpliciter indiviſibiles ponantur, carent omni extenſione. Quare non addunt extenſionem rebus quibus apponuntur. Nihil enim dat quod in ſe non habet. Dices, unitatem unitati additam efficere numerum, cùm neutra fuiſſet numerus ante compoſitionem: & ſimiliter atomum atomo adjunctam efficere extenſionem, etiamſi neutra per ſe fuiſſet extenſa. Corpus enim ex duabus atomis compoſitum eſt in duas partes diviſibile. Habet enim partem unam (nempe unam atomum) extra aliam, & conſequenter eſt extenſum. Regeri poteſt, atomos, ſi omni quantitate planè orbentur, non plus contribuere ad compoſitionem quanti quàm puncta mathematica:

©BIUM

thematica : at puncta mathematica nunquam poſſunt exſtruere quantum. Oſtenditur propoſitio, quia punctum mathematicum & atomus, in eadem ratione eſſendi, (nempe in ratione extenſionis,) ſimpliciter indiviſibilia ſunt. Nunc, ſeu inſtans, à puncto diverſi generis indiviſibile eſt. Siquidem ſpectat ad terminationem temporis, non ad terminationem extenſionis. Verùm quemadmodum impoſſibile eſt in tempore, præter inſtantia, ſint plura indiviſibilium genera : ità in extenſione, præter puncta, plura ſimpliciter indiviſibilium genera aſſignari nequeunt. Cùm enim utraque, tam atomus quàm punctum, in eodem corpore & eodem ejuſdem loco aſſignabilia ſint, & utraque ſint ibidem indiviſibilia ; quo modo inter ſe differant concipi non poteſt. Si enim atomus nihilo plus ſpatii quàm punctum in continuo occupet, hoc ab illa nullo modo diſcriminatur : ſin illa plus occupet, quanta eſt & diviſibilis. Nam id totum quo ſuperat punctum præcîdi poteſt. Quare punctum mathematicum & atomus, ſi hæc planè indiviſibilis ſit, æquipollent, ſeu potiùs idem ſunt. Dices, te non intendere per atomum punctum mathematicum, ſed minimum naturale. Sed hæc evaſio vel nulla eſt, vel largitur atomum non eſſe ſimpliciter indiviſibilem. Minimum enim naturale duplici ſenſu dicitur minimum : vel ſimpliciter, quòd nihil magnitudinis ſeu nihil partium in ſe habeat ; & ſic non differt à puncto mathematico, niſi quòd alio nomine & ſatìs improprio (viz. minimi naturalis) vocetur ; cùm natura materialis in ſimpliciter indiviſibili conſervari nequeat : vel minimum naturale dicitur quod à nullo diviſore ulteriùs comminui poteſt ; non quòd nullas habeat partes, ſed quòd ob parvitatem ictum aciémque ſubtiliſſimi diviſoris eludat. Hoc ſenſu minimum naturale eſt corpus, & totum quoddam naturale. Habet ergò partes, & eſt de natura ſua diviſibile ; quanquam ob impotentiam diviſoris dicitur actu minimum. Si hoc ſenſu atomus ſumatur, habeo quod vellem : Conceditur enim quod in argumento intendebatur, atomos non eſſe ſimpliciter individuas. Sin priore, non differt à puncto mathematico, ut oſtenſum eſt. Aſſumptionem quod attinet, puncta mathematica non componere quantitatem, probatur, quòd nihil poſitivum quantitati addant, ut ſuprà declaravimus. Etenim quod nihil poſitivum non-extenſo addit, non facit

facit extensum: at una atomus simpliciter indivisibilis alteri similiter indivisibili nihil positivum adfert. Quod ad replicam spectat, unitatem unitati additam efficere numerum; dico, aliam rationem esse compositionis numeri, aliam corporis physici: illum esse ens rationis cum fundamento in re; hoc esse, si quod aliud, ens reale. Præterea, si punctum tangat punctum, tangunt (ut aiunt) secundùm se tota; carent enim partibus, ut latus lateri applicetur: sin non se mutuò tangant, non efficiunt continuum, sed discretum: & neutro modo componunt extensum. Dicunt aliqui, duo puncta posse esse ità immediata, ut non se mutuò penetrent. Sed non magnopere hîc soliciti sumus de nomine penetrationis: satis est, punctum secundum primo additum non prominere, quòd careat partibus quibus promineat. Dicunt, extremitates duarum linearum se mutuò tangere posse, nec tamen se mutuò penetrare. Impropria quidem est locutio, punctum sive penetrare, sive non penetrare. Est enim ac si diceres, *nihil* penetrare, vel non penetrare *nihil*; aut unam negationem terminantem aliam penetrare, vel non. Fateor duas linearum extremitates se mutuò tangere posse, sed non virtute alicujus indivisibilis entitatis, sed per connotationem contactûs duarum linearum quas terminant. Nihil enim spatii hoc modo occupant. Quod sic demonstro. Sint tres lineæ, quarum superior sit duplò longior duabus inferioribus, ut $\frac{a\ b\ c}{d\ e\ f\ g}$. Prior medietas superioris *a b* supponitur æqualis inferiori *d e*, & secunda *b c* inferiori *f g*. Jam verò duæ lineæ inferiores quatuor punctis terminantur, superior tantùm tribus. Nam *b* respondet duobus sibi subjunctis *e* & *f*. Siquidem puncta *e* & *f* simul non plus spatii occupant, aut plus extensionis habent, quàm unum punctum indivisibile *b*; hoc est, neutrum quicquam habet. Etenim si plus sumerent spatii duo puncta linearum inferiorum quàm unum superioris, duæ lineæ inferiores longiores forent superiore, contrà quàm supponitur. Patet ergò, quartum punctum inferiorum linearum nihil addere dimensionis supra tria puncta superioris; & consequenter, quartum hoc punctum additum nihil positivum secum adferre. Aliter & breviùs.

©BIUM

breviùs. Sit linea $\frac{a\ b\ c}{e\ f}$, secetur in puncto *b*. Jam duo puncta *e* & *f* resultant, & se mutuò tangunt in *b*. Sed duo nova hæc puncta (quamvis eorum unum sit additionale) non reddunt lineam quàm fuit antè longiorem. Quare punctum puncto additum non addit aliquid novæ extentionis. Atque hæc & plurima alia quæ passim apud Auctores occurrunt, ad quos Lectorem refero, in favorem infinitæ divisibilitatis corporum adduci possunt. Verùm è contrà vix minoris momenti objectiones ad suadendam adversam partem adferri solent.

Argumenta contra infinitam divisibilitatem.

8. Ordimur à comparatione quantitatis continuæ & discretæ. Multi inferunt, quòd quemadmodum hæc speciem aliquam infinitatis respectu additionis, ità illa respectu divisionis, sibi arrogat. Aiunt enim, ut ad numerum quo non datur major, ità ad particulam quâ non datur minor, pervenire non licet. Veruntamen hæc ratiocinatio infeliciter procedit. Magnum enim discrimen est inter infinitatem cui quantitas discreta, & eam cui quantitas continua, prætendit. Illa dato cuivis numero extrinseca est: hæc cuivis continuo intrinseca est. Omnes enim continui particulæ in se actu clusæ sunt. Verùm ut finitum actu includeret partes infinitas, adeò torsit & fatigavit subtilissima ingenia, ut plurimis, difficultate victis, potiùs placuerit, contrariam sententiam, continuum non esse in infinitum dividuum, sustinere.

An divisibilitas infinita sit potentialis.

9. Aliqui, ut defendant infinitam divisibilitatem, dicunt potentialem, non actualem, esse: & quidem ipsa vox *dividuum* seu *divisibile* potentiam, non actum, sonat. Verùm ut aliquid dicatur potentiâ divisibile in infinitum, oportet in se actu includat partes infinitas. Quod enim in se nullas habet partes, non est divisibile; quod paucas, paucis vicibus divisionem sustinet; quod multas, multis. Ut ergò infinitas divisiones ferat, opus est infinitas contineat partes. Quanquam enim divisio dicitur potentialis, partes tamen in quibus ista divisio fundatur debent esse actu. Nimirum, ut aliquid sit in potentia ad divisionem, oportet habeat partes actu, in quas dicitur posse dividi. Potentia enim divisibilitatis non satis fundatur, nisi actu adsint partes in quas id quod divisibile dicitur dividi potest. Quare continuum non est potentiâ divisibile

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 518 sur 591

©BIUM

visibile in infinitum, nisi actu includat partes infinitas. Neque quidem facile est concipere partes potentiales, sive partes in potentia. Vel enim dicuntur in potentia, quia nondum actu sunt in rerum natura; vel quia, etsi actu in continuo exsistunt, nondum tamen actu ab invicem dividuntur. Priore modo responsum non valet. Nam partes quæ nondum exsistunt in rerum natura non sunt sufficiens fundamentum divisibilitatis. Id enim de præsenti non rectè dicitur divisibile, quod de futuro tantùm habet partes; neque divisibile est antequam illæ partes actu exsistunt. Neque quidem posteriore satisfacit, quia largitur eas actu exsistere infinitas, etiamsi non actu dividantur. Quod autem continet partes quantas infinitas actu exsistentes, quanquam non actu divisas, actu infinitum esse videtur.

10. Respondent aliqui, divisibilitatem infinitam ad continuum spectantem non esse physicam, sed tantùm mathematicam; & infinitas partes mathematicas non ponere corpus physicum actu infinitum. Verùm vix sic evadunt. Etenim puncta non sunt lineæ partes mathematicæ. Non enim admittunt Mathematici componi lineam ex punctis, sed ex lineis minoribus semper divisibilibus. Agnoscunt verò in brevissima parte lineæ puncta assignabilia usque & usque sine termino contineri. Videntur ergò agnoscere puncta infinita in linea; sed ea, cùm non sit quanta, nihil addere quantitati lineæ, nec esse cur indè metuamus nè linea excurrat in infinitum. Atqui regeritur, duo puncta in linea non esse proxima. Si ergò dentur in linea infinita puncta, dantur particulæ infinitæ iis punctis interceptæ. Quare, quantum video, difficultas recurrit, & non minor est in mathematicis quàm physicis. Nam si quælibet linea contineat infinitas particulas infinitis punctis actu interceptas, nulla ratio reddi potest cur ista linea non dicatur in infinitam longitudinem excrescere. Cùm enim constet ex particulis infinitis, quarum singulæ aliquid longitudinis adferunt, necessariò in infinitum protrahitur. Quis enim numerus mensuræ finitæ, quantumvis reduplicatus aut multiplicatus, vel medietatem hujus lineæ æquaverit? Siquidem quod continet infinitas partes, ejus quælibet quoque particula infinitas continet. Quod enim extensivè infinitum est, si ex finitis extensivè constet, eò infinitum est, quòd ex numero in-

An infinita divisibilitas sit mathematica. Negatur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 519 sur 591

©BIUM

finitis componatur. Finitum enim, nisi in infinitum multiplicetur, nunquam assurgit ad complendum infinitum: sed multiplicatio in infinitum est planè impossibilis. Supponit enim numerum infinitum, quem nec additione augere, nec subtractione minuere, licet. Cùm ergò numerus infinitus sit impossibilis, impossibile quoque est ut infinitum componatur ex finitis quotiescunque reduplicatis.

Corpus physicum includit mathematicum.

11. Porrò, corpus physicum in se includit corpus mathematicum; nempe longitudinem, latitudinem & profunditatem. Quare quicquid tribuitur corpori mathematico gratiâ longitudinis, latitudinis aut profunditatis, bono jure in corpus physicum transferatur, quòd hoc illas realiter in se contineat. Cùm ergò, secundùm Magnenum, corpus mathematicum admittitur continere partes infinitas, corpus physicum minores continere nequit; juxta illud, *Quod continet continens, continet contentum.* Si ergò corpus mathematicum puncta, lineas superficiésque infinita in se complectatur, quî fiat ut physicum non eadem contineat? Quare vixdum satisfactum est huic difficultati.

Infinitatem partium non esse extrinsecam.

12. Alii igitur alias distinctiones applicant. Aiunt enim duplicem esse infinitatem, aliam intrinsecam, aliam extrinsecam; & divisibilitatem infinitam esse continuo extrinsecam, non intrinsecam. Sed si infinitæ partes in continuo intus comprehendantur, non video quo sano sensu vocentur extrinsecæ. Quare aliam adjungunt distinctionem, quæ obscurior est, eóque minùs apertè impugnari potest. Dicunt partes esse infinitas non *categorematicè*, sed *syncategorematicè*. Verùm postquam apertè quid volunt eloquuntur, vixdum sub hoc scuto satis tuti delitescunt. Aiunt enim partes non esse directè infinitas, sed non tot numerari posse quin plures adsint. Verùm hoc suas quoque patitur difficultates. Quot enim partes in continuo insunt, tot simul & actu insunt, nec plures nec pauciores. Cùm enim sint per realem, certam & determinatam entitatem, impossibile est ut sint plures aut pauciores quàm per eam entitatem certò sunt. Quare ad certum numerum, sive finitum sive infinitum, determinantur, & frustrà dicuntur innumerabiles, seu non tot quin plures. Revera in additione ità est, non tot numerari posse quin plures addentur. Partes enim addendæ sunt manifestò extrinsecæ.

Sed

Sed in divisione, quando omnes partes actu exsistunt, nihil addi potest quod in dividuo non priùs actu continebatur. Si ergò divisio in infinitum procedat, est quia dividuum in antecessum infinitas partes continebat. Cúmque eæ partes toti sint intrinsecæ, dic quo sensu hæc infinitas sit extrinseca.

Indefinitas partes non sufficere.

13. Alii igitur dicunt, continuum non esse dividuum in infinitas partes, sed solùm in indefinitas; & conformiter partes non esse infinitas, sed duntaxat indefinitas. Sed recurrit difficultas, quia partes continui intra terminos clauduntur, nec ex indefinita entitate constant. Quælibet enim particula, & particulæ particula, definitâ extensione seu dimensione limitatur & circumscribitur. Dices, tot partes in continuo contineri quot nullo numero finito comprehendi queant; imò si plures usque & usque addideris, nunquam numerum partium in continuo exsistentium æquaveris. Non enim est ulla proportio inter ultimas particulas ejus & ullum determinatum numerum; sed illæ hunc, utcunque auxeris, perpetuò superaverint. Verùm quis negare potest intellectum Divinum capere posse integrum numerum particularum in continuo? & sic non sunt simpliciter innumerabiles. Cognoscit enim Deus quid in qualibet re continetur, & quot particulas minimas habet. Fortè non opus fuerit plures difficultates attexere, cùm omnes propè fluant à vasta & non concilianda improportione ultimarum rationum continui & discreti.

Apparatus ad decisionem quæstionis.

1. Non hîc inquiri de principiis naturæ.

14. Quò facilius autem quid in hac re statuendum sit exquiramus, paucula, eáque, si fieri possit, notiora, dubiisque nonnihil lucis allatura, præmittenda sunt. Primò igitur, certum esse arbitror, hîc non inquiri de principiis naturæ corporum, sed de principiis seu partibus integrantibus ex quibus totum continuum concinnatur. Corpus enim variis modis componi dicitur; vel ex principiis essentialibus, materia & forma, vel ex elementis, vel ex partibus integrantibus. Materia & forma intellectæ naturam corporis cujus sunt evolvunt: elementa cognita mixturam & contemperationem variarum naturarum inter se explicant: partes integrantes, totius integralis quà talis compositionem exhibent. Multi iique celeberrimi viri, victi difficultatibus quæ in explicati-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 521 sur 591

©BIUM

one infinitæ diviſibilitatis corporum obviàm fiunt, eorum ultimam compoſitionem ex minimis quibuſdam particulis indiviſibilibus, quas atomos vocant, conſtare aſſeruerunt. Hiſce atomis, ut putant, inventis, de quibus multùm & diu cogitaverant, (prout mos eſt hominum, viz. omnia ad ea in quibus potiſſimùm verſati fuerant reducere,) univerſam rerum naturam naturæque variationes adſcripſerunt. Sed profectò perperám. Etenim etiamſi iis concedatur dari minimas particulas, ſeu minima naturalia, quæ ob parvitatem non poſſunt ulteriùs actu dividi; non tamen indè ſequitur eſſe principia naturæ. Etenim principia integrantia quà talia integram magnitudinem componunt, ſed hoc nomine naturam non definiunt. Siquidem numerus atomorum corpus aliquod ingredientium cognitus, ſolam materiæ molem, non legem operandi, in qua natura conſiſtit, detegit. Verùm aliqui pertinaciter contendunt, aliam naturam præter magnitudinem, figuram & motum localem, non eſſe quærendam. Agnoſcimus magnitudinem & figuram, quin & motum. Sed unde motus? Internum motûs principium id ipſum eſt quod nomine naturæ quæritur. Fateor partes integrantes poſſe magnitudinem & figuram exſtruere. Sed quid motum efficit? Magnitudo res ſtupida eſt, figura ignava; utraque per ſe merè paſſiva. Neutra itaque ad actionem aut motum inchoandum ſatis comparatur. Motus eſt effectus naturæ moventis, non ipſa natura. Quare partes integrantes, etſi declarent magnitudinem & figuram, non tamen ſive motum ipſum, ſive naturam, ejus cauſam, pandunt. Rejicimus itaque integralem compoſitionem in naturæ diſquiſitione, ut per ſe inſufficientem. Imò, ſi velimus naturam ſubſtantiæ in genere inquirere, non partes integrantes, ſed eſſentiales, conſulendæ ſunt. Exempli gratiâ, ſubſtantia ipſa, præter fundamentalem ſubſiſtentiam, quâ quaſi materialiter conſtituitur, in ſua quoque entitate naturam energeticam, tanquam formam, includit. Non quòd hæc in perpetuis pluſquam ratione inter ſe differant: ſed quòd ea ſit imbecillitas intellectûs noſtri, ut rem ſimplicem, aliter quàm per inadæquatos conceptus, à partibus eſſentialibus analogicè deſumptos, diſtinctè intelligere nequeamus. Quanquam verò in perpetuis partes eſſentiales ſolâ ratione differant: in mutabilibus tamen aliter eſt. Nam in his,

his, ut datur aliquid perpetuum, quod materiam, ità datur aliquid mutabile, quod naturam additionalem ſeu formam vocamus: quæ partes non integrantes, ſed eſſentiales ſunt, & pluſquam ratione inter ſe diſcrepant. Dices, atomos ſupplere vicem materiæ primæ, & variam atomorum compoſitionem additionales naturas ſufficere. Verùm ſi hoc detur, atomi tamen earúmque textura non id faciunt ut partes integrantes, ſed ut eſſentiales. Textura enim materiæ non eſt pars integrans, ſed, ex hac ſententia, eſt ipſa forma; adeóque ex atomis, ut materiâ, & ex textura earum, ut formâ, (quæ partes eſſentiales ſunt) corpora mutabilia componuntur. Verùm hæc ſententia nimiò plus quàm æquum eſt partium texturæ tribuit. Quid enim hæc textura? Nihil aliud videtur niſi varia atomorum poſitura inter ſe, fortè vacuo, ut nonnullis placet, ut aliis non, plùs minùs interſperſo. Non video quo jure ſolius poſituræ variationi tantas partes adſcribant. Manifeſtum enim eſt rerum ſpecies inter ſe eſſentialiter diſtingui: poſitura autem diverſa eſſentialem differentiam vix ſuppeditat. Aqua roſarum inter deſtillandum in vaporem elevata, quoad poſituram partium ab eadem aqua plurimùm diſcrepat: non tamen ab aqua roſarum ſpecie diſtinguitur. Quid quòd aqua roſarum & aqua communis deſtillatæ poſiturâ partium vix diſtingui queant, cùm interim naturâ ſeu ſpecie planè differant? Oleum cinnamomi deſtillatum multò diverſam partium poſituram in oleo, quàm in integro corpore habuerat, obtinet: non tamen videtur ſpeciem, ſaporem aut odorem mutâſſe. Utcunque, difficillimum eſt tantæ varietatis naturæ quanta in mundo cernitur hinc rationem reddere. Imò planè impoſſibile eſt, vel ſolius vitæ, ſive plantarum, ſive animalium, rationes, nedum ſenſuum, hinc deducere. Præterea, ſi omnes atomi ſint ejuſdem rationis, non video cur ſimile ſimili additum non ſimile producat. Profectò in arte medica ità eſſe experimur. Etenim ſi pulveres idem genus qui inſtar atomorum ſunt, variis modis effinxerimus, ut in trochiſcos, in pilulas, in bolos, &c. vel ſi in tincturas, in extracta aut eſſentias reduxerimus; ejuſdem virtutis remedium conficiunt. E contrà, utcunque rem comminuas, particulæ genium quem priùs nactæ fuerant retinent; nec quia mutârunt ſitum & compoſitionem partium, naturam priſtinam

Natura oritur à non-compoſitione partium integrantium.

©BIUM

priſtinam neceſſariò depoſuerunt. E. g. Rhabarbarum, ſive minutim incîdis, ſive in pulverem redigis, eandem vim tum purgandi, tum alterandi corpus noſtrum, exſerit. In corporibus ſimilaribus res aperta videtur. Non enim mutuantur ſuam naturam à compoſitione, cùm quælibet particula ſit ejuſdem naturæ cum toto. Si dividas aurum, particulæ diviſæ adhuc aurum ſunt, nec recipiunt denominationem auri à compoſitione inter ſe, ſed à natura ſua, quâ in ſpecie auri conſtituuntur. Organa quidem virtute organizationis vim quandam organicam ſibi adſciſcunt: Sed nomen naturæ vix merentur, cùm ſint hujus inſtrumenta; quæ eo fine organa conſtruxit, ut iis pro re nata tanquam ſuis utatur. Quare natura alia res eſt quàm quæ in compoſitione partium integrantium quærenda ſit. Hîc in memoriam revoco errorem nonnullorum mihi familiarium, qui, quòd corpora in tam exiles partes comminui poſſe, ut actu in minores dividi non queant, admiſiſſent, ſe Atomicorum principiis adſtrictos putârunt: cùm revera principia integrantia diverſi planè generis à principiis naturæ ſint, ut ex totius hujus Libri ſcopo facilè innoteſcat. Attamen quo ſenſu res eouſque comminui dicuntur, ut ulteriorem diviſionem reſpuant, infrà declarabitur. Interea loci, aliquid de diviſione partium continui, quæ hîc, quæque non, intenditur, ut quid per infinitam diviſionem, quídque per infinitum numerum partium intelligatur, inveniamus.

2. Non hîc quæri de partibus organicis, &c.

15. Secundò igitur, in hac controverſia quæſtio non inſtituitur de numero partium integrantium ſive organicarum, ſive fortaſſe ſimilarium. Nemo enim ſanus (uti arbitror) dubitat, an corpus ex infinito numero organorum componatur. Scit enim organicas partes conſpicuæ magnitudinis eſſe, & pauculas; præſertim, ad particulas in quas quodlibet unum organum concîdi queat comparatas. Ad ſimilares quod attinet, hæc diviſio non conſiderat numnam partes dividendæ aut diviſæ ſimiles aut diſſimiles ſint; ſed an ſint in genere partes integrantes, nécne. Quare abſtrahimus hîc tam à partibus organicis, quàm ſimilaribus, & ſolam generalem rationem partium integrantium contemplamur. Porrò, quæſtio hîc non movetur de partibus quibus continuum menſuratur, ut de ulnis, pedibus, digitis, &c. quibus quodvis corpus, quantumvis magnum,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 524 sur 591

magnum, quod finitum ſit, exhauriri, & ad certum numerum & menſuram partium vel cum vel ſine fragmento, reduci poteſt. Inſuper, neque intenditur de aliquotis partibus, quæ finito quoque numero perpetuò clauduntur. Denique, non accipitur de quacunque diviſione, ſive ſimultanea, ſive ſucceſſiva, quatenus facta; ſed de ſola ſucceſſiva quatenus potentiali, nempe, quæ fit diviſione & ſubdiviſione ſucceſſivè peragendis. Dicitur enim diviſio hîc intenta, diviſio in partes ſemper diviſibiles, quæ ſupponitur inchoari, multiplicari, ſed ad finem nunquam perduci: quod autem actu dividitur, ſive in partes æquales ſive inæquales ſecetur, in numerum actu infinitum non reſolvitur. Quare infinita diviſio, quam hîc quærimus, nunquam actu peragitur; ſed perpetuò ſupponit, partes actu diviſas poſſe ulteriùs dividi. Eſt ergò infinitas tantùm potentialis. Urgebis, diviſionem potentiâ infinitam ab infinita virtute, ſive ſimul ſive ſucceſſivè, actuari poſſe. Reſpondeo, Deum omnia poſſe quæ poteſt velle; non poſſe autem velle ea quæ contradictionem involvunt. Si ergò contradictionem implicet, infinitam diviſionem ſive ſimul ſive ſucceſſivè actuari; hæc actio non cadit ſub objecto Divinæ volitionis. Enimvero ut infinita diviſio ſucceſſiva actu percurratur, aut quod caret fine ad finem perducatur, repugnare videtur. Quare non auſim ſtatuere infinitam virtutem poſſe diviſionem ſucceſſivè infinitam emetiri. Si enim infinita ſucceſſio actu exhauriri queat, quæ ſpes reliqua fuerit quin omnis duratio perpetua, quæ ſimiliter ſucceſſivè infinita dicitur, olim ad exitum vergat? Nihilominus ſi quis contendere velit, multa quæ nobis impoſſibilia videntur, Deo non item eſſe, non magnopere refragabor. Hoc ſolum dico, ſi quid Divinâ virtute ad ultimam diviſibilitatem cujus capax eſt reſolvatur, tali diviſioni nihil ſupereſſe per modum partis realis. Siquidem quod ob defectum entitatis in quam dividatur ſimpliciter indiviſibile eſt, non differt à puncto mathematico, & eſt tantùm ens rationis, ut ſuprà de puncto terminativo probavimus. Quod enim caret omni magnitudine, puncto mathematico non eſt majus. Si enim excedat hoc, eſt ultra idem extenſum, & conſequenter, adhuc habet partes, & eſt ulteriùs diviſibile; contrà quàm ſupponitur. Poſitâ itaque infinitâ diviſione actuali, res ſic diviſa annihilatur. Natura enim

Infinita diviſio ſucceſſiva eſt.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 525 sur 591

©BIUM

corporea absque omni quantitate seu magnitudine conservari nequit. Non igitur refractoriè negabimus quin fortasse per viam divisionis Deus possit corpus in nihilum redigere: hoc tamen non probat idem non fuisse antea in infinitum divisibile, sed ejus infinitam divisibilitatem transcendenti Divinâ potentiâ superabilem fuisse. Verùm nos non asserimus capacitatem divisionis potentiâ infinitæ actuari posse: sed si Divinâ virtute miraculosè actuetur, corpus sic divisum unà annihilari: quanquam mihi probabilius sit actuari non posse. Verùm aliàs nullus dubito quin, subductâ Divinâ conservatione, idem corpus facillimè respectu Dei annihiletur. Quæres cujusmodi sit ea potentia quæ nunquam potest actuari, aut cui usui inserviat. Statuunt enim Scholæ, *frustrà esse eam potentiam quæ nunquam reducitur in actum.* Imò si nequeat in actum perduci, quo jure veniat nomine potentiæ. Respondeo, Eodem jure quo materia dicitur posse successivè suscipere infinitas formas: non quòd unquam infinitum formarum numerum actu compleverit; sed quòd non tot, quin plures. Vel, eodem modo quo numerus additione in infinitum augeri posse dicitur: non quòd unquam tantus fuerit, quin major fieri queat. Similiter enim, cùm plurimas divisiones feceris, adhuc plures potueris: & ut in additione non est finis, ità neque in diminutione. Utriusque autem infinitas est tantùm potentialis & successiva, numerúmque quemcunque datum facilè superat; nunquam tamen ad actualem infinitatem assurgit. Nec putanda est hæc potentia frustranea, cùm ex parte saltem, & quantum rerum natura postulat, actuetur. Oculus enim non perpetuò videt, nec omnia quæ cernere potest unquam actu videt: non tamen frustrà est, cùm exerceatur quoties opus sit. Pariter potentia dividua non est frustrà, cùm exerceatur quousque naturæ leges exigunt. Hinc enim dividi potest corpus in quolibet puncto assignabili; quod non fieret si ex atomis constaret, aut si hoc modo infinitè dividuum non foret. Numerus enim impar in duas medietates dividi nequit, nec par in tot partes aliquotas quot assignare placuerit. Si enim corpus ex numero atomorum denario constaret, id in tres partes æquales dividere non poteras. Porrò, hinc corpus sensim augeri ac minui potest, novam materiam in communionem secum assumendo. Augmentatio enim & diminutio motus

©BIUM

motus quidam ſunt, & ſenſim, non ſubſultim, fiunt. Denique, hinc corpora unitatem quandam ſibi aſciſcunt, nimirum quà una eorum pars alteri totíque communicatur. Unitas enim partium totius, continuitas eſt; quæ, ut cum actuali diviſione, ità abſque diviſibilitate, conſiſtere nequit. Siquidem continuitas extenſionem, & hæc partes extra partes extenſas, & conſequenter dividuas, ſupponit.

Quo ſenſu partes ſint infinitæ: non extenſione, ſed numero.

16. Hactenus aperuimus quo ſenſu infinita diviſio in hac Quæſtione ſumenda ſit. Supereſt exquiramus quid intelligi debeat per partes infinitas. Aſſero igitur in genere, partes hîc dici infinitas, non in ordine ad magnitudinem ſeu infinitam extenſionem, ſed in ordine ad numerum partium. Cujuſvis enim partis, imò omnium ſimul, magnitudo ſeu extenſio ſuis limitibus circumſcribitur & terminatur; numero autem infinitæ eſſe debent, ut infinitam diviſionem ſuſtineant. Si autem potentialis numeri partium infinitas ad infinitam diviſionem ſimiliter potentialem ferendam ſufficiat, fruſtrà actualis earum numerus infinitus quæritur. Duo ergò potiſſimùm ad hujus difficultatis ulteriorem enodationem ſuperſunt. Primum, ut varias numeri, tum actualis tum potentialis, rationes (quò faciliùs de infinitate hîc intenta judicemus) exquiramus. Alterum, ut vaſtam diſproportionem inter numerum ſeu quantitatem diſcretam & continuam perdiſcamus; adeóque, cur infinitus numerus partium ad ſuſtinendam totam diviſibilitatem continui requiratur, intelligamus. Ordiendum eſt à numero, cujus variæ acceptiones expendendæ ſunt.

Numerus eſt vel materialis, vel formalis.

17. Numerus diſtinguitur in materialem, & formalem. Hic eſt ipſa forma in intellectu concepta, quæ tot unitates quot in aliqua multitudine (ſaltem ratione, ſi non ex parte rei, aut etiam realiter, diſtinctæ) continentur ſimul complectitur; & eſt conceptus formalis numeri. Ille eſt ipſa multitudo quæ quoquo modo diſtinctè in rerum natura exiſtit, quámque, quot ſunt, numerus formalis intellectui repræſentat; & eſt conceptus objectivus numeri. Numerus formalis in intellectu unus eſt; materialis extra intellectum, ſaltem duo vel plura: ut numerus denarius boum in intellectu unus numerus formalis eſt; materia ejus extra intellectum eſt multitudo, nempe decem boves realiter & diviſim exiſtentes. Numerus

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 527 sur 591

©BIUM

formalis erroneus eſſe poteſt, ſed materialis incapax eſt erroris. Tenetur itaque ille, ſi verus eſſe velit, huic ſe conformem præſtare: ut ſi ſeptem ſolidi numero octonario computentur, error computantis conſpicuus eſt. De numero formali non opus eſt plura addamus: ſed materialis ulteriùs diſtinguendus eſt. Cùm enim materia numeri ſit multitudo quatenus aliquo modo diſtincta, ſequitur tot eſſe genera numeri materialis quot ſunt genera diſtinguendi multitudinem. Tripliciter autem multitudo diſtinguitur; vel ratione, vel ex parte rei, vel realiter: & conſequenter tria ſunt genera numeri materialis. Primum eſt, numeri rerum ſolâ ratione diſtinctarum, qui quàm proximè ad unitatem accedit: quippe in natura una atque eadem res eſt, & ſolâ operatione intellectûs ad pluralitatem revocatur. Eadem enim res, pro modo inadæquatæ intellectionis noſtræ, ſufficiens fundamentum plurium conceptuum formalium eſſe poteſt. Qui conceptus, quòd plures ſint ratione diſtincti, ſufficiens quoque fundamentum ſunt numeri. Verùm hic numerus fundamentaliter tantùm diſtinctus in rebus exſiſtit. Ut tres obliqui conceptus entis, *unum*, *verum*, & *bonum*, qui ratione tantùm inter ſe & ab ente differunt; interímque rectè vocantur tres, quòd ratione cum fundamento in re diſtinguantur: quinque prædicabilia notiones ſecundæ ſunt, & rectè numerantur quinque, quòd ſufficiens fundamentum in natura detur, cur nec plures nec pauciores ponantur. Unde conſtat fundamentum exſiſtens, ſolâ ratione diſtinctum, ſufficere ad numeri cujuſvis hoc genus entitatem. Secundum genus eſt, numeri rerum ex parte rei diſtinctarum: nempe talium quarum una manere poteſt ſeparatâ alterâ, non è converſo, nè Divinâ quidem potentiâ. De qua diſtinctione videatur Suarius Diſp. 7. ſ. 2. nº. 6, 7, &c. Paulò firmius quàm prior hæc diſtinctio in rebus habet fundamentum: quòd non tantùm in conceptibus, ſed & in rebus Divinâ potentiâ ità ſeparabilibus, ut unum ſaltem extremum, non utrumque ſeorſim, conſervari queat, fundetur. Tertium eſt, numeri rerum realiter diſtinctarum, quarum una ab altera abſque miraculo ſeparari poteſt. Et numerus in rebus hoc modo diſtinctis adhuc multò firmius quàm priores duo fundamentum in natura ſibi vendicat: ut numerus partium integrantium. Siquidem hæ diviſim exſiſtere poſſunt, & in potentia

ſunt

©BIUM

ſunt ad conſtituendum numerum materialem ultimò actuatum. Etenim numerus materialis conſtans ex materia realiter diſtincta adhuc duplex eſt. Vel enim conſtat ex materia actu diſcreta ſeu diviſa; vel ex materia tantùm diviſibili, ſeu potentiâ diviſa ſeu diſcreta. Priore modo eſt numerus ultimò actuatus: poſteriore, etſi aliquo reſpectu actualis dicatur, & actu de materia ſic diſtincta prædicetur; reipſa tamen, adæquatè conceptus, potentialis eſt, & ulteriùs actuari poteſt. Quare numerus actualis eſt vel reſpectivè, vel abſolutè ſic dictus. Numerus reſpectivè actualis eſt rerum conjunctarum, ſed eo modo inter ſe diſtinctarum, ut ſaltem à nobis diſtinctè concipiantur. Sufficit enim quælibet rerum diſtinctio, habens in natura fundamentum, ad hujuſmodi numerum actualem fundandum. Et propterea hoc ſenſu, non tantùm entia ſive realiter ſive ex parte rei diſtincta, ſed & inadæquati conceptus rationis, ut entia rationis, notiones ſecundæ, imò entia ficta, ad actualem numerum referuntur: ut tria capita Cerberi, quatuor equi ſolis, quinque prædicabilia, &c. Fateor res realiter diſtinctas, etiamſi conjunctim exiſtentes, potiore jure rebus ſolâ ratione aut etiam ex parte rei diſtinctis actuales numeros dici. Cùm enim, ut dixi, numeri actuales hoc genus à diſtinctione rerum inter ſe oriantur; ſequitur, eas res quæ majore diſtinctione inter ſe diſterminantur, potiore jure actuales numeros eſſe & dici. Cæterùm hîc quoque ſequitur, res realiter diſtinctas, ſed conjunctim exiſtentes, non eodem jure vocari numeros actuales, quo res actu diviſæ ſic denominantur. Etenim diſtinctio realis duplex eſt, major, & minor. Major eſt rerum actu diviſarum: ut quinque milites. Minor eſt realiter diſtinctarum, ſed non actu diviſarum: ut duæ medietates ejuſdem totius adhuc unitæ. Res actu diviſas magis & clariùs quàm res conjunctas diſtingui conſpicuum eſt, tum quòd illæ ulteriùs diſtingui nequeant; tum quòd hæ (utcunque realiter diſtinctæ) ulteriorem magiſque conſpicuam diſtinctionem admittant, nempe, ſi actu dividantur. Quapropter accuratiùs differentiæ inter numerum actualem rerum realiter diſtinctarum ſimúlque unitarum, & rerum actu diviſarum, perpendendæ ſunt. *Differentiæ inter numerum actualem & potentialem.*

18. Primò, Res actu diviſæ & ſimul ſumptæ, in ratione numeri materialis, omnimodè ſeu ultimò actuantur. Sunt enim *Prima.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 529 sur 591

©BIUM

quantitas actu diſcreta, ſeu conſtant ex entitatibus actu diſcretis ſimul ſumptis. Hoc enim totum ad ultimam actuationem numeri materialis requiritur. Si enim materia numeri non ſit actu diſcreta, actuali diviſione ulteriùs actuari poteſt, & conſequenter non fuit antea ultimò actuata. Quod verò ultimò actuatur, omnimodè actuatur. Nihil enim præterea ad rationem actualis numeri complendam deſideratur. Nam numerus materialis eſt quantitas diſcreta: ſi verò potentiâ tantùm ſit diſcreta, eſt eatenus numerus potentialis: ſin ex entitatibus actu diſcretis ſimúlque ſumptis conſiſtat, eſt ultimò actuatus. Verùm è contrà, res realiter diſtinctæ & non actu diviſæ manifeſtè ulteriùs diſtingui poſſunt, & conſequenter nec ultimò nec omnimodè diſtinguuntur, aut ultimò reſpectu diſcretionis numericæ actuantur. Idcirco utcunque aliquo reſpectu numeri actuales audiant, reipſa tamen non ſunt ultimò actuati, ſed adhuc eo reſpectu potentiales manent.

Differentia ſecunda. 19. Secundò, Res actu diviſæ completè exſiſtunt. Eſt enim exſiſtentia prima ſeu inchoata, & ultima ſeu completa. Illa ſoli univerſali, hæc inſuper communicabili opponitur. Partes quidem non ſunt entia univerſalia, ſed ſingularia, nempe realiter in rerum natura exſiſtentia. Nihilominus non abſtrahunt à communicabilitate. Communicantur enim toti & compartibus, à quibus earum incompleta exſiſtentia perficitur & completa redditur: ut ſuprà, ubi de principio individuationis egimus, probavimus. Impoſſibile autem eſt ut aliquid ab omnibus aliis diviſum, & ſimul incompletum, exſiſtat. Eſſe enim incompletum eſt eſſe partem alterius: at actu diviſum nequit eſſe pars ejus à quo actu dividitur. Ideóque actu diviſum eſt actu completum, & completè ab omnibus aliis à quibus actu dividitur diſtinctum. E contrà, res non actu diviſæ incompletæ ſunt. Etenim ſunt partes ejus à quo non dividuntur; cúmque incompletæ ſint, incompletè ab iis quorum partes ſunt diſtinguuntur. Res enim (ut optimè demonſtrat Suarius) per eandem entitatem per quam ſunt diſtinguuntur. Si ergò ſint incompletæ, ab aliis, quibus complentur, incompletè diſtinguuntur, & in potentia ad completam diſcretionem adhuc ſunt.

Tertia. 20. Tertiò, Res actu diviſæ inconfusè ab invicem diſcretæ ſunt, & numerum materialem nullo modo aliis numeris aut unitate

©BIUM

unitate implexum denotant: verùm res realiter diſtinctæ, ſed non actu diviſæ, numerum cum aliis numeris & unitate ipſa confusè implicatum conſtituunt. Eadem enim res in ſe indiviſa quæ dicitur continere decem partes realiter diſtinctas, perinde dicatur undecim, duodecim, tredecim, & quemlibet alium numerum partium, in ſe continere. Non ergò ſatis diſtinctè ad unum certum numerum, aut ad unum magis quàm alium, determinatur. Siquidem ut partes decem realiter diſtinctæ, ità & 11, 12, 13, &c. in quovis continuo reperiuntur: nec unus numerus magis quàm alius in ullo continuo continetur. Quare numerus iſte qui dicitur actu in continuo inveniri, confusè diſcretus eſt, & cum aliis numeris æquè confusè diſcretis implicatur. Neque quidem cum aliis ſolùm confunditur, ſed & cum unitate ipſa: reſpectu cujus quoque potentialis eſt. Quod enim actu unum eſt, non ſimul & eodem reſpectu eſt actu plura. Unum enim & multa directè opponuntur. Cùm ergò partes unitate totius & compartibus confusè ſint implexæ, ſequitur eas eſſe in potentia reſpectu diſtinctæ diſcretionis. Hîc in memoriam revoco ingenioſiſſimum reſponſum Clariſſ. Toleti ad argumentum ſumptum à Divina cognitione partium infinitarum continui, l. 6. Phyſic. Ariſtotelis, cap. 2. *Ad tertium*, inquit, *non eſt dubium, non modò ſecundùm Theologiam ſacram, ſed etiam ſecundùm Ariſt. & omnes ferè veteres Peripateticos quos aliàs attuli, Deum Optimum cognoſcere id quod fuerit cognoſcibile. Cùm ergò quæritur an cognoſcat diſtinctè partes continui; reſpondeo, habere duplicem ſenſum. Cognoſcit diſtinctè ex parte ſubjecti, i. e. cognitione diſtinctâ; vel diſtinctè ex parte objecti, i. e. eſſe diſtinctas: quæ duo non ſunt idem. Ego enim video diſtinctè partes ſuperficiei, quas non video eſſe diſtinctas. Deus ergò cognoſcit omnes partes cognitione diſtinctiſſimâ, non tamen cognoſcendo eas eſſe diſtinctas. Primò, cognoſcit non eſſe diſtinctas, & hæc eſt diſtincta cognitio: cognoſcit enim eas partes, ut ſunt in ipſo continuo, eſſe, inquam, infinitas, ſed potentiâ. Altera verò cognitio non modò non eſt diſtincta, ſed eſſet falſa.* Ubi in hoc reſponſo negat partes eſſe diſtinctas, de metaphyſica diſtinctione reali, ſeu de reali diverſitate quatenus opponitur identitati, intelligendus non eſt; ſed de diſtinctione quatenus opponitur confuſioni. Partes enim etſi realiter diſtinguantur priori modo;

©BIUM

do; poſteriori tamen confusè implexæ ſunt, ut dictum.

Quarta. 21. Quartò, Res actu diviſæ unico determinato numero, quot ſunt, exprimuntur: & ſi alius quivis numerus iiſdem tribuatur, falſus erit. Ut ſi duodecim equi in campo paſcantur, qui judicaverit eſſe 10, 11, aut 13, vel 14, perinde erraverit. Impoſſibile enim eſt, nullo dempto aut de novo addito, ſint plures vel pauciores duodecim; iſque ſolus numerus eos verè & adæquatè complectitur. Verùm è contrà, res realiter diſtinctæ, ſed non actu diviſæ, ad unum certum numerum magis quàm alium non determinantur, ſed indifferenter ſe habent ad omnes numeros. Si enim à quovis continuo partem mediam, tertiam, quartam, quintam, ſextam, ſeptimam, &c. demere animus ſit, ex æquo earum quamvis in re invenire licet. Siquidem materia continua in 2, 3, 4, 5, 6, 7, &c. æquales partes, quarum quælibet una ſit reſpectivè media, tertia, 4^{ta}, 5^{ta}, 6^{ta}, 7^{ma}, dividere potes. Quare exiſtentes & realiter diſtinctas habet continuum has omnes partes, ſed nondum determinatas ad certum unum numerum. Sicut igitur ſaxum marmoreum icones varias hujus vel illius hominis aut bruti realiter continet, quòd peritus ſculptor eas in lapide invenire queat; nondum tamen ſunt actu hujus aut illius hominis brutíve ſtatuæ, donec artifex præcidendo ſuperflua ad unius eorum effigiem deduxerit: ſic in maſſa continua quemlibet numerum partium, nempe tot in quot dividere placuerit, invenire licet; ſed abſque operatione intellectûs ad unum magis quàm ad alium non determinatum. Intellectus ergò, ſi diviſionem in 2, 3, 6, 10, 100, &c. partes deſignet, aut ſi menſurationem hâc vel illâ menſurâ, ut digitis, pedibus, ulnis, cubitis, inſtituat, in continuo partes alterutri reſpondentes reperiat; ſed intellectu tantùm ad unum numerum præ aliis actu determinatas. Quare duplex eſt determinatio continui ad unum certum numerum partium; altera intellectu fit, altera actuali diviſione. Illa non eſt numerus materialis ultimò actuatus, ſed ſolummodo fundamentum ejuſdem: hæc eſt ultimò actuata, & uno ſolo numero exprimitur. Partes itaque continui, etſi ſint ſufficiens fundamentum cujuſvis numeri, & quilibet numerus de iis, quatenus realiter diſtinctis, prædicetur; ut, continet hæc vel illa materia 5, 10, 100, 1000 partes, &c. non tamen hæ partes actu

actu conſtituunt ullum numerum materialem, ſed in potentia ſunt ad ulteriorem actuationem. Sufficiunt quidem ad quemlibet numerum formalem in intellectu actu formandum, quòd, ut dictum, quælibet diſtinctio rerum, multò magis realis, ſit ſufficiens conceptus objectivus, cui conceptus formalis coaptetur: non tamen eſt conceptus objectivus numeri completus, hoc eſt, non eſt numerus materialis ultimò in ratione numeri actuatus. Numerus enim materialis, cùm ſit quantitas diſcreta, ſolâ actuali diſcretione, hoc eſt, actuali diviſione, ultimò actuatur. Quamdiu enim non actu dividitur, ulteriùs actuari queat; & eſt eatenus potentialis. Cùm ergò partes continui in numerum infinitum non ſint actu diviſæ, ulteriùs in ratione numeri actuari poſſunt; & conſequenter, in ratione numeri non ſunt ultimò actuatæ, ſed tantùm potentialiter infinitæ dicendæ. Mihi inferendum eſt, partes infinitas in hac Quæſtione intentas eſſe hoc modo potentiales, ſcilicet non eſſe in ratione numeri ultimò actuatas.

22. Dices, etiamſi non ſint ultimò actuatæ, eſſe tamen ex hac aſſertione infinitas realiter exiſtentes & realiter diſtinctas. *Objectionibus ſatisfit.* Reſpondeo, dici infinitas in ordine ad diviſionem potentialem infinitam, quam ſuſtinere poſſunt; nimirum, quòd ad ultimam diviſionem quam ferre poſſunt pervenire non liceat. Inſtabis, quamlibet particulam aliquid ſpatii occupare, & conſequenter infinitas infinitum exigere. Verùm ſequela claudicat. Spatium enim eſt corpus mathematicum, quod ipſum non minùs in infinitum diviſibile eſt quàm phyſicum. Siquidem illud huic per omnia reſpondet, nec alterum altero magis minúſve diviſioni obnoxium eſt. Tantùm, ut ſpatium ipſum ſine corpore eſt imaginarium; ità ejus diviſio fit per mentalem aſſignationem, non per realem diviſionem, viz. non quemadmodum fit diviſio corporis phyſici. Verùm, ut non concedimus ſpatium eſſe infinitum, quòd particulæ, in quas diviſibile dicitur, potentialiter infinitæ ſint: ità nec corpus phyſicum infinitum eſt, quòd infinita ſpatiola per diviſionem aſſignabilia occupet. Non enim extenſivè, ſed diviſivè ſeu diminutivè, alterutrum in infinitas particulas ſolubile eſt: nec diviſio ſeu diminutio hæc unquam actu exercito numerum actu infinitum attingit, aut attingere poteſt. Dices, particulas corporis phyſici actu exiſtere, & realiter inter ſe diſtingui.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 533 sur 591

©BIUM

Fateor. Verùm hoc neminem movere debet, cùm earum exſiſtentia ſit incompleta, & aliis communicata, cúmque iiſdem confusè implicata : imò nec pluris eſt quòd realiter diſtinguantur, cùm diſtinctio quoque (etſi realis) ſit incompleta, & inter partes invicem continuatas confuſéque implicatas, nec aliter quàm potentiâ numerum ultimò actuatum conficientes. Quæ omnia ſuprà ſatis declarantur. Dices, manere adhuc maximam difficultatis partem, poſſe corpus finitum ex particulis infinitis componi. Reſpondeo,eam non eſſe compoſitionem ex infinitis ut ex particulis priùs ſeorſim exſiſtentibus, & poſtea in unum confluentibus. Materia enim ipſa ut res integra & continua,hoc eſt,ut habens particulas in infinitum diviſibiles,ab initio creabatur : particulæ autem ipſæ nunquam ſeparatim exſiſtebant,aut exſiſtere quidem potuerant. Etenim ſi ſeorſim ſtarent, forent entia incompleta, & minora quàm quæ cum natura materiali integra conſiſtere queant. Nequit enim natura hæc ſeorſim conſervari ſub infinita parvitate. Verùm, inquies, cùm particulæ realiter exſiſtere ſupponantur, certè aliquid naturæ continere debent ; cúmque ſubſtantiales ſint, cur ſeorſim ſtare nequirent ? Reſpondeo paucis, (fortè de hac re infrà fuſiùs dicturus) quantitatem interminatam eſſe materiæ eſſentialem, & conſequenter, aliquam magnitudinem ei perpetuò deberi. Dico igitur, quanquam partes continui, in continuo unitæ, ſint perpetuò diviſibiles : quatenus tamen actu diſcretæ ſunt ſeu diviſæ, reduci demum poſſe ad minima naturalia, quæ in ſtatu diviſo ulteriorem diviſionem actu reſpuunt ; nempe, quæ non poſſunt ulteriùs dividi, niſi priùs cum aliis particulis minimis re-uniantur & continuentur. Abhorrent enim infinitam parvitatem, de qua infrà fuſiús. Aſſero igitur,hîc partes continui quoad numerum tantùm eſſe infinitas, ídque potentiâ : ſufficere autem hanc potentialem infinitatem ad infinitam diviſionem ſimiliter potentialem ferendam. Etenim infinita diviſio nunquam actu peragitur, ſed perpetuò ſucceſſiva eſt, & ex parte futura, adeóque in potentia ad ulteriorem diviſionem. Quare continuum nunquam actu ſecatur in infinitam particularum multitudinem. Diviſio enim hæc eò infinita dicitur, quòd nunquam ad finem perducatur. Cùm igitur particulæ non fiant actu infinitæ, donec infinita earum diviſio tranſacta fuerit,

fuerit, sequitur eas nunquam actu fieri infinitas. Quocirca duo de hac re superstant consideranda. Primum, cujusmodi entia sunt particulæ numero potentiali infinitæ. Secundum, cujusmodi essent, si per impossibile in infinitum actu divisæ starent.

23. Ad primum quod attinet, certum esse arbitror, particulas potentiâ infinitas nihil aliud esse nisi particulas continui, quà continui, (quanquam extensivè & actu finitas) quæ, ob rationem continuitatis, in omni puncto mathematico, hoc est, in infinitum, divisibiles sunt. Etenim hoc sensu non repugnat continuum finitum esse in infinitum divisibile: cùm ultimæ rationes continui nullo numero partium finito comprehensibiles fint, nec tot unquam ponantur quin plures designentur. Verùm de disproportione continui & discreti, quam fontem harum difficultatum puto, infrà dicetur. Hîc consideramus partes continui quatenus continuantur; sic enim divisibiles dicuntur. Minima quidem naturalia, quatenus seorsim stant, actu indivisibilia & atomi (neque enim in hoc sensu atomos nego) esse & dici possunt. Verùm in re sunt corpuscula, habentque suum perimetrum & centrum: nec dicuntur indivisibilia ob defectum quantitatis; sed quia exhorrescunt & efficaciter fugiunt (ut infrà declarabitur) ulteriorem divisionem. Alioquin verò eæ ipsæ atomi, quatenus uniuntur in continuo, in quolibet sui assignabili puncto, nempe sive in centro, sive in quolibet puncto inter centrum & perimetrum, æquè facilè ac in locis ubi aliis atomis connectuntur, dividantur. Non enim in hoc statu magis indivisibiles sunt in medio sui, aut in quovis alio puncto suæ extensionis, quàm in ipsis atomorum commissuris. Suppono enim in continuo unum minimum aliis proximis, eâdem lege continuitatis quâ ejus particulæ propriæ inter se continuantur, uniri: atque hoc dato, continuum erit ex æquo divisibile in quolibet sui puncto. Hoc (quòd nonnullis durum fortè videatur) exemplo illustrabo. Supponamus filum instar telæ araneárum tenuissimum ex atomis seu minimis naturalibus, putà viginti tribus, conflatum, ut filum *a*_____*b*. Dico hoc filum in omni puncto assignabili esse ex æquo divisibile; & non esse tantùm divisibile in locis in quibus atomi inter se committuntur. Etenim supponitur filum, putà, æneum, argenteum, aut aureum, ex æquo continuum. Quid ergò impedit quò minùs

Particulæ potentiâ infinitæ quales.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 535 sur 591

©BIUM

minùs in omni puncto assignabili æquè facilè sit divisibile? Non impedit extrema atomorum parvitas, nisi intelligas de prima & ultima: siquidem cæterarum magnitudo utrinque ex aliarum continuitate aucta est, & consequenter dividatur in medio cujusvis atomi. Alterutra enim pars fili sic divisi adhuc maneret minimo naturali major. Resumamus itaque filum, ut dixi, viginti tres atomos continens. Hoc in quascunque æquales seu quotas partes pauciores 23 dividere licet. Mihi certum est, continuum quod sat habet magnitudinis ut ferat divisionem in 23 partes æquales, multò magis posse ferre divisionem in quemlibet numerum partium aliquotarum 23 minorem. Partes enim omnes aliquotæ ut 23 pauciores sunt, ità & majores fuerint quâlibet unâ atomo minimâ. Supponamus itaque hoc filum in duas æquales partes secari. Hoc fieri non potest nisi atomum duodecimam bisecaverimus. Similiter si in tres partes aliquotas dividas, necessariò dividis atomum octavam & decimam-sextam in aliquibus sui partibus. Sin velis in quartas partes dividere, tres atomos necessariò concideris: si in quinas, quatuor: si in senarias, quinque: si in septenas, sex: & sic procedendo dum ad vicesimas secundas partes æquales deventum sit. Tunc enim necessariò 21 atomos vulneraveris. Etenim sola prima & ultima integræ, nisi quòd nonnihil auctæ manserint. Hinc constat, minima naturalia in unum continuum unita, si postmodum novâ divisione concidantur, non necessariò in eadem præcisè minima in quæ priùs resolvi: sed contingere posse ut pars unius minimi adhæreat lateri alterius; ità tamen ut hoc similiter ab alio sibi proximo aliquid abradat. Si quis æs aut ferrum aliúdve metallum in pulverem minutissimum limet, & deinceps in unum corpus continuum colliquet, denuóque limâ comminuat; quis non videt, non necesse esse, in easdem præcisè particulas, in quas priùs redactæ fuerant, reducat? Quid opus est pluribus? Ipsæ atomi physicæ, seu ipsa minima naturalia, quatenus in continuo uniuntur, sunt sufficiens fundamentum infiniti particularum numeri potentialis, ut explicuimus.

Particulæ actu infinitæ quales.

24. Ad secundum quæsitum venio, cujusmodi entia hæ particulæ numero infinitæ forent, si per impossibile actu in infinitum divisæ starent. Suprà probavimus, infinitam divisionem

ſionem actu adminiſtrari non poſſe; ſed eſſe ejuſdem rationis hoc reſpectu cum numero per additionem infinito, qui nunquam compleri poteſt. Numerus enim actu infinitus utrobique ſimiliter impoſſibilis eſt. Quæro igitur per impoſſibile, qualia entia forent infinita hæc particularum actu diviſarum multitudo, ſi talia darentur. Certum eſſe arbitror, non fore minima naturalia, quòd ea ſint corpuſcula, & quanta, & in infinitum actu multiplicata, infinitum ſpatium poſtularent. Neque quidem alia eſſent entia realia ſeu phyſica; ſiquidem infinitam diviſionem paſſa, nihil extenſionis ſibi reliquum reſervarent. Quid ergò forent? Profectò nihil ſupereſt quod eſſe poſſunt, niſi puncta mathematica, aut fortaſſe puncta ſubſtantialia ſeu accidentalia mathematicis quoad magnitudinem æquipollentia. Carent enim omni magnitudine. Utpote ſi partibus adhuc gaudeant, ulteriùs dividantur, & diviſionem ultra infinitam admittant. Quod repugnat. Quare eſſent inſtar punctorum mathematicorum, ſive accidentalium ſive ſubſtantialium, hoc eſt, forent inſtar nihili, ſive accidentalis ſive ſubſtantialis. Eſt enim de eſſentia materiæ, non poſſe conſervari abſque aliqua quantitate; & de eſſentia accidentis materialis, non poſſe, abſque materia. Cùm ergò materia in infinitum actu diviſa in nihil redigeretur; patet eam quoad actualem entitatem finitam eſſe, & eſſe infinitam tantùm in ordine ad infinitam diviſionem potentialem & ſucceſſivam, quam ità ferat ut ea diviſio nunquam ad finem perduci queat. Dices, unde innoteſcit materiam poſſe ferre infinitam diviſionem, cùm eâ peractâ annihiletur? Reſpondeo, hoc innoteſcere, quòd ferat diviſionem in quolibet aſſignabili puncto continuitatis ſuæ. Si urgeas, abſurdum eſſe, materiam, peractâ infinitâ diviſione, in nihilum concidi; facilis eſt reſponſio, *conceſſo uno abſurdo aliud facillimè ſubſequi.* Datâ ergò, per impoſſibile, materiæ infinitâ diviſione ut jam actu tranſactâ; non mirum eſt ſi aliud quoque impoſſibile, materiam in nihilum concidi poſſe, indè ſequatur. Probavimus autem ſuprà infinitam diviſionem ſucceſſivam actu percurri non poſſe, ſed perpetuò manere ſub aliqua futuritione & in potentia. Dicimus itaque materiam nunquam actu dividi in particulas infinitas, nec eouſque quin ulteriùs dividi queat; præſertim ſi particulæ diviſæ continuitati cum aliis particulis

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 537 sur 591

©BIUM

reſtituantur. Excipimus enim hoc, nempe negamus particulas minimas, ſeu minima naturalia diviſim ab omnibus aliis ſubſiſtentia, poſſe ulteriùs dividi. Verùm, ut dixi, non quòd in continuo ſint ſimpliciter indiviſibilia, ſed tantùm ut ſeorſim ſtant. In continuo enim non ſunt minima, ſed partibus vicinis aucta; adeóque in quolibet ſui puncto aſſignabili diviſibilia. Tandem hanc priorem hujus penſi noſtri partem, de numero partium infinito qui infinitæ diviſibilitati materiæ reſpondeat, qualitercunque abſolvimus: ſupereſt proportionem inter ultimas rationes continui & diſcreti inveſtigemus: in quibus credibile eſt ſaltem magnum totius difficultatis myſterium clàm occultari. Sed de iis proximo Capite.

Cap. XXXIII.

De ultimis rationibus Continui & Diſcreti improportionatis.

Ultimæ rationes quid.

1. PEr ultimas rationes continui nihil aliud intelligimus, niſi particulas ejuſdem quatenus in infinitum, hoc eſt, ſine termino, ſcilicet in omni puncto aſſignabili, (ut explicuimus) diviſibiles. Similiter per ultimas rationes numeri intelligimus unitates, in quas ſolas omnis numerus actualis ultimò reſolvitur. Cùm igitur unitates, ex quibus omnis numerus actualis exoritur, ſint finitæ & indiviſibiles; cúmque particulæ in quas continuum dirimitur ſint perpetuò diviſibiles, & eatenus quoad numerum potentialem infinitæ; conſtat ultimas rationes numeri & continui non proportionari. Hujus veritatis ulteriorem declarationem mox aggrederer: ſed fortaſſe ſatius fuerit conceſſionem noſtram de rationibus utriuſque intermediis præmittere.

Intermediis utriuſque rationibus convenire.

2. Quanquam itaque aſſerimus ultimas rationes numeri & continui non proportionari; largimur tamen intermediis optimè inter ſe convenire. Continuum enim reſolvi poteſt in quot partes volueris, & variis modis ad certum ac definitum partium numerum revocari. Potes enim continuum ulnis, cubitis, pedibus, aliiſve menſuris, metiri; & quoties menſura in

in menſurato continetur, notare. Similiter fas eſt continuum in partes plures vel pauciores, majores vel minores, æquales vel inæquales, cum vel abſque fractione, dividere. Præcipua autem reductio continui ad numerum ea eſt, quâ in partes æquales, & certo numero comprehenſas, reſolvitur. De hoc enim Mathematici potiſſimùm ſatagunt, nempe, ut reducant continuum ad definitum æqualium partium numerum. Sic enim longitudines linearum optimè dignoſcunt, & latera triangulorum inter ſe comparant. In hunc finem utiliſſimæ tabulæ ſinuum, ut & tangentium atque ſecantium, ſuis arcubus reſpectivè reſpondentium, ſupputantur. Omnes enim partes hoc modo inventæ eſſe æqualis magnitudinis præſumuntur: utpote alioquin ſcopo propoſito non inſerviunt, nec linearum aut corporum inter ſe collatorum proportionem repræſentant. Quamvis autem Mathematici cœptæ diviſionis ſuæ defectum fractionibus ſupplere coguntur: hoc tamen non eò faciunt, quòd partes æquales numeróſque integros ad opera ſua non expetant; ſed quòd frequenter continui partes, quas quærunt, numeris integris exprimi nequeant. Omnes enim longitudines ejuſdem magnitudinis menſurâ, putà ulnarum, pedum, digitorum, aut aliud genus, commenſurabiles non ſunt. Utcunque celeberrima ingenia de reductione continui ad Arithmeticas proportiones, eáſque integras, quæ (ut dixi) inter ſe æquales ſunt, quantum in iis erat, ſolicita ſemper fuerunt. Quare vaſtis numeris certant, & continui ſubtilitatem multitudine partium, ſi quâ fieri poſſit, æquare nituntur. Cùm enim continuum quandam infiniti potentialis rationem præ ſe ferat, valde imperfectè à nobis, & potiùs quòd ſit in infinitum diviſibile, quàm quidditativè, ſub hac conſideratione intelligitur. Quocirca rebus noſtris intereſt, ſi velimus continui magnitudinem rectè æſtimare, mediis rationibus uti; ídque ad certum numerum partium æqualium redigere; cujus ope quantum unius dimenſio eam ulteriùs ſuperat facilè judicetur. Prudenter itaque ab iis factum eſſe arbitror, qui, miſsâ infinitâ diviſibilitate, determinatis partium numeris continuum metiuntur, ut numero pedum, digitorum, &c. motum ſimiliter (qui quodammodo continuus eſt) milliaribus, ſtadiis, paſſibus; & tempus quoque, annis, menſibus, diebus, horis, & minutis. Hæc omnia

©BIUM

nia à me nullo modo vituperantur aut improbantur: tantùm contendo, ultimas rationes continui numero finito non esse comprehensibiles.

Datur proportio in continuis, quæ numeris non potest exprimi.

3. Ad hujus assertionis probationem sufficere arbitror, si detur in natura proportio inter nonnulla continua, quæ certis partium numeris exprimi nequeat. Proportio quidem aliqua ex parte continui requiritur; alioquin numerus, quòd proportionem ubi nulla est referre nequeat, imperfectionis arguendus non est: sin adsit continuorum proportio quam numerus explicare non potest, naturæ subtilitati cedere cogitur, & fateri se non posse ultimas rationes continui assequi. Siquidem cùm tota subtilitas continui, quâ ultimas numeri rationes superat, in divisibilitate consistat; sequitur hunc defectum numeri in eo situm esse, quòd ultimam divisibilitatem continui non attingat. Si enim numeri divisibilitas æquè subtilis esset ac est ea ipsius continui, facilè omnem hujus proportionem adæquaret. Nemo dubitare potest quin Arithmetici eo fine magnis numeris, putà decem vel octo figurarum, in sinubus computandis usi sint, ut eò subtiliùs sinum totum comminuant, adeóque proportionem ejus ad arcuum minorum sinus minùs erroneam dent. Cùm enim proportionis sinuum error nunquam unius particulæ medietatem excedat, fit, quò minores sint particulæ, eò minor sit error. Hinc quò major est numerus partium sinûs totius, eò propiùs ad infinitam continui divisibilitatem accedit, & inventionem veræ proportionis ejusdem ad alios sinus faciliùs assequitur. Quia verò omnis numerus actualis finitus est, infinitæ divisibilitatis subtilitatem nunquam attingit; & consequenter, licèt absque sensibili errore sit, simpliciter tamen absque errore esse nequit. Dices, numerum quoque esse multifariàm divisibilem. Fateor multos numeros esse: sed numeri, quos vocant, simpliciter *primi*, solis unitatibus absque fractione dividuntur: ut v. g. numerus hic, quanquam ingens sit, 9999999999991. Minùs itaque de numeris minutulis, ut de ternario, quinario, septenario, undenario, deniternario, denisseptenario, deninovenario, viceniternario, molestè feramus, si solâ unitate (quæ non est numerus) æqualiter dividantur. Quin & numeri qui maximè divisibiles reputantur, ut duodenarius, sexagenarius, & consimiles, pauculis, iisque determinatis, divisionibus subjiciuntur:

untur: continuum verò in partes æquales quot volueris absque fractione dividi potest. Quare subtilitas divisibilitatis continui eam divisibilitatis numeri longè superat. Perinde enim est illi in quemcunque numerum partium dividas. Cùm enim actu unum sit, & potestate multiplex, non magis ad unum partium æqualium numerum quàm ad quemlibet alium determinatur. Ejus ergò divisibilitas eâ numeri multò subtilior est. Non mirum igitur, si nonnunquam partium continui proportio, quæ in natura realiter exsistit, numeris comprehendi nequeat. Continuum enim nonnunquam à subtiliore divisibilitate quàm numerus æmulari potest suam proportionem partium inter se derivat. Quo casu numerus surdus est, & proportionem non exquisitè expedit. Hujusmodi proportiones frequenter occurrunt in tabulis sinuum, ut & tangentium atque secantium; in quadratura circuli; in fractionibus interminatis: de quibus sigillatim aliquid dicendum est.

Sinus in natura accuratè proportionantur.

4. Sinus arcuum (ad quos lineæ tangentes atque secantes ob paritatem rationis referri possunt) in natura exquisitè inter se proportionantur. Hoc probatur, quòd omnium arcuum sinus ex proportione ad semidiametrum, quam sinum totum vocant, quærantur & inveniantur. Nisi enim in natura daretur exquisita proportio inter sinum totum & sinus minorum arcuum, frustrà esset ista laboriosa disquisitio quam Mathematici tantâ industriâ, ad exquirendum quot partes semidiametri quemlibet sinum quadrante minorem conficiunt, instituunt. Clarisc. Clavii verba, lib. de Sinubus p. 129. (etiamsi aliâ occasione adducta) hoc ipsum confirmant. *Quoniam enim* (inquit) *sinus totus sive semidiameter ad sinum rectum quemcunque determinatam quandam proportionem habet, fit ut omnes partes illius, quotcunque illæ sint, ad partes hujus inventas, respectu illarum partium sinûs totius eandem habeant proportionem, quam omnes partes ejusdem sinûs totius pauciores, quam illæ priores habent ad partes ejusdem sinûs respectu illarum partium sinûs totius pauciorum: alioquin sinus totus non haberet semper ad eundem sinum eandem proportionem, sed aliquando esset majoris quantitatis respectu illius, & aliquando minoris: quod est absurdum.* Porrò, omnes lineas finitas esse proportionatas, manifestum est; quòd sint vel majores, vel minores, vel æquales. At verò non

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 541 sur 591

©BIUM

tantùm æquales inter ſe proportionantur ; ſed & majores atque minores. Exceſſus enim majoris reſpectu minoris, & defectus minoris reſpectu majoris, proportio quædam eſt, eáque perpetua & invariabilis. Non dubium ergò eſt quin inter ſinum totum & ſinus minores detur accurata proportio.

Sed numeris non exquiſitè explicantur.

5. Supereſt probandum, hanc proportionem non perpetuò eſſe numeris adæquatè explicabilem. Fateor quidem ſinus arcuum, prout à Clariſſ. Clavio & aliis eliciuntur, eſſe magnâ induſtriâ, & abſque ſenſibili aut conſpicuo errore, calculatos, & ad praxin ſufficienter comparatos: verùm illi ipſi agnoſcunt non eſſe omnimodè exquiſitos. Solus ferè ſinus arcûs graduum 30 abſque omni fractione ſupputatur : cæteri magnam partem extractione radicum è quadratis ingentibus non ſine magna fractione proliciuntur. Enimvero quadratum ſinûs totius continet partes 100000000000000 : qui numerus continet 999999900000000 numeros ſurdos, quorum radices exquiſitè extrahi non poſſunt ; numeros verò exactè quadratos tantùm 10000000 : ità ut cuilibet uni numero quadrato 9999999 ſurdi reſpondent. Non ergò monſtri ſimile eſt, ſi plurimis ſinuum (qui extractione radicum inveniuntur) tantillum imperfectionis adhæreat. Alii ſinus, iíque plurimi, per ſolam proportionum regulam computantur. De quibus idem Clavius p. 128. ſic judicat ; *Conſtat igitur ſinus per regulam proportionum inventos ſenſibiliter non differre à veris ſinubus ; præſertim quando arcus D E, quo arcus cognitorum ſinuum inter ſe differunt, valde exiguus eſt, ità ut à recta linea vix differat.* Inſtabo tantùm ſinui arcûs graduum 45, qui eſt latus quadrati quadrante inſcripti, cujus diagonalis eſt ipſa ſemidiameter circuli, nempe ipſe ſinus totus quadrantis. Jam verò omnes fatentur, non dari proportionem numeris integris evolubilem inter quadrati latus & diagonalem ejuſdem : area tamen diagonalis exactè dupla eſt ad aream quadrati. Unde conſtat, proportionem inter diagonalem & latus quadrati eſſe in natura certam & exquiſitam, utcunque numeris μετ' ἀκριβείας explicari nequeat. Dices diagonalem ſeu ſinum totum, cui latus hujus quadrati comparatur, eſſe numeris comprehenſum, nimirum continere 10000000 partes æquales ; & latus ejuſdem quadrati eidem proportionari, nempe continere partes ejuſdem dimenſionis 7071068. Reſpondeo

ità

ità esse, sed proportionem non esse omnimodè exquisitam, sed solummodo proximam quam numeri exprimere possunt. Certum est, diagonalem seu semidiametrum esse latus quadrati duplò majoris. Multiplicant itaque illam in seipsam, & inveniunt numerum priùs notatum, 100000000000000; cujus medietatem sumunt 50000000000000 pro quadrato lateris seu radicis cujus proportionem ad diagonalem quærunt. Atque hactenus absq; vel minimo errore procedunt. Jam verò, ut inveniant latus hujus quadrati, coguntur ejusdem extrahere radicem. Hoc aggrediuntur: inveniunt numerum 7071067, & unà inveniunt fractionem ingentem 11481511: quoniam verò fractio excedit numerum quotum, seu radicem modò inventam, hanc iterum è fractione dicta semel subducunt, & conformiter unitatem quoto addunt. Stat itaque radix inventa partium 7071068, simúlque relinquitur adhuc fractio partium 4410444, quæ nullâ arte ampliùs corrigibilis est. Veruntamen latus inventum in seipsum multiplicatum producit quadratum majus quàm expetitur, nempe 50000002660624: quod verum excedit partibus 2660624. Unde patet, unitatem lateri seu radici extractæ additam esse nimiam; nihilominus rectè eidem radici addi. Quoniam si omittatur, & numerus 7071067 in seipsum multiplicetur, producit tantùm 49999988518489: qui numerus plurimùm deficit à justo, nempe totâ fractione suprà memoratâ partium 11481511; adeóque hic defectus triplò minimùm priori excessu major est. Quare latus 7071068 (cui unitas additur) propiùs ad verum quàm latus 7071067 (in quo omittitur) accedit. Utcunque ex dictis constat, latus & diagonalis ejusdem quadrati quanquam geometricè exquisitissimè proportionentur; eam tamen proportionem arithmeticè pari ἀκριβείᾳ exprimi non posse: quod erat demonstrandum. Hoc etiam passim fatetur Clavius, & hujus sinûs arcûs graduum 45 proportionem *ferè* exquisitam vocat, p. 120.

Quadratura circuli duplex est.

6. Proximo loco deveniendum est ad difficultatem quadrandi circulum. Verùm quadratura hæc dupliciter accipi potest; vel pro inventione justæ proportionis inter diametrum & circulum, vel pro inventione quadrati cujus area est areæ circuli æqualis. Hi modi inter se differunt, tum quòd proportio diametri ad peripheriam sit tantùm simplicis lineæ

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 543 sur 591

©BIUM

ad aliam ſimplicem lineam; proportio verò areæ ad aream ſit totius plani ſeu ſuperficiei ad alterius totius ſuperficiem ſeu planum: tum quòd, ſi detur quadratum cujus area eſt areæ circuli æqualis, illius tamen perimetrum eſt eo hujus majus. Imò fieri nequit, cùm circulus ſit figura capaciſſima, quin ejus perimetrum ſit minus eo quadrati, poſitâ utriuſque areâ æquali. Satis igitur fundatur diſtinctio data.

Proportio inter diametrum & circulum in natura datur.

7. Prior modus quadrandi circulum exercetur in exacta proportione inter diametrum & circumferentiam circuli invenienda. Conſiſtit autem in reductione circuli & diametri ad certos partium æqualium numeros alterutri reſpectivè proprios, & ſibi invicem proportionatos; ità ut datis diametri partibus, indè certò colligantur eæ circuli, & contrà. Quòd verò datur in natura certa proportio inter diametrum & circulum, ex eo innoteſcit, quòd quò circulus ſit major, eò major proportionaliter eſt diameter; quò minor, eò minor. Imò adeò rigida eſt hæc proportio, ut impoſſibile planè ſit dari circulum majorem alio ſine diametro proportionaliter majori: ut cuilibet ſeriò conſideranti notum eſt. Inſuper datur linea recta æqualis circulo. Datur enim major & minor gradatim; ergò æqualis. Conſequentia probatur ſic. Sit inter duas columnas, quarum altera ſtet erecta, altera inclinetur, ea diſtantia, ut linea à baſi unius ad baſin alterius ducta ſit minor ambitu circuli: at linea à capite unius ad caput alterius ſit major. Fieri jam nequit quin alicubi inter columnas linea circulo dicto æqualis inveniatur. Cùm enim lineæ diſtantiarum inter baſes columnarum, quò propiùs aſcendas ad capita earundem ſenſim augeantur, & à lineis circulo minoribus paulatim eodem majores fiant; neceſſe eſt per mediam, hoc eſt, per æqualem, tranſeant. Denique, ſi diameter unius circuli ſit dupla, tripla, quadrupla, &c. alterius; circumferentia quoque ejuſdem eſt ſimiliter dupla, tripla, aut quadrupla, &c. circumferentiæ iſtius: ut facillimè ex Schemate appoſito cernere eſt. Septem circuli totidémque quadrata inter ſe proportionata exhibentur. Extimi circuli diameter eam intimi octies ſuperat; & ſimiliter toties circuli extimi circumferentia eam intimi excedit. Nam ut ſe habet circulus minimus ad quadratum ſibi inſcriptum, ità ſe habet circulus maximus ad quadratum ſibi ſimiliter inſcriptum. Sed

Vide Figuram primam in Tabula ad calcem Libri appenſa.

quadrati

quadrati maximi perimetrum octies minimi continet; ut conferendo triangulos rectangulos, quos alterutrum continet, inter se facillimè innotescit. Circumferentia itaque maximi circuli toties minimi complectitur. Verùm quod dicunt aliqui, ubi diameter dupla est, circulum esse quadruplum; intelligi debet de area circuli, non de longitudine simplicis circumferentiæ. Circumferentia enim simplex linea est, sicut diameter, & non oritur ex multiplicatione diametri in seipsam: at area circuli est, quæ ex multiplicatione duplæ, triplæ aut quadruplæ diametri in seipsam cognoscitur, nempe quoties aream circuli simplæ diametri continet. Ut si diameter majoris circuli in prima Figura octo vicibus eam minoris contineat, illius area eam hujus 64 vicibus continebit: Sed circumferentia interim erit tantùm octupla. Inferendum est, dari in natura exquisitam proportionem inter diametrum & peripheriam circuli.

8. Superest probandum, hanc proportionem non esse numeris evolubilem. Vulgò recepta proportio inter diametrum & circulum est septem ad viginti duo: viz. si diameter sit 7 pedes longa, circulus continebit 22 pedes; & contrà, si circulus contineat 22 partes, diameter 7 ejusdem dimensionis continebit. Si hæc proportio planè accurata foret, non dubium est quin quadratura circuli hoc genus sit jamdudum inventa, & quidem perfectissima; quod numeris minutulis & facilè tractabilibus exprimatur. Cæterùm etiamsi ea fortasse absque crasso ac spectabili errore rem intentam consequatur: nemo tamen Mathematicorum pro regula omnibus numeris perfecta habet. Utcunque sit, demonstratione non stipatur: quanquam fortè neque demonstrativè facilè refellatur. Quæres, cur dixerim, certum esse Mathematicos in hac inventione nondum acquievisse. Respondeo, quòd diametrum & circulum ad partes ei conformes hactenus non reduxerint. Circulum enim gradibus, minutis, primis, secundis, &c. (ut olim) adhuc dividunt: diametrum verò in minutissimas partes aliud genus concîdunt, nempe 10000000: neque docent quot harum partium unum gradum aut minutum circuli adæquant. Fateor, sinuum rectorum & complementorum, necnon secantium atque tangentium, cujusvis arcûs, proportionem ad diametrum investigant, & propemodum

Numeris non comprehenditur.

©BIUM

dum accuratè assequuntur: non tamen ipsius arcûs proportionem ad diametrum eâdem operâ quærere prætendunt. Judicant enim (ut credibile est) hanc inveniri non posse. Alioquin enim non dubium est quin dudum reduxissent partes circuli ad eas diametri. Hoc enim facto obvium erat. Nam si proportio 7 ad 22 sit ad amussim vera, multiplicatâ diametro vulgò receptâ 20000000 per 7, numerus productus, nempe 140000000, steterit pro diametro proportionali: & similiter multiplicatâ eâdem communi diametro per 22, numerus resultans, viz. 440000000, steterit pro circulo integro illi diametro respondente. Quælibet enim particula circuli sic divisi ejusdem dimensionis & denominationis cum partibus diametri erit. Adeóque sinubus ad hanc normam calculatis, simul invenitur magnitudo arcuum, non tantùm ut sunt certæ portiones circuli, (hoc enim jam factum est;) sed & ut comparantur partibus sui diametri: nempe, comparuerit quot partes diametri arcum cujusvis sinûs confecerint. Porrò, si desideres numerum datum ad gradus & minuta reducere, voti compos fias, dividendo numerum totius circuli per 360, qui gradus erunt; & dein dividendo numerum unius gradûs per 60, resultabunt minuta prima. Adeóque numeri secundùm hanc proportionem collecti sic steterint:

Diameter circuli	140000000.
Semidiameter	70000000.
Circulus totus	440000000.
Semicirculus	220000000.
Quadrans circuli	110000000.
Gradus unus	1222222 — $\frac{2}{9}$
Minutum primum	20370 — $\frac{11}{30}$
Minutum secundum	339 — $\frac{1}{2}$
Minutum tertium	5 — $\frac{39}{60}$

Si animus sit (quod certè usus postulat) partes sinûs totius ad solitum calculum revocare, & unà proportionem ejusdem ad respectivos quadrantis arcus retinere, facilè poteris: videlicet, tam sinum totum, quàm arcum quadrantis, ejusdémque gradus & minuta, per 7 dividendo. Hoc enim pacto integri numeri, omissis fractionibus, proportionati sic restiterint.

Sinus

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 546 sur 591

Sinus totus ——— 10000000.
Quadrans circuli ——— 15714286.
Gradus unus ——— 174603.
Minutum primum ——— 2910.
Minutum secundum ——— 48.

Verùm enimvero, quando hæc omnia à Mathematicis negligantur, pro confesso est, iis judicibus, genuinam proportionem diametri ad circulum nondum inventam esse. Imò fortasse hæc proportio tantùm mechanicè invenienda & probanda est. Ducatur itaque circulus ingens & accuratus, aut portio circuli, (nam ex portione circuli facillimè colligitur totus;) & filo aut aliâ mensurâ flexili exactè mensurentur tum circumferentia (vel, quod perinde est, certa pars circumferentiæ) tum diameter. Dein mensura utriusque reducatur ad partes ejusdem longitudinis; & distinctè notetur quot partes diametrum, quot circulum, conficiunt. Differentia enim numerorum proportionem inter utrumque dederit. Verùm cùm mensura hæc materialis sit, necessum est aliquid incertitudinis, sive à semidiametri intractabili longitudine, adeóque à circuli imperfecta descriptione, sive ab inæquali mensuræ applicatione, sive à majore vel minore tensura fili quo mensura peragitur, sive ab alia quacunque materiæ ineptitudine, alióve accidente, contrahat. Præterea adhuc dubium est, an peripheria & diameter ejusdem magnitudinis partibus commensurabiles sint. Etenim quòd diameter & circuli circumferentia nullâ arte aliter quàm in puncto mathematico ad contactum adduci queant, non sunt invicem applicabiles, nihílque reliquum est quo earum proportiones inveniantur aut probentur. Siquidem cùm extensum & punctum inter se non sint proportionata, contactus in puncto nihil contribuit ad inventionem aut probationem proportionum extensorum. Punctum enim quantumvis multiplicatum nunquam extensum, aut extensi mensuram, producit. Deest itaque medium quo proportio inter lineam rectam & circularem ità expendatur, ut ad certos numeros reducantur. Concludo igitur, non dari arithmeticam proportionem exquisitam & demonstrabilem inter diametrum & circulum. Atque hæc de primo modo quadrandi circulum.

Accedo

©BIUM

Proportio inter aream circuli & quadrati in natura datur. Vide Figuram ſecundam, ibidem.

9. Accedo ad proportionem inter aream circuli & eam quadrati. In hunc finem partem Schematis prioris, nempe tres circulos totidémque quadrata, prout in ſecunda Figura exhibentur, reſumamus. Sit igitur circulus A A extimus, C C medius, E E intimus. Quadratum B B è tribus maximum, D D medium, F F minimum. Quadrata tria manifeſtè inter ſe proportionantur. Medium D D duplò majus eſt minimo F F; & maximum B B medii duplum, & minimi quadruplum eſt: ut ex triangulis rectangulis, quos continent, inter ſe collatis liquet. Circuli quoque ſuam proportionem inter ſe obſervant. Nam ut area quadrati maximi proportionatur areæ quadrati medii, &, mediante hâc, areæ minimi: ità area circuli extimi proportionatur areæ medii, &, eâ mediante, areæ minimi. Cùm enim quadratum B B non tantùm ſit circulo A A inſcriptum, ſed ſimul ſit tangens circuli C C; erit utrique proportionatum. Similiter, cùm quadratum D D ſit ſimul circulo C C inſcriptum, & circuli E E tangens, utrique proportionatum erit. Et quantum circulus A A proportione ſuperat quadratum B B, tantum circulus C C excedit quadratum D D, & circulus E E excedit quadratum F F. Quare tres circuli & tria quadrata inter ſe ſuo modo, ut dixi, proportionantur. Ut ergò quadratum maximum bis continet medium, & hoc bis minimum: ità circulus extimus bis continet medium, & hic bis intimum. Hæc confirmantur, quòd diagonalis cujuſvis quadrati ſit diameter ipſius circuli, cui id quadratum inſcribitur, & æqualis lateri quadrati circulum tangentis. Quare ut proportionatur diagonalis quadrato inſcripto; ità latus eſt quadrati tangentis, & diameter circuli minimum quadratum inſcribentis. Verùm ut circulus circulum, aut quadratum quadratum, ità diagonalis diagonalem, & diameter diametrum proportione excedit. Diameter autem circuli extimi eſt ejus intimi dupla, ſimúlque lateris quadrati medii dupla. Etenim diametri circulorum ad hanc normam compoſitorum alternatim duplâ proportione ſibi invicem reſpondent; & ſimiliter quadratorum circulis inſcriptorum latera. Diagonalis verò quadrati proximè majoris, ut eſt diameter circuli cui id quadratum inſcribitur, ità eſt dupla lateris quadrati circulo proximè minori inſcripti. Quare in Figura prima

prima quadrati intimi latus duplicatam conficit diametrum circuli proximè majoris, & latus huic inscriptum similiter duplicatam diametrum proximi; sic procedendo ad circulum extimum. Verùm diameter diametro & latus lateri alternatim tantùm duplâ proportione comparantur. Ipsum autem latus cujusvis quadrati circulo inscripti est duplum sinûs arcûs graduum 45 ejusdem circuli. Ità ut hæc omnia accuratè inter se proportionantur. Dices, hæc tantùm probare laxam quandam & quasi remotam proportionem inter aream quadrati & circuli, non autem dare unam æqualem aream tam circulo quàm quadrato communem. Respondeo, probare dari aream proportionaliter majorem & minorem eâ circuli; & consequenter, insinuare dari in natura mediam seu æqualem. Verùm, ut pressiùs hanc rem aggrediamur, Figuram tertiam apponimus. Sit circulus quadrandus A A, quadratum ei inscriptum B B, quadratum extra tangens C C, quadratum medium D D. Per se notum est, aream quadrati inscripti esse clarè minorem areâ circuli. Hæc enim illam undique, & insuper areas quatuor arcuum, singulas chordâ 90 graduum subtensas, complectitur. Similiter manifestum est, aream quadrati tangentis esse eâ circuli conspicuè majorem. Hæc enim tota in ambitu illius, & insuper areæ quatuor angulorum extra circulum prominentium, comprehenduntur. Si igitur velimus quadratum huic circulo æquale invenire, inter quadratum inscriptum & tangens quærendum est. Nam certo certiùs inter ista duo, aut nullibi, continetur. Supponamus itaque, tentandi gratiâ, aream quadrati medii D D esse areæ circuli æqualem, aut propè æqualem. Duo quidem ad hujus æquationis demonstrationem requiruntur. Primum est, ut latus quodlibet quadrati portionem aliquam areæ circuli præcîdat: Secundum, ut, quantum areæ circuli amputat, tantundem extra eundem in se assumat. Primum evidens est, quòd quadratum circulo æquale necessariò sit majus quadrato inscripto B B, & minus tangente C C: quoniam eorum alterum circulo manifestè majus est, alterum manifestè minus, ut dictum. Si autem quadratum æquale inter hæc duo extrema intervenire debeat, necessum est circulum alicubi secet, & aliquam portionem areæ ejusdem præcîdat: ut constat ex latere quadrati D D, quod secat circulum prope A A. Hoc

Vide Figuram tertiam, ibidem.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 549 sur 591

©BIUM

autem dato, requiritur porrò ut tantundem ab extrà addat quantum ab intus præcîdit. Si enim minus ab extrà addat quàm ab intus præcîdit, quadrati area erit areâ circuli minor: ſin plus addat quàm præcîdit, area ejus erit major eâ circuli: neutro modo æqualis. Sin tantum addat quantum præcîdit, manifeſtum eſt quadratum circulo æquale eſſe, & hunc quadrari. Quadratum igitur medium D D reſumamus. Satis autem eſt ſi modò unum ejuſdem latus perpendamus, (cætera enim ejuſdem rationis ſunt.) Latus itaque quadrati D D duos triangulos mixtos, *a b*, & *e f*, ab area circuli aufert: idem quoque duos triangulos mixtos, *c d*, & *g i*, ab extrà reſpectu circuli addit. Jam ſi triangulus *a b* ſit triangulo *c d* æqualis, profectò triangulus *e f* erit quoque æqualis triangulo *g i*. Nam *a b* & *e f* manifeſtè æquales ſunt ac ejuſdem generis, & ſimiliter *c d* & *g i*: nec opus eſt hujus æqualitatis probationi ulteriùs immoremur. Verùm de æqualitate triangulorum *a b* & *c d* adhuc ambigi poteſt. Vel ergò triangulus *a b* eſt major *c d*, vel *c d* eſt major *a b*, vel ſunt æquales. Si ſint æquales, area circuli quadratur. Nam quantum areæ abſcinditur ex præciſis triangulis *a b* & *e f*, tantundem eidem additur à latere quadrati extra fines circuli extenſo, nempe areæ triangulorum *c d* & *g i*, æquales areis præciſis. Manet ergò area quadrati æqualis areæ circuli. Fortaſſe hoc latus medium in ſe multiplicatum abſque conſpicuo errore proximam circuli aream commonſtrabit. Dices, nondum apparere quomodo quadratum medium D D ſive circuli diametro, ſive ejus quadrato inſcripto, ſive quadrato tangenti, comparandum ſit; ut certo modo ejus magnitudo inveniatur. Reſpondeo, ejus latus eſſe æquale partibus diametri interceptis inter ipſa quadrati latera oppoſita, D D, F F; nempe extendi ab E ad E: hoc eſt, eſſe ſinum rectum arcûs graduum 60 duplicatum. Sinus autem hic, ſecundùm Clavium, continet partes 8660254; quæ duplicatæ efficiunt numerum 173205081; qui in ſeipſum ductus producit aream quadrati, atque unà aream circuli dati. Urgebis porrò, æqualitatem triangulorum *c d* & *a b* (abſque qua quadratura fruſtratur) nondum demonſtrari. Fateor; ſed hoc ſaltem concedendum eſt, dari in natura aream quadrati æqualem areæ circuli: quod erat probandum. Siquidem hi trianguli, addendo aut ſubducendo minuta aliquot arcui 60 graduum,

graduum, ad æquationem reduci possunt. Eâdem enim operâ triangulus justo minor sensim augeri, & triangulus justo major, dum ad æqualitatem deventum sit, sensim minui queat. Hoc autem impræsentiarum scopo nostro sufficit. Meum enim est ostendere, non tantùm dari in natura quadratum circulo æquale, verùm etiam hanc æquationem non esse numeris comprehensibilem; & consequenter, triangulorum præcisorum iis ab extrà admissorum aream numeris exquisitis exprimi non posse. Quanquam enim geometricè æquantur, arithmeticè tamen demonstrari nequeunt: quod probandum restat.

Arithmeticè eam non posse monstrari.

10. Dico igitur primò, quatuor triangulos æquandos esse mixtos, & (ut ità dicam) de hybridum genere. Componuntur enim omnes ex duabus rectis lineis, & tertia circulari. Non ergò tractandi sunt ut alii trianguli, nec regulis aliorum triangulorum, sive rectorum sive sphæricorum, subjiciuntur; neque constant ex partibus ejusdem denominationis, ut uno certo numero partium commensurentur. Dico secundò, triangulos duos *c d* & *g i*, cum reliquis duobus *a b* & *e f* comparandos, diversi planè generis esse. Latus enim illorum unum convexum est, horum concavum. Quanquam igitur agnosco duos convexi lateris, *a b* & *e f*, esse inter se æquales, & duos similiter concavos esse quoque inter se æquales: si tamen hi cum illis inter se conferantur, nullum occurrit medium demonstrativum, quo sciatur an æquales, an hi illis, an illi his majores sint. Oculus enim de minutulis differentiis non est competens arbiter, nec alio medio eorum magnitudinem satis accuratè æstimare licet. Siquidem nullum eorum latus, nullus angulus æqualis est, ut indè arripiamus ansam eos æquandi, aut ad numerum partium æqualem utrique generi communem deducendi. Inferendum itaque mihi est, triangulos *c d* & *g i* non esse ad eundem numerum partium cum triangulis *a b* & *e f* (ità ut æqualitas demonstrari queat) reducibiles. Quod verò dicitur de latere quadrati medii D D, id esse sinum duplicatum 60 graduum, licèt admittatur esse verum; non tamen probat posse id latus numeris exquisitè repræsentari. Ipse enim numerus sinûs 60 graduum non est exquisitus. De quo Clavius p. 119. sic loquitur: *Ex hoc sinu* (nempe ex sinu 30 graduum) *per propositionem tertiam cognoscetur sinus complementi arcûs graduum* 30, *nempe sinus*

©BIUM

E H grad. 60: *ſi nimirum quadratum ſinûs* 5000000 *ex quadrato ſinûs totius* 10000000 *auferatur, & reliqui numeri radix quadrata accipiatur, quæ eſt* 8660254 *ferè.* Ultima vox [*ferè*] ſatis declarat linum non eſſe planè exquiſitum. Verùm qui experiri velit, ex quadrato ſinûs totius detrahat quadratum 30 graduum, remanebunt partes 75000000000000, quarum radix quadrata eſt 8660254, ut rectè computavit Clavius: ſed remanet fractio 655484. Quæ quidem fractio in tanta ſumma reſpectu ſinûs (cujus 13^am^ partem unitatis non æquat) vix conſiderabilis eſt: attamen reſpectu ejuſdem ſinûs duplicati, & in ſeipſum multiplicati, error non contemnendus emergit; ut neceſſum ſit areæ productæ fractionem duplicatam, viz. 1310968, addere. Sed ex his ſatis eluceſcit, rationes numeri hîc claudicare, nec paſſibus æquis rationes continui conſectari.

Cenſura quadraturæ meniſci.

11. Huc quoque referamus quadraturam *meniſci*, ſeu *lunulæ*, quam Clariſſ. Magnenus Hippocrati Coo adſcribit, quámque annexo Schemate accuratiſſimè explicat, lib. de Atomis cap. 5. problem. 37. pag. 327. Vide Schema primum in Tabula 2^a^ calce Libri appenſa. Titulus problematis eſt, *Meniſcum ſive lunulam quadrare. Sit circulus A B H; utcunque ducto diametro A H, & ſubtendente B A, fiat circulus F A C B, diametro A B. Erit circulus in diametro A H duplus circuli in ſubtendente A B deſcripti per* 2. 12. *Circuli enim inter ſe rationem habent quam deſcripta à diametris quadrata. Sed quadratum lineæ A H duplum eſt quadrati lineæ A B per* 47 *primi; eſt enim diameter ejus quadrati quod per lineam A B conſtruitur: ergò circulus etiam A B H duplus eſt potentiâ circulo A F B C. Erit ergò ſegmentum in ſubtendente A B duplum ſegmenti A K C in ſubtendente A C; ſunt enim ſimiles figuræ, & ſimiliter deſcriptæ per* 31. 6. *Duo itaque ſegmenta minora, lineis B C, A C, comprehenſi, ſi ſumantur ſimul, æqualia ſunt majori ſegmento A E B. Quarta itaque circuli majoris pars æqualis eſt ſemicirculo minoris, ex* 2. 12. *Cùm itaque ejuſdem circuli ſemicirculi ſunt æquales, & ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia; ſublato ſegmento A E B, manebit meniſcus ſive lunula A E B F. Similiter ab altero ſemicirculo A C B tolle ſegmenta B I C, C K A, manebit reſiduum triangulum A C B, æquale lunulæ A E B F: quod erat inveniendum.* Ego quidem ingenioſiſſimi inventoris judicium

dicium & acumen tum laudo, tum admiror. Veruntamen, cùm lunula quadrata sit figura irregularis, nullius propè usûs, præsertim in Arithmetica, fuerit. Siquidem dividi tantùm in duas æquales partes, lineâ ductâ per medium lunæ & centrum circuli, potest. Si ergò latus quadrati, cui comparatur, partes 12 continere supponatur, totum quadratum 144, & ejus medietas 72, partes continebit. Fateor lunulam, totam medietatem quadrati adæquatè comprehendere, ejúsque mediam partem capere quadrati partes 36. Sed si ulteriùs hasce partes 36, in lunulæ medietate alterutra, æquales & satis distinctas quæsiveris, non ibi inveneris. Porrò, quanquam Doctiss. Magnenus unam tantùm apposuit lunulam quadratam in minore circulo A F C B; non tamen dubium est quin ei notissimum quoque fuit, dari aliam ostensæ æqualem, nempe in altera medietate circuli: prout repræsentantur in 2da & 3a Figura secundæ Tabulæ. Tertia Figura exhibet tres circulos, duos exteriores, A, B, alterutrum duplò majorem medio. Medius consistit ex duabus lunulis, C R, D L, & duobus arcubus, E *m*, F *n*, alterutro 90 graduum. Chorda eos subtendens G H est diameter circuli minoris, & diagonalis quadrati lunularum unam (ut in prima Figura) quadrantis. Eadem chorda est quoque diagonalis alterius medietatis ejusdem quadrati, quæ quadrat alteram lunulam; ut in 2da Figura monstratur. Lunulæ & arcus in partes diametro transverso *o p* bisecantur; nec ulteriorem divisionem in partes, quadrati partibus proportionatas & æquales, admittunt. Secunda quoque Figura dat tres circulos, A F B C, N A B H, N P H O. Alteruter exteriorum duplò minor est tertio. Ad probandum tetragonismum dextræ lunulæ A F B E, sufficiunt verba Magneni, (quibus simplicis menisci quadraturam monstrat,) suprà relata, ad hanc applicata. Literæ enim & figuræ ab iis primæ figuræ non aliter differunt, quàm quòd à sinistro ad dextrum latus respectivè transferantur. Eo autem fine à me apponuntur, ut ostendam hanc demonstrationem (quanquam ingeniosissimam) parùm ad veram totius circuli quadraturam inveniendam contribuere. Nam reipsa quatuor arcus in 2da Figura, *a*, *b*, *c*, *d*, singulos 90 graduum, quos quadratum inscriptum C D non continet, hæc quadratura planè omittit. Ità ut re-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 553 sur 591

©BIUM

ſpectu totius circuli, curioſum hoc inventum ejus quadraturam non magis promovet quàm ipſum nudum quadratum inſcriptum. Eoſdem enim 4 arcus, quos hoc, illa quoque intactos relinquit. Nihil ergò aliud videtur eſſe hæc demonſtratio, niſi ingenioſa quædam tranſpoſitio arearum quatuor arcuum, quos quadrati circulo inſcripti quatuor latera ſubtendunt in medium ejuſdem circuli; ut ità partes areæ quadrati dicti exteriùs trudantur, & duas lunulas farciant. Non quòd ullus hîc fiat motus, ſed per ſimilitudinem. Nam quatuor arcus circuli N P H O, nempe arcus *a*, *b*, *c*, *d*, duobus arcubus, E *m*, & F *n*, in tertia Figura æquales ſunt; & duo trianguli, N H P, N C H, inſcripti circulo N P H O ſecundæ Figuræ, ſunt æquales duabus lunulis tertiæ Figuræ, C R, D L. Ità ut adhuc reſtant quatuor arcus circuli N P H O ſecundæ Figuræ, viz. arcus *a*, *b*, *c*, *d*, non quadrati; tantùm miro artificio inter duas lunulas inſeruntur; nec ſpecioſum hoc inventum plus totius circuli quadrat, quàm ſolum quadratum inſcriptum exhibet. Verùm nè longior ſim, quadratura circuli deſideratur quæ tam arithmeticis quàm geometricis (aut paulò minùs illis quàm his) operationibus ſubſerviat; qualis ſuprà à nobis (ſi foret exquiſita) datur; nempe quadratum, ut ibi deſcribitur, medium inter quadratum inſcriptum & tangens; cujus radix, ut dixi, eſt circiter ſinus graduum 60 duplicatus, ſeu ſubtendens linea arcûs graduum 120. Atque hæc ſufficiant de ſecundo modo quadrandi circulum.

Fractiones infinitæ diviſibilitatem infinitam probant.

12. Procedo jam ad fractiones interminatas, quæ evidentiſſimè infinitam continui diviſibilitatem exprimunt. Fractio enim diviſionis quædam ſpecies eſt; & quicquid competit fractioni quatenus dividit, ipſi quoque diviſioni competat neceſſe eſt. Verùm ut rectiùs de natura fractionis judicemus, tria eam ſpectantia diſtinguenda ſunt; materia dividenda, numerator, & denominator. Materia dividenda eſt vel continuum ipſum, vel inſtar continui. Conſideratur enim ut dividua. Fractio quippe frivola & nugatoria eſt, ubi materia circa quam verſatur non eſt diviſibilis: ut $\frac{1}{4}$ puncti mathematici. Punctum hoc ſimpliciter indiviſibile eſt, & propterea fractio eò ſpectans nihil, aut nihili, eſt. Sin materia fractionis ſit dividua, ipſa quoque fractio alicujus momenti fuerit. Quare diviſibile, quà tale, eſt propria materia fractionis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 554 sur 591

onis. Utplurimum est residuum prioris divisionis, quod totum complectitur, quódque à divisore, nisi in minutiores partes resolvatur, ulteriùs dividi nequit: vel aliàs, est totum id cujus pars aliqua, aut partes aliquæ, quot numerator designat, cuivis uni distribuendæ sunt. Numerator enim, factâ divisione, cuivis unitati quoti suam residui portionem assignat. De numeratore non opus est hîc plura attexamus. Denominator est qui potissimùm ad hanc rem facit. Utplurimum est ipse divisor prioris divisionis; aut saltem est numerus qui dividuum in tot partes, quot ipse continet unitates, dividit, seu dividi supponit. Quare denominator divisor est; & fractio, ipsa divisio; numerator materiam divisam distribuit. Constat itaque fractionem in sua ratione includere divisionem. Verùm quid sibi vult altera vox addita [interminata?] Ut fractio ipsa divisionem denotat; ità interminata fractio divisionem sine termino, hoc est, potentialiter infinitam, insinuat. Divisio enim quæ usque & usque sine termino seu limite augeri potest, est potentialiter infinita. Siquidem quemadmodum numeri integri per additionem (quòd semper augeri possint) infiniti (etiamsi nunquam actu infiniti fiant) dicuntur: ità fractiones (quòd per additionem perpetuò augeri queant) potentialiter infinitæ sunt, nunquam licèt ad infinitatem istam actu aspirent. Infinitas autem fractionis est in potestate denominatoris, qui per additionem novæ figuræ aut ciphræ à dextra perpetuò augeri potest, perinde ac numerus integer. Quapropter omnes Arithmetici numeros fractos æquè ac integros per additionem esse infinitos agnoscunt.

13. In memoriam hîc revoco responsum Clariss. Toleti, Disput. suprà citatâ; infinitam divisionem continui non esse *intrinsecam infinitatem*, sed *extrinsecam*. Enimvero si fractionis infinitas sit infinitas tantùm per additionem, non magis est intrinseca quàm infinitas numeri integri. Utriusque enim ratio in eo consistit, quòd perpetuò augeri queat. Continuum enim divisibile in infinitum dicitur, non ob magnitudinem extensionis, sed ob naturam continuitatis, quæ de se semper capax est divisionis, ut declaravimus. Dices, infinitas partes ad infinitam divisionem sustinendam requiri, quæ intrinsecæ sunt. Partes enim rei sunt intrinsecæ, & consequenter

Toleti responsum de extrinseca continui infinitate exponitur.

©BIUM

quenter earum quoque infinitas eſt intrinſeca. Reſpondeo, infinitatem hanc conſiſtere in numero partium infinito. Numerus autem ſumitur vel pro numero actuali, vel pro numero potentiali. Numerus partium potentialis eſt tum infinitus, tum partibus continui proprius, intrinſecus & eſſentialis : ſed de eo non intelligitur Toletus. Eſt enim de eſſentia continui habere infinitas iſtiuſmodi partes diviſibiles, in quibus ejus infinita diviſibilitas ſufficienter fundatur. Dices, partes ejus eſſe actu entia, & realiter diſtingui : non ergò conſtituere ſolùm numerum potentialem. Reſpondeo, non eſſe entia completa, nec completè exſiſtentia, aut completè diſcreta ; nedum eſſe actuali numero diſtincta. Quare, ſint licèt ſufficiens fundamentum numeri actualis in intellectu, (ſi modò intellectus talis numeri foret capax ;) non tamen eſſe materialem numerum ultimò actuatum : quemadmodum decem boves ſunt decem, & tantùm decem, nec plures, nec pauciores, nemine cogitante. Partes enim adæquatè conceptæ unum ſunt, & ſibi invicem atque toti communicantur : ſunt autem numerus quatenus inadæquatè concipiuntur, præciſo conceptu communionis inter ſe. Ubi enim partes ſeorſim ab invicem concipiuntur, earum unio non conſiderando præciditur, & contemplamur ſolùm diſtinctam, & mente quaſi diviſam, earum entitatem ; & ſic ſufficiens fiunt fundamentum in intellectu cujuſvis numeri actualis : quanquam in re non magis ad eum numerum quàm ad quemlibet alium determinentur. Sunt enim in potentia ad omnes numeros, & ad nullum unum præ aliis, aliter quàm ab intellectu & per ejus deſignationem reſtringuntur. Numerus verò partium actualis non eſt intrinſecè infinitus, ſed per additionem ; quemadmodum numerus integer infinitus quoque dicitur. Non quòd novæ ſubindè partes diviſione fiant aut addantur ; ſed quòd partes, quæ fuerant antea potentiales, per infinitam diviſionem ſucceſſivam ad infinitum numerum actualem tendant, eundem licèt nunquam attingant. Numerus enim potentialis infinitus, diviſione actuali (quæ extrinſeca eſt) ſucceſſivè ſine fine inſtituta, tendit in numerum infinitum actualem. Quoniam verò à ſola diviſionis additione infinita, actualitas hujus infinitatis dependet, eſt infinitas per additionem rei extrinſecæ, videlicet diviſionis

divisionis; & consequenter, est infinitas hoc respectu extrinseca, & ejusdem rationis cum integro numero infinito per additionem. Quo sensu accipiendus est Toletus.

Fractionibus interminatis confirmatur.

14. Atque hoc fractionibus interminatis seu infinitis dilucidè monstratur. Sit itaque materia fractionis massæ auri pondo unum; sit numerator 12; denominator interminatus seu infinitus, hoc est, per additionem seu per multiplicationem perpetuò augibilis, v. g. $\frac{12}{1000000000,\ \&c.}$ partes massæ dictæ. Denominator in infinitum, addendo figuram aliam, atque subindè aliam aut plures, à dextris, augeri potest; & consequenter, ut est fractio infinita, ità declarat materiam ejus esse in infinitum dividuam. Dices, partes, auctâ in infinitum divisione, demum ad nullitatem reduci. Nè metuas. Nunquam ad infinitam divisionem devenire potes; neque unquam continuum ità attriveris, ut partes ejus annihilentur. Fuerint enim adhuc aliquid extra nihil, & alicujus quantulicunque pretii: pluris certè quàm si ciphra [0] aut minor numerus loco numeratoris ponatur. Imò adhuc decuplò, millecuplò, &c. ulteriùs comminui possunt, addendo figuras quot volueris à dextris. Cùm ergò fractio quantumvis magna nunquam materiam dividuam in nihilum redigat, constat eam esse in infinitum divisibilem: & consequenter, cùm nullus detur numerus actualis qui in infinitum sit divisibilis, patet inter ultimas rationes continui & discreti, seu numeri actualis, nullam intervenire proportionem: quod erat ostendendum. Sed prolixior jam fui quàm vellem. Alias objectiones, de motu, de inæqualitate ejusdem, viz. de velocitate & tarditate motûs, de tempore, ejúsque continuo & æquali fluxu, in alium locum, si is fortè se aliquando obtulerit, elucidandas reservo. Tantùm hîc de Minimo naturali aliquid subjungendum videtur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 557 sur 591

©BIUM

Cap. XXXIV.

De Minimo naturali.

Quo ſenſu Peripatetici agnoſcunt atomos.

1. HOc Caput eorum potiſſimùm gratiâ, qui, quòd omnia corpora ex minutiſſimis corpuſculis componi agnoſcant, in Atomicorum caſtra ſe receſſiſſe planè arbitrantur, ſubtexendum erat. Nimirum ut ipſi, quantum ab aliorum Philoſophorum ſententiis recedunt, certiùs intelligant. Enimvero Peripatetici quoque, omnia corpora ex corpuſculis, ſeu ex particulis corporeis, numero potentiali infinitis, hoc eſt, ſemper diviſibilibus, confici, largiuntur. Verùm dicunt hanc compoſitionem eſſe tantùm integralem; dari alias quoque compoſitiones ſubſtantiales, ut eſſentialem & elementariam. Partes integrantes unitas conſtituere corpus quatenus continuum; partes eſſentiales idem conficere quatenus eſt determinatâ eſſentiâ ſeu naturâ præditum; partes denique elementarias idem quatenus miſtum, & elementis quodammodo contrariis contemperatum, componere. Reſolvitur itaque miſtum in elementa; putà, oleum ſeu ſulphur, mercurium, ſalem, phlegma, & terram ſeu caput mortuum; nimirum in partes diverſorum generum, quas hæc analyſis ſolas contemplatur. Deinde, ſolvitur in partes eſſentiales; nempe in materiam primam, & formam phyſicam: hoc eſt, in naturam ſeu eſſentiam primævam, perpetuam, per ſe ſubſiſtentem; & naturam ſeu eſſentiam adventitiam, additionalem, caducam, quâ interim compoſitum ſpecificatur. Demum, dirimitur continuum in partes integrantes, ſeu corpuſcula minora: quæ diviſio non ſolicita eſt ſive de partibus eſſentialibus, ſive de elementariis; quemadmodum neque priores de partibus integrantibus. Jam verò qui partes has, nempe integrantes, in corpuſcula, uſque dum ad minima naturalia deventum ſit, dividuas admittunt, non propterea tenentur Atomicorum principiis ſtatim ſubſcribere: ſed iis adhuc liberum eſt, partes ſive elementarias, ſive eſſentiales, ſimul agnoſcere. Quare minima naturalia & atomos quo ſenſu concedimus, aut negamus, opus eſt hîc preſſiùs declaremus. Inprimis

primis verò ipſæ voces ab ambiguitate liberandæ ſunt.

2. Nam etiamſi tam atomus quàm minimum, ex nominum etymo, diviſioni repugnare videantur: iiſdem tamen, tum ob diverſum ſtatum, nempe ſeparatum, vel conjunctum, tum ob diverſas opiniones de eorum diviſibilitate atque indiviſibilitate, aliqua ſignificationis varietas obvenire poteſt. Minimum enim naturale in ſtatu ſeparato eſt corpuſculum indiviſibile, & atomus: Verùm in ſtatu conjuncto, quanquam aliquando vocetur minimum, quòd ſeorſim conſideratum ſit ejuſdem parvitatis cum vero minimo ſeparato; non tamen eſt planè indiviſibile, nec eo ſenſu atomus. Revera minima, (nempe quæ forent minima, ſi ſeorſim ſtarent) unita in continuo, non ſunt propriè minima; ſed particulæ ejuſdem parvitatis cum minimis verè ſic dictis, ſi ſeorſim ſtarent. Sunt enim aucta acceſſu partium quibus continuantur & communicantur; atque adeò propter hanc auctionem dividi in quolibet ſui puncto queunt: ut ſuprà declaravimus. Quare minima naturalia ſunt vel propriè, vel impropriè, dicta. Minima propriè dicta ea ſunt quæ, ob parvitatem, (ſi ſeorſim ab aliis ſtent) ulteriùs dividi nequeunt: impropriè dicta ſunt particulæ, in ſe quidem conſideratæ, ejuſdem parvitatis cum minimis propriè dictis; ſed diviſibiles ob auctam magnitudinem ex acceſſu aliarum partium. *Minimum naturale quid.*

3. Similiter atomi ex ipſa diviſibilitate, aut indiviſibilitate, diſtinguuntur. Ponuntur enim à multis ſimpliciter indiviſibiles, hoc eſt, tam in ſtatu conjuncto quàm in ſeparato. Supponunt enim hi in omni diviſione corporum ſolutionem perpetuò contingere, non in medio alicujus atomi, ſed in commiſſuris earum. Quo ſuppoſito, inferendum eſt, ipſas atomos adamantinas eſſe, & nullo modo findi poſſe. Præterea, ſuas atomos pro principiis quæ mutari nequeunt, quæque omnis mutationis aliorum corporum prima fundamenta ſunt, habent. Et conſequenter, neceſſum eſt ponant immutabiles, atque adeò indiviſibiles. Diviſio enim mutatio quædam eſt, ut per ſe notum eſt. Alii, loco atomorum, corpuſcula exilia diverſorum generum ſufficiunt, quæ elementa vocant. Horum tria potiſſimùm genera ſtatuunt, nempe materias primi, ſecundi, & tertii elementi. Primus enim eorum inventor, Clariſſ. Carteſius, non vult eſſe reipſa atomos *De atomis variæ ſententiæ.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 559 sur 591

©BIUM

ſeu indiviſibilia; ſed minima quædam corpuſcula, ſaltem diviſibilia, ſed vel ejuſdem, vel diverſæ magnitudinis & figuræ. Etenim infinitam materiæ diviſibilitatem l. de Principiis Philoſophiæ part. 2. nº. xx. ſtrenuè aſſerit. Verba ejus ſunt; *Cognoſcimus etiam fieri non poſſe, ut aliquæ atomi ſive materiæ partes ex natura ſua indiviſibiles exiſtant. Cùm enim, ſi quæ ſint, neceſſariò debeant eſſe extenſæ, quantumvis parvæ fingantur; poſſumus adhuc unamquamque ex ipſis in duas aut plures minores cogitatione dividere, ac proinde agnoſcere eſſe diviſibiles. Nihil enim poſſumus cogitatione dividere, quin hoc ipſo cognoſcamus eſſe diviſibile: atque ideo ſi judicaremus id ipſum eſſe indiviſibile, judicium noſtrum à cognitione diſſentiret. Quinetiam ſi fingamus Deum efficere voluiſſe, ut aliqua materiæ particula in alias minores dividi non poſſit; non tamen illa propriè indiviſibilis erit dicenda. Ut etenim effecerit eam à nullis creaturis dividi poſſe, non certè ſibiipſi ejuſdem dividendæ facultatem potuit adimere; quia fieri planè non poteſt ut propriam ſuam potentiam imminuat: quemadmodum ſuprà notatum eſt. Atque ideo, abſolutè loquendo, illa diviſibilis remanebit, quoniam ex natura ſua eſt talis.* Hactenus ingenioſiſſimus Carteſius pro nobis, non dari corpuſcula ſimpliciter indiviſibilia, probat. Verùm ejus aſſeclæ à nomine atomorum non tantopere abhorrent, nec inviti numero Philoſophorum atomicorum ſe accenſeri patiuntur. Etenim qui atomicis principiis addicti putantur, vulgò in duas claſſes diſpertiuntur: una eſt eorum qui admittunt vacuum, altera eorum qui negant. Iis interim convenit, omnia corpora ex particulis quibuſdam, tanquam ex principiis eſſentialibus, componi, & indè varias ſuas naturas ſortiri. Qui admittunt vacuum, atomos, ut ſimpliciter & abſolutè indiviſibiles, defendunt: qui non admittunt, atomos quoque, ſed ſuo ſenſu, nempe, ut minuta corpuſcula indefinitè ſeu perpetuò diviſibilia, agnoſcunt. Utraque enim Secta nomine atomorum ſua elementa venditat. Quanquam verò ex affirmatione & negatione vacui clarè diſtinguuntur; aliam tamen inter ſe diſcriminationem, & quidem intimiorem, ortam à diviſibilitate & indiviſibilitate ſuorum principiorum, merentur. Etenim qui abſolutam indiviſibilitatem aſſerunt, ut ſe defendant, vacuum in ſcenam evocare coguntur: qui diviſibilitatem agnoſcunt, ad ſuam ſententiam vacuum minimè requiri putant. Quare differentia

tia quæ ſumitur à principiis prior eſt eâ quæ ad principiorum defenſionem aliunde adſciſcitur, vel ut non neceſſaria rejicitur. Nemo enim in ſcenam naturæ vacuum propter ſeipſum introduceret; & conſequenter, non indè prima differentia inter eas Sectas ſumenda eſt. Altera enim aſſerit, altera reſpuit vacuum, pro exigentia principiorum quæ reſpectivè defendunt. Quapropter, nè ludamur variis vocis acceptionibus, hæc quoque diſtinguenda eſt. Sunt ergò atomi vel propriè, vel minùs propriè, ſic dictæ. *Illæ* (prout à patronis ſuis judicantur) *ſunt prima principia naturalia, immutabilia, & planè indiviſibilia; ex quibus variè intertextis omnia, vacuo plùs minùs interſperſo, corporum genera & ſpecies componuntur. Hæ ſunt minuta corpuſcula, ſed planè diviſibilia, atque adeò mutabilia; ex quibus, tanquam ex elementis, inter ſe variè mixtis, omnia quoque corporum genera & ſpecies ſine vacuo concinnantur.* Qui priores atomos tuentur, ſequuntur Epicurum, & ex neotericis præcipuè celeberrimum ejus interpretem Gaſſendum; qui poſteriores, potiùs Ornatiſſ. Carteſium. His tertiam opinionem minutas materiæ particulas ſpectantem, viz. eam nonnullorum Peripateticorum, quæ minima naturalia agnoſcit, adjungere licet. Differentiæ inter duas priores Sectas ex dictis eliciantur. Sed ultima, partim ab utriſque conjunctis, partim ab alterutra ſeorſim, diſcrepat. Ab utriſque, quòd priores duæ ſententiæ ſuas particulas ſeu atomos ut ipſa principia cujuſvis naturæ proponant: poſtrema verò, etſi agnoſcat particulas minutas ut diviſibiles, & eatenus ut partes integrantes totius, eas tamen ut ipſius naturæ intima principia conſtitutiva nequaquam admittit. Negat enim naturas ſpecificas corporum à ſola diverſa magnitudine, poſitura & figura particularum reſultare: de qua re ſuprà dictum eſt. Porrò, ultima ſententia differt à prima, quòd hæc ponat atomos in ſtatu conjuncto planè indiviſibiles: illa vult eſſe in eo ſtatu perpetuò diviſibiles. Differt quoque ultima à prima reſpectu ſtatûs ſeparati. Hæc enim atomos in hoc ſtatu ſimpliciter indiviſibiles ob carentiam partium ponit: illa, non ob carentiam partium, ſed ob alias cauſas, partim ſuprà tactas, partim infrà tangendas. Inſuper ultima ſententia differt etiam à ſententia Carteſiana. Et primò, quòd hæc diviſibilitatem indefinitam tam in ſtatu conjuncto quàm ſepa-

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 561 sur 591

©BIUM

rato agnoſcat: illa in ſtatu tantùm conjuncto eam diviſibilitatem exerceri poſſe putet, in ſtatu ſeparato minimé. Fatentur quidem, cum Carteſianis, minima naturalia in ſtatu ſeparato eſſe adhuc corpuſcula, & quanta, & habere partes extra partes; & conſequenter, eſſe remoto ſenſu diviſibilia: verùm non eſſe in proxima potentia ſeu aptitudine ad diviſionem; vel quòd diviſor impotentior ſit reſiſtentiâ minimi continui, vel quòd hoc illum quoquo modo ſemper eludat & evadat. Quæ prima particularis eſt differentia inter Carteſianos & Peripateticos. Altera eſt, quòd illi materiam ſuam primi elementi in particulas indefinitæ parvitatis actu dividi aſſerant: hi materiam actu ſic dividi poſſe non putent.

Tres propoſitiones huc ſpectantes conſiderantur.

4. Ut quid de hiſce differentiis ſtatuendum ſit inveniamus, tres Propoſitiones ſequentes ſigillatim expendendæ ſunt. 1ª eſt, *Diviſorem naturalem non poſſe infinitam diviſionem exſequi.* 2ª, *Minimum naturale, ſeorſim ſtans, cujuſvis agentis naturalis vim diviſivam quoquo modo eludere.* 3ª, *Non dari particulas actu diviſas infinitæ parvitatis.*

Nullum diviſorem in infinitum dividere.

5. Prima Propoſitio potiùs explicatione quàm probatione opus habet. Cùm enim diviſio exſequenda (ut ſuprà monſtravimus) infinita ſit, ab agente finito peragi nullo modo poteſt. Oportet enim vel ſimul, vel ſucceſſivè peragatur. Si ſimul, actiones numero infinitæ ab agente finito ſimul peragi poſſunt: quod abſurdum eſt. Probatur ſequela; quòd diviſio (ut ſuprà probavimus) dicatur infinita reſpectu numeri diviſionum quarum dividuum capax eſt. Si ergò omnes hæ diviſiones numero infinitæ per additionem ſimul perficiantur, numerus potentialiter ſeu per additionem infinitus ſimul actuabitur, & fiet numerus actu infinitus: quod repugnantiam involvit. Porrò, difficilius eſt diviſionem infinitam ſimul quàm ſucceſſivè attingere. Qui ſolidis triturandis operam dant, ea uno ictu non æquè facilè ac pluribus comminui, nedum ad particulas infinitæ parvitatis poſſe reduci, optimè nôrunt. Repetitis enim plagis opus eſſe quotidie experiuntur. Quare ſi diviſor naturalis (quod proximo loco probandum eſt) ſucceſſivè nequeat, multò minùs poteſt ſimul in infinitum dividere. Atque adeò ad alterum membrum disjunctivæ propoſitionis modò adductæ devolvimur, diviſorem naturalem non poſſe infinitam diviſionem ſucceſſivè percurrere. Cùm enim diviſio ſit actio diviſoris,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 562 sur 591

foris, ſequetur hunc (ſi ultimam ex infinitis diviſionibus ſucceſſivè attingat) infinitas actiones ſucceſſivè perficere. Atqui abſurdum eſt, ad ultimam ex infinitis actu devenire. Infinitum enim caret fine; ultima verò actio ex infinitis invenit ſeu ponit finem, id eſt, ponit ubi nullus eſt, hoc eſt, implicat contradictionem. Quin & partes ipſæ actu in infinitum diviſæ conficiunt numerum actu infinitum: quod ſimiliter repugnat. Fateor me hanc propoſitionem de diviſoribus naturalibus potiſſimùm intendiſſe. Quid autem dicendum ſit de vi ſupernaturali, ex ſuprà dictis facilè colligitur; viz. Deum non poſſe contradictoria velle, & hîc fortè contradictio implicatur: item, eum nolle materiam, quam creavit, dividendo, in nihilum redigere; materiam verò actu in infinitum dividere, eſt eam è rerum natura deturbare, & in nihilum reducere. Materia enim indiviſibilis ceſſat eſſe materia. Non ergò vi ſupernaturali in infinitum dividitur.

6. Secunda Propoſitio eſt, *Minimum naturale, ſeorſim ſtans, vim cujuſvis agentis naturalis diviſivam quoquo modo eludere.* Quid ſit minimum naturale, haud facile eſt dictu. Fugit enim ſenſum noſtrum adminiculis licèt ſenſationis adjutum. Acari quidem & alia animalcula ob parvitatem ſentiri nequeunt: microſcopiis tamen perſpicuè cernuntur, eorúmque partes eſſe conſpicuæ magnitudinis deprehenduntur. Certum ergò eſt, minima naturalia minutiſſimis horum organis multis modis minora eſſe. Quodvis enim eorum organum ex multis particulis minoribus neceſſariò componitur. Verùm cùm agens naturale, potentiſſimâ licèt virtute diviſivâ pollens, antequam ad infinitam parvitatem deveniat, ab actu dividendi deſiſtere cogatur; neceſſe eſt partes in quas continuum ultimò diviſerit, & ultra quas in minores comminuere nequiverit, eſſe ipſa minima naturalia: neque alia eorum deſcriptio exſpectanda eſt. Si enim potentiſſimus diviſor naturalis ad ultimum virium continuum comminuendo agat, nec ulteriùs comminuere valeat, certiſſimum eſt particulas ſic diviſas eſſe minima naturalia. Quî enim fieri poteſt, ut particula ulteriùs, quàm à potentiſſimo agente dividi queat, dividatur? Diviſor enim non eſt potentiſſimus, ſi alius ſubtiliùs dividat. Habemus itaque minima naturalia: imò unà habemus totius quoque hujus ſecundæ Propoſitionis firmam probationem. Si enim

Minimum ſeparatum non ulteriùs dividi.

©BIUM

enim ſubtiliſſimus diviſor, antequam dividuum ad infinitam parvitatem deduxerit, à ſubtilitate ejuſdem ità eludatur, ut ulteriùs dividere nequeat; (quod totum prima Propoſitio demonſtrat ;) conſtat, non tantùm dari minima naturalia, ſed etiam ea eludere omnem ulteriorem diviſionem. Quod enim vim agentis potiſſimi fruſtratur, multò faciliùs minorem quamlibet virtutem ſuperabit.

Media quibus minima diviſores eludunt: quæ tria ſunt.

7. Quanquam verò ex dictis ſecundæ Propoſitionis veritas ſatis eluceſcit: ulteriùs tamen, ſi media quædam & evaſiones quibus dividuum diviſorem eludit obſervemus, illuſtrari poteſt. Verùm in anteceſſum tria corporum genera, volatilia ſeu pneumatica, fluida ſeu liquida, & ſolida ſeu terminata, diſtinguenda ſunt. Duo priora, ut faciliùs tertio dividuntur, ità illico confluunt & re-uniuntur. Concedendum quidem eſt, corpora volatilia (ut aer) aliquid reſiſtentiæ adferre. Aves enim pennis aerem verberando ſe ſuſtentant, quod non fieret niſi aer pulſus aliquo modo reniteretur. Utcunque certum videtur, corpora volatilia facillimè dividi, & facillimè re-uniri. Si centies millies aerem vulneraveris, continuò vulnus illatum reſarcit, nullúmque ejuſdem veſtigium relinquitur. Similiter aqua, (quamvis aere magis ictui reluctetur) ſi gladio quoties lubet ſecueris, mox ſe recolligit, & ſuam continuitatem reparat. Liquida omnia ejuſdem cenſûs ſunt. De ſolis igitur corporibus ſolidis, an infinitam diviſionem eludant, dubitari poteſt. Tribus autem potiſſimùm modis minima naturalia, hoc genus, ulteriorem diviſionem evitant: 1°. ipſâ ſuâ parvitate; 2°. uniendo ſe aliis corporibus; 3°. mutando formam.

Primum, ipſa parvitas.

8. Minimum naturale cujuſvis diviſoris acie longè ſubtilius eſt. Hic igitur inter partes illius (ut ſecet) ſe inſinuare nullo modo poteſt. Si divellere pares, quâ machinâ extremitates ejuſdem, ut ab invicem diſtrahas, prehendes? Si tundere cupias, operam ludis; vel evolando, vel aliis uniendo, vel mutando formam, ſe liberaverit. Attamen duo ultima media ulteriorem diviſionem evadendi mox ſeorſim tractabuntur. Hîc dicimus, experientiâ conſtare, pulveres, poſtquam ad parvitatem impalpabilem, ſive tundendo, ſive terendo, vel molendo, deduxeris, ulteriùs comminui vix ullo modo poſſe. Unde certum eſt, parvitatem ipſam, ſi valde

de exilis fit, ulteriori divisioni impedimento esse.

9. Accedo ad secundum effugium; minimum naturale, suæ exilitatis atque debilitatis pertæsum, alia corpora solida, fluida, aut volatilia, quibus associetur & adhæreat, quærere. Hinc aurum bracteatum, cylindro argenti digitum propè crasso ritè applicatum, ità firmiter se adunit, ut si argentum postea in tenuissima fila ducatur, illud tamen hoc nunquam deserat, aut à se divelli patiatur. Resumamus pulveres. Hi, si impalpabiles fuerint, vix se in mortario ulteriùs comminui patiuntur: sed pars in auram evolat, pars in seipsam collisa particulis modò excussis denuo coalescit. Appetitus re-uniendi pulveribus inditus, in conficiendis quoque cæmentis clarè cernitur. Arenulas & calcem comminuunt, per cribrum trajiciunt, lapides & majuscula frusta diligenter eximunt, aut secernunt. Experiuntur enim corpora solida majuscula vix satis firmiter coalescere in unum corpus continuum: imò quò minutiùs materiam terunt, eò solidius & durabilius cæmentum fieri. Similiter qui lateres coquunt lutum desiccant, in pulverem redigunt, cribrant, in massam iterum cogunt; atque adeò in lapideam duritiem igne coagulari deprehendunt. Cineres cùm primùm uruntur subtilissimi fiunt; sed postea iterum ferventes in minutulas arenulas concrescere solent. Si quis putet pulveres impalpabiles esse infinitæ parvitatis, sciat eos utplurimum plus spatii, quàm in corpore solido sumpserant, occupare. Aerem itaque vel vacuum in sua interstitia admittunt: quod non fieret, si forent infinitæ parvitatis. Cùm enim se mutuò tangant, apparet habere partes distinctas. Aliàs enim non secundùm unam sui partem, proximam particulam tangerent; & secundùm aliam, spatium, in quo aer aut vacuum contineretur, relinquerent. Cùm enim haberent partes diversimodè seu distinctè applicabiles, unam aeri aut vacuo, alteram particulæ proximæ; fieri non potest ut sint infinitæ parvitatis. Infinita enim parvitas omnem terminatam partium distinctionem excludit seu respuit. Utcunque natura, quemadmodum exhorrescit omnem divisionem, & præsertim infinitam; ità infinitam parvitatem, ut sibi perniciosissimam, quâ potest, cavet. Non mirum est igitur, si, ad minutam parvitatem reducta, alii corpori se potiùs adjungere & unire, quàm ulteriorem divisionem ferre, eligat.

Secundum, unio cum aliis corpusculis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 565 sur 591

©BIUM

Tertium, mutatio formæ.

10. Tertia evaſio quâ minimum naturale ſe ab ulteriore diviſione tuetur, eſt, mutare formam. Materia enim ad eximiam parvitatem redacta, potiùs quàm ulteriùs dividetur, aut ſtatum præſentem diu ſuſtinebit, formam novam, ſeu novam eſſendi & operandi legem, à corpore ſibi proximo ſuſcipit; eâ tamen cautione, ut deinceps moleſtiam diviſionis vel effugiat, vel faciliùs tolerèt. Solida itaque, ad has anguſtias redacta, formam vel liquidi, vel volatilis, affectant; nempe vel aeris, vel aquæ tutelæ, ſed frequentiùs aeris, ſe committunt. Aeris enim (cui continuantur) copiâ & mobilitate à penuria partium, & diviſionis metu, liberantur. Utpote ſiqua ampliùs dividantur, inſtar aeris aut aquæ re-uniantur. Pauculis inſtantiis illuſtrabo. Ex iis quæ alterando dividunt, fortè nullus diviſor naturalis vim ignis ſuperat. Hic enim partes potentiſſimè divellit, ſed, diſgregando, formam priorem unà perdit. Pars enim combuſti in flammam verſa ſe aeri credit; pars alia in vaporem aut fumum elevata ſe nubibus aut meteoris adjungit: ſoli cineres, totius pars minima, ultimam ignis violentiam perferunt. Atque idem propè dicendum eſt de eroſione ſeu conſumptione rerum ex diuturnitate temporis, necnon de ſolutione corporum quæ corroſivis liquoribus fit. Partes abſumptæ novos eſſendi modos acquirunt. Neque hoc mirum, cùm ea quæ alterando dividunt, priùs ad innovationem formæ quàm ad continui diviſionem tendant. Verùm alii diviſores, etſi aperto Marte & primò ad diviſionem collimant, ut verberantia & divellentia; tractu tamen temporis (aut ſubitò, ſi vis valde efficax ſit) formam quoque tranſmutant. Ictibus comminuta, quàm ægre iteratas diviſiones ferunt, manifeſtant. Omnes enim humores, liquores, ſucci, multùm ac diu contuſi, aut violenter exagitati, in ſpumam aut bullas aſſurgunt, & paulatim in auras abeunt. Nolunt enim continuis diviſionibus perpetim torqueri. Pulvis ſimiliter diu tritus (ut dictum) in auras fugit. Hinc qui aromata & odorifera terunt, ſummâ curâ cavent, nè potiores pulveris partes in aerem avolent. Similiter qui terunt acria & mordentia, ſuis oculis & naribus, nè vellicentur, proſpicere tenentur. Denique, ſi ligna arida vehementiùs fricando attriveris, ignem facilè concipiunt, & in flammas, fumum ac aerem potiùs ſolvuntur, quàm tam moleſtam partium divulſionem diu ſuſtinuerint. Atque hæc de mediis qui-

bus

bus materia infinitam diviſionem præcavet dicta ſint.

11. Ad tertiam Propoſitionem deveniendum, Non dari particulas actu diviſas indefinitæ parvitatis. Hypotheſis Celeberrimi Carteſii tria materiæ elementa ſupponit, quorum primum eſſe indefinitæ parvitatis aſſerit, Principiorum philoſ. part. 3. n°. 48, 49. ſed n°. 51, 52. magis expreſsé. *Jámque ſuprà demonſtratum eſt, aliquam materiæ portionem celerrimè moveri, ac in partes reipſa indefinitas dividi debere, ut varii motus circulares & inæquales ſine rarefactione vel vacuo fieri poſſint; nec ulla alia præter hanc ad id apta reperitur. Jam itaque duo habemus genera materiæ valde diverſa, quæ duo prima elementa hujus mundi aſpectabilis dici poſſunt. Primum eſt illius quæ tantam vim habet agitationis, ut aliis corporibus occurrendo in minutias indefinitæ parvitatis dividatur, & figuras ſuas ad omnes angulorum ab iis relictorum anguſtias implendas accommodet.* Fateor materiam in particulas indefinitæ parvitatis actu diviſam me concipere nullo modo poſſe. Duo enim obſtant: primum, debere particulas, hoc dato, infinitam ſeu indefinitam diviſionem paſſas, actu exſiſtere: ſecundum, particulas ſic diviſas, ſibi invicem occurrentes, non poſſe iterum coire, & in unum continuum confluere. De utroque, ordine, pauca.

Tertia propoſitio, Non dari corpora infinitæ parvitatis.

12. Infinitam diviſionem actu peractam, (quâ ſolâ infinita parvitas producitur,) ut & particulas actu infinitas diviſim exſiſtentes, contradictionem implicare modò probavimus. Supereſt ergò, quo modo inter ſe differant parvitas indefinita & infinita, expendamus. Certiſſimum quidem eſt, infinitatem tranſcendentem longè aliud ſignificare quàm infinitas ea quam creaturis tribuimus. Illa actus purus & ſummæ perfectionis eſt: hæc potentialis, & aliquid imperfectionis ſapit. Quare in tota hac diſceptatione infinitas quam particulis adſcribimus de poſteriori infinitate intelligenda eſt. An verò infinita parvitas ſenſu hoc ſumpta realiter ab indefinita diſcrepet, conſiderandum eſt. Indefinitum quidem tres acceptiones admittere videtur. Prima eſt, indefinitum reſpectu cognitionis noſtræ: & ſic exponitur per incognitum, ſeu potiùs per incognoſcibile. Secunda eſt, indefinitum reſpectu terminationis præciſæ: & idem eſt quod interminatum. Tertia eſt, indefinitum reſpectu carentiæ finis: & ſic dicitur propriè infinitum. Tres itaque dictæ *indefiniti* acceptiones,

Particulæ indefinitæ & infinitæ non differunt.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 567 sur 591

©BIUM

ut quæ earum parvitati indefinitæ primum Carteſianum elementum conſtituenti magis quadret inveniamus, ſigillatim examinandæ ſunt. Si enim ejus indefinitam parvitatem nihil aliud quàm infinitam ſignificare poſſe conſtiterit, unà conſtabit, primum Carteſii elementum nullibi in rerum natura reperiri, quòd infinita materiæ parvitas ab omni alia diviſa nuſquam inveniatur. Ecquid igitur indefinita parvitas quàm infinita ſignificet, inveſtigandum eſt: & primò ejus acceptio prima expendenda eſt.

Partes ignotæ parvitatis non ſufficere.

13. Omne incognitum non ſtatim *indefinitum reſpectu cognitionis noſtræ* dicitur; ſed id ſolum quod ob exceſſum magnitudinis aut numeri, vel ob defectum extenſionis, captum noſtrum excedit. Exempla ſunt; Vaſta diſtantia, incertè nobis nota, indefinita, & vulgariter loquendo infinita, dicitur: arenæ litoris, ſtellæ cœli, quòd vix certò numerari queant, indefinitæ, infinitæ & innumeræ audiunt: parvitas quæ ſenſuum noſtrorum aciem etiam adhibitis adminiculis fugit, alioquin licèt, in re, certæ dimenſionis ſit, indefinita à nonnullis vocatur. Verùm indefinita parvitas hoc genus primo Carteſii elemento non ſufficit. In principiis enim naturæ ſtatuendis, non utrùm reſpectu ſenſuum aut debilis intellectionis noſtræ, ſed an in ſua reali entitate, indefinita ſint, quærimus. Multa enim quæ ob parvitatem ſentiri nequeunt, certam tamen & definitam, utcunque minutam, habent extenſionem: ut elementa Carteſii ſecunda, de quibus ipſe loco modò laudato ſic loquitur: *Alterum*, inquit, (viz. ipſum ſecundum elementum) *eſt materiæ quæ diviſa eſt in particulas ſphæricas, valde quidem minutas, ſi cum iis corporibus quæ oculis cernere poſſumus comparentur; ſed tamen certæ ac determinatæ quantitatis, & diviſibiles in alias multò minores.* Fatetur Ingenioſiſſimus Vir, ſuum ſecundum elementum non minùs fugere ſenſum quàm primum: ſed duas alias ſubjungit differentias, quibus illud ab hoc diſcriminatur: nempe, *elementum ſecundum eſſe certæ & determinatæ quantitatis, & eſſe diviſibile.* Inferendum eſt ex his differentiis, particulas primi elementi nec eſſe *certæ ac determinatæ quantitatis*, nec eſſe *diviſibiles.* Aliter enim hæ differentiæ primum ejus elementum à ſecundo (quod intenderat Auctor) non diſtinguunt. Quare ad parvitatem indefinitam, non tantùm ſubtilitas ſuperior eâ ſenſuum,

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 568 sur 591

ſuum, ſed & duæ aliæ differentiæ, *carentia certæ ac determinatæ quantitatis*, & *indiviſibilitas*, requiruntur; & conſequenter, parvitas indefinita quoad noſtram ſolam cognitionem, non eſt parvitas quæ hîc intenditur. Inſuper parvitas hoc ſenſu indefinita ad officium primi elementi obeundum non ſufficit, quod loco citato ſic aſſerit Carteſius; *aliquam materiæ portionem celerrimè moveri, ac in partes reipſa indefinitas dividi debere, ut varii motus circulares & inæquales ſine rarefactione vel vacuo fieri poſſint: nec ulla alia præter hanc ad id apta reperitur.* Quaſi diceret, non ſatis eſſe indefinitam materiæ parvitatem quoad noſtram ſolam apprehenſionem, ut motus omnes ſine rarefactione & vacuo perficiantur; ſed inſuper requiri, ut particulæ *reipſa ad indefinitam parvitatem* reducantur. Quare parvitas indefinita reſpectu noſtræ cognitionis non ſufficit ad conſtitutionem primi Carteſii elementi.

14. Secundò, parvitas indefinita, quam ille intelligit, non rectè exponitur per *interminatam*, niſi hæc ſimul ad infinitam reſtringatur. Interminatum enim dupliciter dicitur: vel id quod tantùm abſtrahit à termino; vel id quod ſimpliciter caret termino. Primo modo quantitas materiæ primæ eſt interminata, quòd ab omni extenſione terminata abſtrahat. Similiter individuum vagum eſt interminatum, quòd aliquod individuum ſub aliquo genere aut ſpecie ponat, ſed idem ab omni uno, quà determinato in eo genere vel ſpecie, abſtrahat: ut aliquod animal, quidam homo, aliqua parvitas. Interminatum hoc genus definitur, Conceptus formalis ab omnibus individuis alicujus generis aut ſpeciei communem quandam rationem incompletè abſtrahens, nempe quòd eorum quodlibet exſiſtit, ſed differentiam exſiſtentiæ cujuſvis unius ab alio quovis præcîdens. Ambigit enim inter conceptum univerſalem & individualem. Eſt autem formalis, & eatenus particularis, quòd, quanquam differentias individuales amputet, *quodditatem* tamen exſiſtentiæ individuorum reſervet. Conceptus ejus objectivus eſt ſimilitudo omnium individuorum ſub certo genere vel ſpecie, in eo quod exſiſtunt, præcîdens ſingulares differentias. Facilè ex hoc fit conceptus univerſalis, præcidendo quippe quodditatem exſiſtendi, quâ ſolâ communitas ejus ab univeralitate reſtringitur. Verùm indeterminatum, hoc genus, non ſufficit ad diſtinctionem primi Carteſiani elementi à duobus reliquis.

Nec partes interminatæ parvitatis.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 569 sur 591

©BIUM

reliquis. Siquidem non tantùm indefinita parvitas eſt aliqua parvitas; ſed & parvitas ſecundi elementi ejus (ut & tertii) eſt perinde aliqua parvitas. Cùm enim omnia ejus elementa diviſione ſeu comminutione fiant, cúmque minora ſint rebus quæ oculis cernere licet; neceſſe eſt, ea omnia aliquâ parvitate affecta eſſe concedamus. Quapropter indefinita Carteſii parvitas per aliquam parvitatem, ſeu per interminatam hoc genus parvitatem, non ſatis exponitur: quod erat probandum. Ad ſecundam igitur *interminati* ſignificationem *indefinitum* reducitur, & dicit id quod reipſa caret termino ſeu fine: & hoc ſenſu *indeterminatum* & *indefinitum* idem quod *infinitum* ſignificant. Adeóque ad tertiam indefiniti ſignificationem ſuprà propoſitam devolvimur, quam proximo loco proſequemur.

Solam infinitam parvitatem ſufficere.

15. Rejectis jam duabus prioribus indefinitæ parvitatis acceptionibus, tertia aſſerenda eſt, nempe, indefinitam Carteſii parvitatem hîc intentam reipſa nihil aliud eſſe niſi infinitam parvitatem. Nam ut finitum & infinitum opponuntur: ità indefinitum, ſi modò in natura ſit reipſa indefinitum, finitum oppugnat. Quod enim eo modo indefinitum eſt, non ideo indefinitum dicitur quòd à nobis definiri nequeat, aut quòd abſtrahat à termino; ſed quòd ipſa ejus natura limite ſeu termino, quo definiatur, careat: fine autem carere, eſt eſſe non finitum, ſeu eſſe infinitum. Nam finibus circumſcribi, eſt eſſe finitum; & in natura ſua fine orbari, eſt eſſe infinitum. Quare parvitas indefinita, ſi talis in natura verè exſiſtat, eſt, ut dixi, infinita. Fateor parvitatem infinitam in continuo, quòd ſit, facilè concipi poſſe, quòd potentialis ſit, & quòd incompletè exſiſtat, quódque à partibus vicinis compleatur, necnon quòd ex infinita continui diviſibilitate inferatur: nequaquam verò cum corporibus ab omnibus aliis diviſim exſiſtentibus conſiſtere poſſe. Siquidem, hoc dato, corpus naturale completum, & ſimul indiviſibile, coinciderent. Quod eſt impoſſibile. Nam corpus indiviſibile monſtri ſimile eſt, & in natura inauditum. Punctum, quòd non ſit diviſibile, neque corpus, ſive phyſicum ſive mathematicum, agnoſcitur eſſe. Quin & hoc quærerem, quî fiat, ut id quod ante diviſionem finitum fuerat, factâ diviſione infinitum ſeu indefinitum evadat. Si corpus in tres, quatuor vel quinque, &c.

partes

partes dividatur, quælibet pars fuerit definita portio totius, nempe vel tertia, vel quarta, vel quinta, &c. nec video quî fieri queat ut unquam actu deveniamus ad parvitatem indefinitam, nisi infinitam divisionem priùs actu peractam supponamus. Dices Cartesium per parvitatem indefinitam non intendere infinitam. Nam, loco suprà citato, parte 2. nº. xx. expressè dicit, fieri non posse ut aliquæ atomi sive materiæ partes ex natura sua indivisibiles exsistant. Fateor, me non existimare Clariss. Virum per indefinitam parvitatem directè intendisse infinitam: sed eum vel deceptum fuisse ambiguitate dictionis; vel, quid per indefinitam parvitatem ad officia à se iis assignata requisitam, intelligi debeat, non satis advertisse. Non enim possum animum inducere, ut credam tantum Virum in primis suis elementis sibimet ipsi impingere voluisse. Hoc scio, solam infinitam parvitatem ad officia primo ejus elemento adscripta sufficere. Cùm enim particulæ sphæricæ, (quæ secundum ejus elementum constituunt) quòd sphæricæ sint, in puncto (ut probant Mathematici) se mutuò tangant; infinita parvitas, ut anguli adæquatè & undique impleantur, requiritur. Angulorum enim acumen, ubi puncto contactûs sphærularum contignatur, infinitè tenue est. Si enim particula quæ intimam anguli partem farcit aliquid habeat determinatæ seu definitæ extensionis, loco non proportionatur. Locus enim puncto contactûs proximus caret determinatâ extensione. Anguli quippe oppositi solo puncto disterminantur, & indè sensim, non subsultim, augentur, sensimque ab invicem recedunt. Ut in Figura A B C D E, sphærarum portiones A & B in puncto E tangunt, & angulos C E, D E, constituunt. Jam verò latera angulorum A E, B E, E A, E B, sensim ab invicem recedentia, per omnes gradus distantiæ inter C & E aut E & D contentos, hoc est, per infinitos, transeunt; quòd ipsa latera angulos claudentia sint in infinitum divisibilia, & distantia unius lateris ab adverso in omni puncto divisionis varietur. Alicubi verò, & certè prope punctum contactûs sphærarum, distantia laterum fuerit infinitè parva: variatio enim distantiæ transiens à nulla ad aliquam determinatæ extensionis, per distantiam infinitè parvam migrat. Adeóque anguli oppositi quâ parte se mutuò tangunt, nempe in puncto E, infinitè parvi sunt. Dices hinc probari,

Vide Figuram quartam in Tabula.

©BIUM

probari, dari in natura materiam infinitè parvam, quòd alioquin hiſce angulis abſque vacuo nulla poſſit ſe coaptare. Reſpondeo, in materia continua dari partes infinitæ parvitatis, quæ abſque vacuo acutiſſimis angulis ſe accommodent; ſed non diviſim exiſtere, neque exiſtere quidem poſſe ob rationes factas. Hoc enim dato, entia incompleta completè exiſterent, & corpuſcula ſine quantitate & planè indiviſibilia conſiſterent: quod Clariſſ. Carteſius loco ſuprà laudato impoſſibile judicat. Quare etſi particulas infinitè diviſibiles & infinitè parvas in continuo agnoſcamus; eas tamen poſſe ſeparatim & completè exiſtere, aut primum Carteſii elementum actu conſtituere, planè negamus.

An materia diviſa queat re-uniri.

16. Alterum quod meum ſententiæ Carteſianæ, de particulis infinitæ parvitatis, aſſenſum ſuſpendit, eſt, eum ſupponere, materiam ſemel diviſam, ſic diviſam perpetuò manere, & nunquam re-uniri. Etenim eâ potiſſimùm causâ haſce particulas indefinitæ parvitatis excogitâſſe videtur, ut condenſationem & rarefactionem è finibus Univerſi eliminaret, & nihilominus aliqualem rationem motûs abſque iis aut vacuo redderet. Verùm ſi particulæ diviſæ continuò re-uniantur, totus hic apparatus fruſtratur. Si enim corpus ſubtile ex particulis indefinitè parvis non actu conſiſtat, omnibus corporum angulis, ex motu aliter atque aliter ſubindè variandis, ità ſe applicare, ut vacuum penitùs excludatur, nequit. Hoc ipſe Carteſius expreſsè fatetur loco ſuprà laudato. *Jámque ſuprà demonſtratum eſt, aliquam materiæ portionem celerrimè moveri, ac in partes reipſa indefinitas dividi debere, ut varii motus circulares & inæquales ſine rarefactione vel vacuo fieri poſſint: nec ulla alia præter hanc ad id apta reperitur.* Statuit particulas, niſi reipſa indefinitè parvæ ſint, ad hoc munus non ſufficere. Quanquam igitur hæ particulæ aliquando confluunt, & in magnum cumulum, putà aeris aut aquæ, congeruntur; manent tamen, ex hac ſententia, actu diviſæ, & potiùs confuſam maſſam & chaos minutiſſimarum particularum, variis motibus commotarum, quàm unum corpus phyſicum, conficiunt. Videtur enim Clariſſimus Vir nullo modo continuum ex diviſis particulis reſultans agnoſcere. Admittit quidem diſtinctionem corporum in dura & fluida, quorum diverſitatem hoc modo inquirit, Princip. phil. p. 2. n°. 54.

Nempe

Nempe, (inquit) *ſenſu teſte, non aliam* (diſtinctionem) *agnoſcimus, quàm quòd fluidorum partes facilè recedant ex locis ſuis, atque ideo manibus noſtris versùs illa ſe moventibus non reſiſtant; contrà autem, durorum partes ità ſibi mutuò cohæreant, ut non ſine vi, quæ ſufficiat ad iſtam illarum cohærentiam ſuperandam, ſejungi poſſint.* Atque hactenus quidem (niſi quòd fluidis omnem reſiſtendi vim negare videatur) rectè procedit. Sed pergit: *Et ulteriùs inveſtigantes, quî fiat ut quædam corpora ſine ulla difficultate loca ſua corporibus aliis relinquant, alia non item; facilè advertimus, ea quæ jam ſunt in motu non impedire nè loca quæ ſponte deſerunt ab aliis occupentur; ſed ea quæ quieſcunt non ſine aliqua vi ex locis ſuis extrudi poſſe. Unde licet colligere, corpora diviſa in multas exiguas particulas motibus à ſe mutuò diverſis agitatas, eſſe fluida; ea verò quorum omnes particulæ juxta ſe mutuò quieſcunt, eſſe dura.*

17. Videtur Vir Eximius quodammodo ſupponere exſtitiſſe olim quandam materiæ continuitatem, nempe ante ejuſdem actualem diviſionem: verùm factâ ſemel hâc ex motu, nullam deinceps materiæ re-unionem contigiſſe; tantùm aliquas materiæ particulas juxtà poſitas manſiſſe quietas, adeóque conſtituiſſe corpora dura ſeu ſolida: alias particulas actu diviſas, ſed motibus diverſis agitatas, confeciſſe corpora fluida & volatilia. Nullam itaque, quod ſciam, contiguitatis & continuitatis differentiam agnoſcit; neque omnino de reddenda ratione continuitatis ſolicitus eſt. Videtur itaque hanc è cenſu rerum penitùs exigere, & eo nomine nobis hîc multùm adverſari, qui ſpectabiles partes ei attribuo. Hujus interpretationis rationem reddo, quòd diſertis verbis aſſerit, *corpora in multas exiguas particulas diviſa, & motibus à ſe mutuò diverſis agitatas*, eſſe fluida. Ad fluidi igitur eſſentiam non tantùm particulas actu diviſas, ſed & diverſimodè commotas, poſtulat. Certiſſimum igitur eſt, eum fluidi continuitatem pernegare. Quod ad dura attinet, ea à fluidis hoc ſolo diſcrimine diſtinguit, quòd eorum particulæ omnes juxta ſe mutuò quieſcunt. Dices, authorem velle quietem conjungere partes quieſcentes. Rectè quidem, per modum contiguitatis, non autem per modum continuitatis. Requirit enim tantùm ad eorum unionem ſitum proximum & quietem. Duo verò corpora poſſunt ſimul eſſe tum contigua, tum

Carteſii ſententia de ea re examinatur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 573 sur 591

©BIUM

tum quieſcentia; & interim non eſſe continua: ut duo lapides quadrati, ſe mutuò tangentes, & immoti, non propterea continuantur. Quare ſola quies ad largiendam continuitatem non ſufficit. Sed proximo paragrapho ſic urget: *Neque profectò ullum glutinum poſſumus excogitare, quod particulas durorum corporum firmiùs inter ſe conjungat quàm ipſarum quies.* Certè ratio continuitatis in ea glutinis perperàm quæritur. Rectè enim inſtat, *quia, cùm particulæ iſtæ ſint ſubſtantiæ, nulla ratio eſt, cur per aliam ſubſtantiam quàm per ſeipſas jungerentur.* Sed quod ſequitur negamus. *Non etiam*, inquit, *eſt modus ullus diverſus à quiete: nullus enim alius magis adverſari poteſt motui per quem iſtæ particulæ ſeparentur, quàm ipſarum quies.* Aufim proponere alium modum, qui magis è directo eſt diviſioni oppoſitus; nimirum, ipſam corporis continuitatem. Nam continuum & diviſum, continuitas & diviſio, diametricè contrariantur; quies autem indirectè, & quatenus ea aliquo modo ad continuitatis rationem conſervandam requiritur. Ergò quies ſuam diviſioni oppoſitionem continuitati primò debet. Dices, Carteſium aliam continuitatem à quiete diſtinctam non agnoſcere. Atqui hoc ipſum eſt quod modò aſſerebam, & hîc probaturus eram, eum non omnino agnoſcere continuitatem fluidorum, ſolidorum verò admittere tantùm nomine quietis. Duo igitur ſuperſunt probanda: primum, Continuitatem ſolidorum non eſſe ſolam particularum inter ſe juxtà-poſitarum quietem: ſecundum, Corpora fluida conſiſtere ex particulis re-unitis, & conſequenter ex continuis.

Solam quietem ad ſolidorum continuitatem non ſufficere.

18. Ad primum quod attinet, non dico particulas in ſolidis nullo modo quieſcere: (Etenim in tertia Claſſe, ſuppoſitâ priùs continuitate, proprias rationes terminati & interminati, ad aptitudinem particularum ad motum & quietem, nempe ad diffluendum & conſiſtendum, niſu gravitatis eum cohærentiæ vincente, aut contrà, reduximus:) ſed dico, rationem continuitatis in ea quietis non conſiſtere; & variis modis probo. *Probatur* 1°. Ex negationibus formalibus reſpectivè diſtinctis, quas quies & continuitas ad ſuas proprias rationes evolvendas poſtulant. Formalis negatio quâ concipitur quies, eſt negatio ſeu privatio motûs. Poſitâ enim hâc negatione, neceſſariò ponitur quies; amotâ, tollitur. Quies enim de ſe, & quatenus motui opponitur, nullam entitatem poſiti-

1. ex negationibus alterutri propriis.

positivam complectitur, nec omnino est operativa, neque motui, ut contraria, sed ut privativa, adversatur. Negatio autem formalis quæ continuitatem explicat, est negatio divisionis. Ubi enim adest hæc, adest continuitas; ubi non adest, abest. Sed adesse potest negatio motûs in corporibus juxtà sitis & quiescentibus, inter quæ nulla est continuitas; ut inter duos asseres affabrè junctos & contiguos, sed non continuos. Quare negatio motûs & negatio divisionis formaliter distinguuntur.

Negationem divisionis non necessariò ponere quietem.

19. Insuper adesse potest negatio divisionis, ubi non adest quies. Quod multis instantiis, vel in solidis, probari potest. Ut in vehemente gladii vibratione, particulæ ejusdem aliquamdiu pòst tremunt, aerem verberant, & tinniunt: nec propterea observantur ab invicem dissilire. Pulsa fortiter campanam, omnes particulæ se motitant, & quælibet una partem ictûs, nè tota frangatur, in se suscipit. Vitri patuli (istiusmodi è quo bibitur) marginem, digito madido pressiusculè & velociter circumducto, frica; sonum canorum edit, atque unà aquam aliúmve liquorem in se contentum salire facit: manifesto indicio, particulas vitri, utcunque continuas, moveri, & ferire aquæ particulas sibi proximas. In ductilibus, situs partium inter se variatur, absque soluta unitate. Similiter in tensibilibus, particulæ absque ruptura distenduntur & elongantur; ut evidenter cernitur in fidibus barbiti, lyræ, aut citharæ. In fluidis quoque hoc apertissimè conspicitur, ut infrà patebit. Quare neque negatio divisionis est quietis, neque negatio motûs est continuitatis, propria ac formalis, quâ alterutra negativè definienda est. Quin & hinc patet, negationem motûs, & negationem divisionis, esse duas formaliter distinctas.

Objectioni satisfit.

20. Dices, divisionem esse motum quendam, & consequenter negationem divisionis esse quoque negationem alicujus motûs; & quòd quies opponatur motui, negationem divisionis esse quietem quandam; & consequenter quietem, quòd sit negatio divisionis, esse quoque ipsam rationem continuitatis. Respondeo, motum formis simpliciter omnibus, tam essentialibus quàm accidentalibus, (quòd omnes motu tum generentur, tum destruantur,) suo modo opponi: non tamen propterea sequi, omnes formas satis explicari negatione alicujus

©BIUM

cujus motûs. Formæ enim ipſæ frequenter ſunt poſitivæ: verùm quòd utplurimum ſint ſufficientia formalis negationis fundamenta, contingit ut dupliciter exponi poſſint; vel negativè, per iſtam negationem formalem; vel poſitivè, per propriam entitatem realem. Verùm negatio formalis cujuſvis rei eſt ſaltem propria quarto modo; convenit omni, ſoli, & ſemper. Jam verò non hîc quæritur an quies in aliquo fortè ſenſu dicatur negatio diviſionis; aut an aliqua quies in omni diviſione deſtruatur: ſed an negatio diviſionis ſit ipſa formalis negatio quâ eſſentia quietis exprimenda ſit; hoc eſt, an hæc negatio omni, ſoli, & ſemper quieti conveniat. Sed profectò non convenit. Negatio enim diviſionis quieti partium pomi diviſi non competit. Nam partes ſic diviſæ, perinde ac ſi continuæ forent, quieſcere poſſunt. Interim negatio motûs quieti, omni, ſoli, & ſemper convenit. Non igitur negatio diviſionis, ſed negatio motûs, eſt formalis quâ quies circumſcribenda eſt. E contrà, continuitas omnis, ſola, & ſemper eſt negatio diviſionis, & negatio diviſionis ſemper dicit adeſſe continuitatem. Aſſero igitur, negationem motûs & negationem diviſionis eſſe duas negationes formaliter diſtinctas, & illam ad quietis, hanc ad continuitatis, rationem negativam evolvendam, eſſe reſpectivè comparatas.

Probatur 2. Continuitatem eſſe formam poſitivam; quietem non.

21. Procedo ad rationes utriuſque poſitivas. Quies verò de ſe nullam poſitivam includit; ſed in ſola privatione motûs conſiſtit. Continuitas è contrà eſt de ſe entitas poſitiva, (ut ſuprà probavi,) & poſitivum negationis diviſionis fundamentum in ſe complectitur. Ideóque continuitas à quiete forma ſatis diſtincta eſt, & propria ratio continuitatis non conſiſtit in quiete. Dico, quietem de ſe eſſe privationem motûs. Etenim quiete nihil innovatur, mutatur aut producitur: ſed res per eam ut antè fuerat permanet. Nihilominus concedimus, quietem, reſpectu vitæ quieſcentis, aliquid poſitivum connotare poſſe: ut, ſi purè ab intus veniat, eſſe naturalem; ſin purè ab extrà, eſſe coactam; ſin partim ab intus, partim ab extrà procedat, eſſe mixtam. Corpus enim, quatenus percipit & appetit quietem ſuam, eâque frui nititur, aliqualiter eâ affici neceſſe eſt. Sed ea qualificatio à niſu quieſcendi, non primò à poſitiva ratione ipſius quietis, provenit. E contrà, continuitas eſt de ſe forma poſitiva, & formalem effectum poſitivum

positivum dat; nempe communionem partium continuarum, (ut suprà probavimus) quam nullo modo sola quies significat. Porrò, continuitas fundamentum positivum est aliarum formarum & motuum, quæ partim ad ejus modificationem, partim ad conservationem, inserviunt: quales sunt cæteræ species formarum & motuum hujus Classis, de quibus infrà dicendum. Hîc addidero, (ut verbo rem extra aleam semel ponam) cumulum arenæ, acervum tritici, aggerem lapidum, & alia similiter congesta, constare ex corpusculis situ proximis & quiescentibus, nec tamen continuum conficere. Quies ergò particularum juxtà positarum non est ipsa forma seu ratio continuitatis. *Probatur 3.* Denique, formæ & motus, quæ vel continuitatem consequuntur, vel ad modificationem & conservationem ejusdem destinantur, gradibus variantur; quos quies sustinere nullo modo potest. Gradibus enim caret. Siquidem res, si minimùm moveatur, eo respectu non quiescit. Partes verò continui modò firmiùs, modò infirmiùs, cohærent: & hinc tonus partium debitus, ut & vitiatus, oritur. Neque enim omnibus continuis eadem tenacitas aut firmitudo cohærentiæ partium competit: sed singulis propemodum sua toni mediocritas debetur. Hinc quoque constat, continuitatem à quiete esse formam multò diversam; quod primo loco erat probandum. *Probatur 4.*

22. Transeo ad secundam Propositionem priùs assertam, Corpora fluida, ut & volatilia, non consistere ex particulis actu divisis, sed ex re-unitis, & consequenter continuis. Probatur ex intrinseco nexu particularum fluidi. Est enim corporum nexus duplex; quorum alter extrinsecus est, alter intrinsecus. Ille est corporum integrorum; hic, particularum ejusdem totius. Nexus integrorum est vel ad fugam vacui; vel fit mediante glutine, cæmento, clavis, ligamentis, aut similibus externis mediis: & in genere vocari potest adhærentia, & nexus extrinsecus; quia nullam facit intrinsecam communionem corporum sic connexorum. Nexus autem particularum ejusdem totius, non mediante glutino, aut aliâ re externâ, fit; sed partes sic junctæ immediatè & per seipsas uniuntur, & sibi invicem ac toti communicantur; adeóque intrinsecâ quadam propensitate inter se cohærere nituntur. Modus autem quo hic nisus cohærendi à continuitate resultat, *Propositio secunda, Fluida non esse actu divisa.*

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 577 sur 591

©BIUM

tat, hic eſt. Particulæ utilitatem quâ ex ſua communione inter ſe fruuntur percipientes, amant ſeu appetunt iſtam ſuam communionem, & conſequenter eandem conſervare conantur, hoc eſt, conantur inter ſe cohærere. Ità ut ipſa cohærentia interna nihil aliud ſit, niſi motus ſeu niſus à continuitate reſultans, quo natura eandem conſervare conatur. Quapropter, mediantibus perceptione & appetitu naturalibus, cohærentia in continuitate primò fundatur. Quamvis enim multæ aliæ formæ, ut denſitas, craſſities, viſcoſitas, imporoſitas, ſtupor ſeu torpor, niſus quieſcendi, & conſimiles, multùm ad motum cohærentiæ augendum, confirmandum & roborandum contribuunt, ut infrà declarandum eſt: abſque tamen continuitate nulla intrinſeca cohærentia ab iis exoriri poteſt. Fateor itaque gradum cohærentiæ ab aliis formis multùm dependere; ſed primum fundamentum ejus in ſola continuitate jaci. Quocirca cohærentia in aliquo gradu ſemper adeſt, ubi adeſt continuitas: illa verò nunquam adeſt, hâc abſente. Nam quî fieri poteſt ut non-continua, ſeu actu diviſa, intrinſeco nexu connectantur; aut ut actu continua ſuam continuitatem, quantum poſſunt, conſervare (hoc eſt, cohærere) non nitantur? Si ergò conſtiterit, particulas fluidorum, ut & volatilium, in aliquo ſaltem gradu inter ſe cohærere; certum quoque eſt, eas eſſe ſuo modo continuas. Huc igitur dehinc intendendæ vires ſunt, ut inveniamus, an ratio fluidi cum aliquali partium cohærentia conſiſtere queat; & an reipſa hæc in omni fluido ſecundùm aliquem ſui gradum reperiatur.

Ad fluidi rationem requiri continuitatem.

23. Rationem fluidi Clariſſ. Carteſius hâc methodo inveſtigare videtur. A facilitate ceſſionis orditur; eam ad non-reſiſtentiam revocat; hanc ad carentiam cohærentiæ. E contrà, vult particulas ſolidi ob cohærentiam reſiſtere. Rectè notat, partes fluidi ex locis ſuis *facilè recedere*: ſed non rectè infert, *non reſiſtere*; diceret, minùs reſiſtere. Etenim qui remis cymbam agunt, ſatis certò ſciunt aquam remis reſiſtere, cymbámque adeò promovere. Rectè advertit, durorum partes ità ſibi mutuò cohærere, ut reſiſtant, hoc eſt, (ut ego interpretor) ut fluidis magis reſiſtant. Sed cohærentiam ex reſiſtentia non malè videtur æſtimare. Quæ firmiter cohærent, fortiter reſiſtunt: quæ minùs cohærent, minùs reſiſtunt. Hactenus à Carteſio haud multùm differo. Verùm ubi ad formam fluidi particulas actu

diviſas

diviſas exigit, ab eo planè diſſideo. Exiſtimo potiùs, ad generalem fluidi rationem continuitatem, debilem licèt, ſpectare. Particulæ enim actu diviſæ ſunt integra corpuſcula, non partes unius totius: ut neſciam quo jure corpuſcula ſic diviſa nomine particularum veniant, cùm nullius integri partes ſint. Utcunque fluidum conſtituere nequeunt. Quia hoc ſupponitur continere particulas infinitæ parvitatis. Aliter, angulis infiniti acuminis accuratè, hoc eſt, ut penitùs excludatur vacuum, accommodari nequeunt. Verùm particulæ infinitæ parvitatis extra continuum, in quo invicem communicantur, nullibi diviſim exiſtere poſſunt. Nam quælibet particula, hoc ſuppoſito, erit corpuſculum, & conſequenter dividuum; adeóque partes in quas dividetur minores erunt infinitè parvis. Quod repugnat. Similiter infinitæ particulæ, ſuppoſitâ earum parvitate infinitâ, ad ſpatium extenſum implendum requirentur; & cùm omnes ſeorſim ſteterint, conficient numerum actu infinitum; qui impoſſibilis eſt. Veruntamen in continuo, infinitæ particulæ, eæque infinitæ parvitatis, actu coexiſtere queunt. Etenim ad minimum naturale continuum, ut ſit in infinitum diviſibile, infinitæ particulæ expetuntur: & quòd infinitæ in tam exili corpuſculo inſint, neceſſe eſt ſint quoque infinitæ parvitatis. Nulla autem hinc abſurditas ſequitur. Quanquam enim infinitæ in continuo, actu exiſtunt, non tamen ſunt ibi actu diviſæ; & propterea non actu, ſed potentiâ tantùm, numerum infinitum conſtituunt: ut ſuprà ſatis probavimus. Quod ad infinitam particularum parvitatem attinet; ea optimè quoque in continuo admitti poteſt: quòd omnes mutuâ communione inter ſe augeantur, & ſic auctæ perpetuò diviſibiles ſint, & infinitarum particularum conſortio nunquam deſtituantur. Infero igitur, ad fluidum, quod omnibus corporum angulis ſe coaptare debet, requiri continuitatem. Inſuper fluidum non componitur ex particulis terminatis, ſed ex fluidis. Verùm Carteſius videtur ſupponere materiam ante ejuſdem minutiſſimam diviſionem fuiſſe terminatam, & conſequenter particulas diviſas manſiſſe terminatas. Imò neceſſe eſt ſic ſupponat: quòd aliter non opus eſſet tali diviſione ad eam reddendam fluidam, præſertim cùm particulas ad fluidum conſtituendum abſque vario motu ſufficere non putet. Ratum

©BIUM

tum igitur ésto, eum ex particulis terminatis fluidum componere. Quod mihi incongruum videtur. Particulæ enim substratæ, hoc dato, superstructas sustinebunt, & præpedient nè fluant. Exempli loco esse potest arena, quæ in modernis clepsydris loco aquæ substituitur. Siquidem non est propriè fluida. Quanquam enim ejus particulæ commoventur, & è superiore vitro in inferius per exiguum foramen dilabuntur: non tamen propriè fluunt; quòd in neutro vitro se ad æquorem colligant, sed in utroque accumulentur. Quare ad generalem rationem fluidi aliqualis continuitas requiritur.

Essentia fluidi investigatur.

24. Non mihi dubium est quin Ingeniosiss. Vir probè intellexit, suas particulas indefinitè parvas, ad formam fluidi complendam, solas non sufficere. Alioquin enim, præter illas, ad hoc constituendum, varium earundem motum non postulâsset. Profectò ejus particulæ, licèt terminatæ sint, & eatenus ineptæ ad verum fluorem specificandum; eundem tamen sic commotæ graphicè simulant. Etenim pulveres subtiles, in pyxidula aperta super mensam huc illuc rapidè commota, modò ad dextram, modò ad siniſtram fluere, & câdem leviter concussâ, suam superficiem superiorem complanare, cernuntur, & genium fluidi haud ineptè æmulari. Enimvero si absque motore externo hoc facerent, non facilè à veris fluidis discernerentur. Sed Vir Eximius non satis declarat à quo principio varius particularum motus sive oritur, sive regitur. Certissimum est, in omnibus particulis fluidi inesse motum gravitatis, hoc est, nisum se movendi deorsum: sed unde alius motus varius veniat, non constat. Imò, cùm motus gravitatis omnes alios ab extrà impressos paulatim compescat & sedet; nulla ratio assignari potest, cur non tractu temporis hunc quoque motum varium corrigat, & ad suam legem descensûs revocet. Fateor aquam in phiala variè agitari posse: sed permitte quiescere, motus gravitatis omnes alios motus, ut sibi extraneos, intra horæ spatium sedat & expellit; interímque aqua, non minùs quàm antea fuerat, fluida manet. Ergò motus illi varii nulla pars essentiæ fluidi fuerant. At hinc rectà deducimur ad veram rationem fluidi inveniendam: eam consistere in ipso motu gravitatis, quatenus is motu cohærentiæ fortior est. Etenim, ex eo quòd hic motus omnes alios varios & extraneos, salvâ fluiditate, coerceat & expellat, certum est, ipsam rationem fluidi

fluidi in hoc motu consistere; quando hic solus in fluido supersit & dominetur. Sciendum est, duobus potissimùm modis formam fluidi nobis innotescere; nempe, motu diffluendi ab intus orto, & motu reducendi superiorem suam superficiem ad æquorem. Verùm utrumque motus gravitatis eo cohærentiæ potentior satis præstat. Motus enim hic vel directè, vel obliquè, deorsum tendit. Per obliquum diffluit, per directum superficiem suam librat. Cùm enim motus cohærentiæ obliquum descensum fluidi coercere nequeat; necesse est, hoc, nisi ab extrà retineatur, diffluere persistat: ut aqua in pelvi, aut alio vase terminato, si nisus cohærentiæ eum gravitatis non possit cohibere, ad latera vasis necessariò diffluit. Nihil enim ab extrà impedire intenditur; & ab intus (præter particularum cohærentiam, quæ impotens quoque in hoc casu est, quòd minor esse seu debilior nisu gravitatis supponatur) nihil potest. Ex motu igitur gravitatis fortiore eo cohærentiæ, de motu diffluendi satis prospectum est. Motum librationis, seu reductionis superficiei fluidi ad æquorem, an is quoque à gravitate, potentiore cohærentiâ, proveniat, expendamus. Resumamus pelvim aquâ semiplenum, à latere ad latus eum leviter commoveamus. Aqua undulans modò ad dextram, modò ad sinistram volvitur; sed pelvi iterum quiescente, undulatio paulatim sedatur. Nisus enim gravitatis ex utroque latere pelvis aquam, ultra æquorem assurgentem, nonnihil reprimit; ità ut unda undam subsequens subindè minor fit, donec aqua ad æquilibrium restituatur. Perinde enim hîc contingit ac plumbo à funiculo pendente, & huc illuc impulso; plumbi gravitas motum utrinque sursum nonnihil coercet, & demum impetum extraneum frangit. Hæc reductio fluidi ad æquorem adhuc clariùs cernitur in syphone vitreo aquâ ferè pleno, & inverso, nempe extremitatibus ejus elatis, & medio depresso, ità ut aqua contenta è neutro crure effluat. Dein elevetur crus modò dextrum, modò sinistrum, ut aqua contenta fluctuet, & per vices modò ea in dextro crure, modò ea in sinistro, altior sit. Sed quieti repone tubum: aquæ ascensus ultra æquorem in alterutro crure paulatim minor fit, & demum superficies ejus in utroque ad æqualem à centro terræ distantiam, motu gravitatis utrinque eandem librante, sistitur.

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 581 sur 591

©BIUM

Inferendum eſt, non motum varium, ſed motum certum, viz. eum gravitatis motu cohærentiæ potentiorem, fluidi ſuperficiem ad æquorem reducere.

Fluiditatem cum continuitate conſiſtere.

25. Atqui reſpiciamus ad continuitatem & cohærentiam particularum, & ſtrictiùs inquiramus an eæ cum fluiditate conſiſtere queant. Sume igitur gutturnium ſufficientem aquæ quantitatem continens. Tenta unam guttulam, aut (ſi lubeat) unam poſt aliam, ſenſim effundere. Obſerva, primò, guttulam priuſquam cadit, ut à labro gutturnii formâ propè globoſâ pendet, nec decidit, donec, auctâ mole aquæ, ejus gravitas vim cohærentiæ ſuperet. Gutta enim primò elongatur, & pendula ſuam cum aqua reliqua, debilem licèt, cohærentiam clarè demonſtrat: ſed hâc demum à gravitate victâ, gutta abrumpitur & cadit. Aut aliter, (ſi malis) effunde guttulam ſuper menſam ficcam, ſed cave nè ab alto cadat. Guttula dimidiam ſphæram refert. Partim enim cedit gravitati, partim reluctatur ſiccitati, & ſuam cohærentiam, ad illam evitandum, fortificat. Sed plures ſubindè guttulas, ſub eadem cautione, affunde: auctâ jam mole ac pondere aquæ, videbis cohærentiam gravitati cedere, & ſinere aquam ſe latiùs diffundere. Sed aqua in margine, ſiccitatem adhuc exhorreſcens, nonnihil tumet, & ſuâ cohærentiâ ob ſiccitatem gravitati pluſculùm reſiſtit. Verùm, ſi menſa ſit exactè horizontalis, digito, quò velis, aquam dirigere potueris: ſin ex ulla parte vel minimùm inclinet, aqua declivitatem percipiens, ſuo gravitatis motu obliquo eò versùs illico tenderit. His addo, in bullulis ex aqua & aere compoſitis, pelliculam aerem inveſtientem ejus continuitatem evidentiſſimè declarare: ſed in his, gravitas, ob paucitatem materiæ deficiens, non prævalet; nec bullula aut ſpuma, ex earum minutularum multitudine conflata, ad planitiem neceſſariò revocatur, ſed quandam corporis terminati ſpeciem, cohærentiâ ſuperante pondus, præ ſe fert. Atque hiſce ac ſimilibus modis poſſumus niſum gravitatis & cohærentiæ inter ſe comparare, & uter, ac quouſque, alter alteri prævaleat, aut ſuccumbat, obſervare. Verùm ſi certiſſimè ſcire velis, an continuitas & cohærentia particularum cum fluiditate conſiſtere poſſint, ſume fluida & ſimul viſcida, ut liquores pendulos; hos è gutturnio tuo ſenſim effunde: non guttatim, ut aqua, ſed filo continuo,

à labro

à labro vaſis ad receptaculum dependente, deſcendunt. Neceſſum eſt fatearis, eos eſſe tum fluidos, tum continuos & cohærentes. Hujuſmodi liquores ſunt vinum pendulum, ſucci, & decocta muccilaginea, ut althææ, malvarum, & ſimilium, terebinthina liquidior, pix liquida, &c. Nè dubitemus igitur dehinc, quin continuitas & cohærentia cum fluiditate optimè cohabitare queant. Ratio è ſuperioribus peti poteſt; quòd ad rationem fluidi motus tantùm gravitatis fortior eo cohærentiæ requiratur: at cohærentia, licèt gravitate minor, non tamen nulla eſt, & per conſequens (niſi in motu guttularum deorſum cadentium) continuitas non planè ſolvitur. Etenim ut aliquæ particulæ ab aliis obliquè labuntur; ità cum aliis ejuſdem maſſæ ſuam continuitatem ſervant: imò in ipſo fluxu, ut aliquæ ab aliis recedunt; ità cum aliis ejuſdem maſſæ de novo re-uniuntur, & poſſunt inter ſe mutare ſitum, non interruptâ totius continuitate.

Re-unio fluidorum aſſeritur.

26. Opportunè jam devenimus ad re-unionem fluidorum æſtimandam. Fluida, ut, ob debilitatem cohærentiæ, haud difficulter dividuntur; ità facillimè re-uniuntur. Cùm enim ſint corpora quodammodo interminata, jugiter quærunt alia corpora ſimilia quibuſcum coaleſcant. Simulac igitur corpori ſuæ naturæ non planè averſo occurrant, ei illico uniuntur, & ità uniuntur, ut nullâ arte omnes ac ſolæ partes priùs ſeorſim exſiſtentes iterum ſejungi poſſint. Omnes propè liquores, ſucci, decocta, tincturæ, hoc modo inter ſe committuntur: ſed oleum & aqua abſque medio, ut ſale tartari, aut alio lixiviali, omnem unionem reſpuunt. Obſervatu dignum eſt, aquam omnibus propè ſolidis adhærere, eáque madefacere; pinguibus verò non aſſociari, neque ſuum madorem iis impertire. Ferunt aves aquatiles è glandibus prope uropygium roſtro pinguem quandam materiam extrahere, quâ leniter illiniunt plumas ſuas, & ità muniunt, ut quamvis aquis ſe, pro more ſuo, frequenter immergant, emergentes tamen liquorem iis vix adhærentem facilè excutiant. Argentum vivum vegetabilium & animalium corporibus vix adhæret; ſed auro & aliis metallis ſe facilè inſinuat. Eſt corpus fluidum, ſed in exiguas particulas diviſum, cohærentiâ ſuperante pondus, ſphæras ſolidas aut globulos refert, qui in declivi poſiti rotando decurrunt. Verùm ſi duo globuli ſe

Tractatus de natura substantiae energetica, seu de vita naturae ejusque tribus ... - page 583 sur 591

©BIUM

mutuò fortè tangant, continuò alter alterum in ſe abſorbet, & junĉti unum globulum proportionaliter majorem conficiunt: unde conſtat quàm promptè corpora fluida ſuis ſimilibus reuniuntur. Neque enim hanc eſſe veram unionem dubitari poteſt, cùm ex duabus ſphæris minoribus in unam majuſculam, exaĉtè quoque rotundam, coeant. Ex eo enim quòd communem figuram ſibi adſciſcant, patet eas ſibi invicem, ut partes ejuſdem totius, communicari. Atque idem dicendum eſt de duabus aut pluribus minutulis aquæ guttulis ſuper planitiem ſebaceam poſitis; ſi efficias ut ſe mutuò tangant, in unum globulum majuſculum illico colliguntur, & unam communem ſibi figuram ſphæricam (ſufficiens ſuæ inter ſe communionis indicium) nanciſcuntur. Verùm ut minutulæ aquæ particulæ facilè re-uniuntur, ità etiam majores maſſæ. Aquam in ciſterna, quoties lubet, ſeca, fodica, contunde, continuò partes diviſæ non minùs quàm in locis non diviſis confluunt & continuantur. Cùm ergò, ut ſuprà probavi, aqua ſit in ſe corpus continuum, & factâ diviſione ſuum vulnus tam ſubitò conſarciat, ut nullum vulneris veſtigium aut nota ſuperſit; ſequitur priſtinam continuitatem reſtitutam eſſe. Navis ſulcat mare, nullum poſt ſe ſignum ſui tranſitûs relinquit, tantùm durante aquarum confluxu ex tumultu de loco conjectare licet; ſed brevi hæc occaſio præterit, & aqua perinde ac in aliis locis continua cernitur.

Idem inſtantiis confirmatur.

27. Sed adhuc argumentum ſupereſt, quod apertiùs, ſi fieri queat, vim demonſtrationis obtinet. Corpora terminata fracta, partibus in eundem ſitum accuratiſſimè reductis, nullâ quiete, quantumvis diuturnâ, ad priſtinam continuitatem reſtituuntur; ſed colliquata in maſſam continuam illico confluunt. Sit exempli loco vitrum fractum, cujus partes exactiſſimè in eaſdem ſedes repoſitæ deperditam continuitatem ſolâ quiete nunquam reſumunt; ſed admotâ flammâ, ut fluere incipiant, continuò redintegrantur, perinde ac nunquam fractæ fuiſſent. Unde conſtat, fluorem veram ac genuinam continuitatem partibus liquatis ſeu fluidis conciliare. Hoc idem innumeris inſtantiis confirmari poteſt. Baculum cereum, quo literæ ſigillari ſolent, ſi caſu diffringatur, extremitatibus ejus flammâ lucernæ tantillùm liquatis, iterum, ut priùs, conſolidatur. Metalla in pulverem derafa, & in crucibulo

bulo fusa, mox in unam massam in omni puncto assignabili pariter continuam re-uniuntur, & omnes particulæ eorundem æquè firmiter ac ante divisionem inter se cohærent, & non minùs in locis re-unionis, quàm in mediis particularum nunquam divisis. Glacies in pulverem redacta non re-unitur, nisi liquescere incipiat: sed in aquam liquata, in integram glaciem rursus congelari potest. Frustrà objicitur, particulas aquæ frigore sedatas quiescere in sedibus suis, & quiete connecti. Nam pulvis glaciei quiescens non connectitur, ut nec pulvis metallorum. Sed hæc omnia, fusa seu facta fluida, suam continuitatem & communionem partium statim recuperant. Alimenta priusquam actu nutriunt, ad formam fluidam perducuntur, & sub hac forma in partes intimè excipiuntur, iisque uniuntur. Cùm ergò fluiditas sit ipsa ratio quâ corpora divisa intrinseco nexu iterum conjunguntur; fieri nequit, ipse fluidorum nexus inter se non sit intrinsecus, aut ut continuitas propriè dicta non indè resultet. Idem igitur, quod corporibus terminatis divisis, fluidis non accidit. Illa enim sub forma terminatorum re-unionem spernunt: hæc, simulac se mutuò tangunt, in mutuos amplexus ruunt. Dicunt chirurgi, partes spermaticas secundùm primam intentionem non re-uniri: sed si re-uniantur, fieri id mediante cicatrice aut callo. Verùm divisæ fluidi partes secundùm primam intentionem, imò (si fieri potest, modo intimiore, nempe) per seipsas iterum junguntur, & immediatè sibi invicem cohærent. Statuendum igitur est, fluida non tantùm verâ & propriâ unione coalescere; sed & corpora terminata, mediante aliquo fusionis gradu, & non aliter, immediatè consolidari posse.

28. Quod diximus de fluidis, à fortiore de volatilibus verificatur. Similiter enim interminata sunt, multò faciliùs dividuntur, & corporibus se versùs moventibus cedunt, multò minùs resistunt. Cùm ergò maximè interminata sint, facillimè quoque re-uniuntur. Nullâ cortice, nullâ cute aut cuticulâ, nullâ superficie fixâ, aut partium terminatione, ab unione cum aliis præpediuntur: sed ut perpetim fluunt, ità corporibus quibus occurrunt se unire & communicare gestiunt. Quin & exhalationes aliorum corporum lubentissimè in se excipiunt, imò congruitate naturæ ad se quasi alliciunt & attrahunt.

Volatilium quoque continuitas & re-unio defenditur.

©BIUM

hunt. Verùm quantumvis facilè dividuntur, & aliis corporibus cedunt: non tamen hoc sine omni resistentia agunt, & consequenter suam inter se cohærentiam & continuitatem manifestant. Fateor eum qui tranquillâ tempestate, sedatis ventis, molliter ambulat, aeris resistentiam vix sensu discernere; at si velociter currat, aut flabello eundem verberet, ejus resistentiam evidentissimè sentiet, & ex resistentia ejus cohærentiam, ex cohærentia continuitatem, dignoscet. Volatus avium idem demonstrat. Pennis aerem verberant, & ex ejus renitentia in altum evehuntur. Fateor, adversùs, quàm secundùm, ventum faciliùs se efferunt, quòd ventus fortiorem pennis resistentiam, cui innitantur, ministret. Verùm in aere sedato quoquo versùm liberrimè volant, nec opus habent ventis ut sustineantur. Nativa enim aeris, ab alis earum vapulantis, resistentia ad volatum sufficit: unde constat aerem quoque esse corpus suo modo resistens & continuum. Qui Clar. Cartesium sectantur, elasticam vim aeris multùm prædicant. Attamen si aer sit corpus fibrosum, ejúsque fibræ calore excitatæ fortiùs intendantur, & majorem locum postulent, frigore autem constrictæ infirmiores evadant, & compressioni plusculùm cedant; necesse est aer ipse sit corpus continuum, & ex fibris continuis & vigorosis concinnentur. Satis scio, laminam chalybeam, virgultum, & similia, quibus elater propriè tribuitur, si flectantur, vigorosè resilire. Nemo autem dubitat quin hæc sint corpora continua. Si enim frangantur, elater in loco fracto illico cessat. Quare si aer vi elasticâ polleat, est corpus continuum, & in particulas indefinitæ parvitatis non manet divisus. Verùm, ut quod res est fatear, huic argumento non plus attribuo, quàm esse ad hominem. Scio enim calorem non tantùm aerem, sed & omnia alia corpora, rarefaciendo expandere; & frigus è contrà, condensando, in minorem locum ea cogere. Cùm verò fluiditas sit ipse modus quo divisa suæ continuitati integre restituantur; cúmque volatilia, ipsa fluida, suâ ad diffluendum aptitudine, superent; nulla ratio assignari potest, cur iis quoque vis, quoties eorum particulæ sibi invicem occurrunt, se re-uniendi non concedatur. Concludendum igitur, volatilia quoque esse continua; &, si fortè dividantur, partes divisas, simulac confluunt, re-uniri.


FINIS.

OBIUM


ERRATA.

IN Epiſtola ad Lectorem, nº. 15. lin. 31. pro *perveniret*, lege *proveniret*. In Libro, pag. 3. lin. 4. leg. *elementariæ*. P. 28. l. 8. leg. *elementariæ*. P. 80. l. 26. leg. *fundantur*. P. 114. l. 2. leg. *totam*. P. 124. l. 39. leg. *quòd non*. P. 128. l. 36. leg. *producatur*, *deſtruatur*. P. 145. l. 21. leg. *in materia*. P. 177. l. 29 leg. *balſaminum*. P. 258. l. 22. leg. *emicuit*. P. 296. l. 38. leg. *primam ſeu principem*. P. 311. l. 39. *ſuppoſitis*. P 337. l. 9, 10. leg. *horum*, *eorum*. P. 408. l. 36. pro *dimenſionum*, leg. *ſubſtantiarum*. P. 467. l. 24. pro *ſit*, leg. *ſint*. P. 500. l. 17. pro *Coo*, leg. *Chio*. P. 501. l. 19. pro *C K*. leg. *C K*. P. 519. l. 20, 21. leg. *in puncto contactûs ſphærularum contiguarum*.


©BIUM



©BIUM


Tabula I^a
Figura prima describitur ad cap. 33. n°. 7
Figura 4ta ad cap: 34 - n. 15 -
A
A
E
C
D
B
B
Figura 3tia ad cap. 33. n°. 9
Figura 2da ad. cap. 33. n°. 9
a b
c f
c d
g l
C
A
B
F
D
E
C
A
B
F
D
E
A
C
E
B
F
D
D
F
B
E
C
A

©BIUM



©BIUM

Figura I.ª Tabula II.da




Figura II.ª




Figura III.ª

